ANTILOGIA ADVERSVS APOLOGIAM ANDREÆ EVDÆMON-IOANNIS IESVITÆ PRO Henrico Garneto Iesuita Proditore.

Qua mendacißimi Monachi aduersus Ecclesiam & remp. Anglicanam violatæ religionis & iustitiæ *nomine calumniæ refutantur; & Iesuitarum, Garneti* verò maximè, Proditoria consilia & coniurationes *exploratissima veritate referuntur.*

Authore ROB. ABBOTTO sacræ Theologiæ in Academia *Oxoniensi Professore Regio.*

TIT. I. 12.
Cretenses semper mendaces.






LONDINI,
Ex officina THOMÆ ADAMS.
1613.

ANTILOGIA ADVERSVS APOLOGIAM ANDREÆ EVDÆMON-IOANNIS IESVITÆ PRO Henrico Garneto Iesuita Proditore.

Qua [illegible] aduersus Eccle-
siam & rem [illegible] iniusti-
tiæ nomine [illegible] armeti
verò m[illegible]

Author[illegible]





LONDINI,
Ex officina THOMÆ ADAMS.
1613.



INCLYTISSIMO POTENTISSIMOQVE PRINCIPI AC MONARCHÆ *IACOBO* Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ *Regi serenißimo, Fidei Defensori, &c.*

INCLYTISSIME REX & POTENTISSIME,



QVOD ingenuè Christianis omnibus in via iustitiæ vsuvenit, vt cum *nequitijs spiritualibus & tenebrarum mundi Rectoribus*, eorumque alumnis & administris pro fide contra perfidiam, pro veritate contra mendacium iugi & assiduo certamine conflictari necesse habeant, idem pijs Regibus multò magis accidere haud mirum est; quorum vt operâ non sua tantùm, sed plurimorum hominum salus continetur, ita maximè infestum inueniunt illum qui salutis hominum aduersarius & assiduus oppugnator est. Quò minùs ab vsu alienum videri debet tantos in Maiestatem vestram hodie furores & impetus ab Antichristiana turba concitari; cui quia vident nihil magis in voto esse quàm expurgatâ & explosâ superstitionum &

traditionum humanarum corruptela vindicare omni modo, & asserere veram illam secundùm Deum pietatem, cuius fœlicissima propagatio certissima communicatio salutis est, non desinunt opponere molimina sua, huncque animum & incœptum quo nihil Rege dignius dici potest, vociferando, calumniando, conuiciando retardare. Quanquam indignum est interim, & minimè ferendum abiectißimos quosque homunculos cum Principibus tam insolenter agere, & quò est quisque animal despectius, eo petulantiùs atque audaciùs in sacram Maiestatem inuolare. Inde Serenitatem vestram tot Becani, tot Coquæi, Capelli, Pacenij scriptiunculis suis, non vulnerant quidem sed petunt tamen & scalpunt, tanquam gloriæ sibi esse ducant, inuisissimi canes, latrando & vlulando tantum Regem lacessere audere. Ex eodem canili prodijt hic noster Eudæmon-Ioannes, cuius hic pro Garneto proditore Iesuita Apologiam exagitamus, quo vix quisquam reperitur fortiùs & strenuiùs ad omnem impudentiam obduruisse, eoque electus qui sit illis Sycophantiarum & calumniarum & mendaciorum omnium veteramentarius, vtpote cui exterminata frons & lingua lubrica quidvis audacissimè dicendi facultatem dat. Qui pro illa qua est Cynica modestia & conscientia Iesuitica nostrorum hominum ordines omnes malitiosissime proscindit; in Principes nostros, in te quoque Rex inclytissime, eodem furore bacchatur, acsi cum cerdonibus ei & sutoribus res esset; Consiliarijs scelus & calumniam obiectat, Iudicibus profligatam in iudicijs fidem, Ecclesiæ hæresin & apostasiam;

stasiam; totam denique remp. bonis, sapientibus, religiosissimis quibusque ciuibus suis odiosam facit. At enimuerò pudore omni destitutum esse oportet qui dicere pro Garneto, nequissimo proditore, causam audeat, & qui illum excusat, & innocentem denunciat, quem voce habuimus nos, habemus adhuc manu confitentem reum; quem ille tandem, si è re Iesuitica & Romana fuerit, non accusare paratus est? Quanquam non Garnetum solum excusat; etiam Catesbeium, Perceium, reliquosque illos omni peccati noxa liberat. Incredibile fortasse dictu, sed tamen verè hoc à me dicitur. [a] *Non enim peccat*, inquit, *qui probabiliter licere existimat id quod agit.* Secutos autem illos ait *probabilem opinionem*, quippe [b] *magnorum virorum authoritate nitentem*. Est enim illis [c] *probabile*, teste Garneto, *quod duos tresve habet graues authores*. Atque hoc argumento defendit *iure illos ab Hammmondo absolutione donatos esse*, quòd *probabilibus rationibus rem aggressos, eoque culpa ac peccato immunes existimaret*. Securum ergò iam per Iesuitas sicario & gladiatori, vt Principis sui iugulum petat; neque peccat qui pro Romana perfidia procuranda, infanda strage Principem & patriam, nobilitatem & plebem, totum regni delectum florem, sontes simul & insontes, vno momento in cineres dat, quia *probabilem* habet *opinionem* quam sequatur. Quare vnâ iam lineâ Martyres illi omnes insigniti, non Garnetus modò aut Hallus, sed Catesbeius, Perceius. Ergo pariter omnes stramentitij Diui & mirum quoque ni miraculis illustrati. Interim verò dum causam hanc agit Cretensis iste Aduocatus,

a *Apolog. pag. 274.*

b *Pag. 276.*

c *Tract. de Æquiuocat. Angl. manuscript.*

quæ dogmatum portenta quanta cum Principum iniuria defendit? Detestabilem illam pestem *Æquiuocationis*, perniciem humanæ societatis, propugnare non dubitat, qua interrogatis popularibus suis integrum esse faciunt, mendacijs & periurijs manifestissimis eludere magistratus, qui modò per Pontificem incompetentes sunt. Quin & dum in titulo capitis promittit [d] *diluere calumniam de deponendis Regibus*, decernit ille Regibus fines suos, & damnatâ iam toto orbe sententiâ sententiæ Pontificis obnoxios facit, vt [e] *zizania* scilicet *à Patrefamilias*, vbi adlibuerit, *eradicari iubeantur*. Atque vt absque periculo ad Principum perniciem communicare consilia possint, pars est altera prodigiosæ defensionis, ea quæ per confessionem dicuntur, [f] ne pro capite Regis, ne pro totius reipub. salute enunciari oportere. Noua hæc sunt & priscis seculis inaudita, sed tamen ita dijs Romanis placet, & feruntur istæ leges è Capitolio, quibus Reges vt sint prodigi salutis suæ obtemperare iubeantur. Quid agitis interim, Principes, compello simul omnes quorum hîc omnium communis causa est; quid agitis, inquam, qui in tanta ista iniuria patientes estis? An patimini vt de proditoribus vestris fiant Numina, & vt leges vobis iubeantur, qui soli per Deum orbis terræ legumlatores estis? Recognoscite verò qui sitis, quo vos Deus loco constituit quos fecit orbis Christiani columina, firmamenta humanę societatis, *vicarios* suos & in *solio suo* consessores, eoque supremos secundum se rerum omnium moderatores. *Est* enim *Rex*, authore [g] Tertulliano, quod ex alijs quoque [h] postea docemus,

[d] Apol. pag. 56

[e] Apol. pag. 66

[f] Pag. 355.

[g] Cont. Marciō lib. 1. sub init.

[h] Cap. 3. pag. 36. b. & cap. 5. pag. 68.

cemus, *summum magnum in solio suo vsque ad Deum*. Quin ergò tuemini ius vestrum, nec imposturam vobis faciant Pontificiæ monarchiæ conductitij Mangones. Facite vt huic maledicentiæ monstro restis gulam occludat. Agite ne Bellarminis istis, ne Becanis, ne Dæmonibus, ne Pontificibus ipsis insaniendi in vos potestas sit. An sedetis dum quisquiliarius quisque homuncio de iure vestro, de potestate, de vita decernit, & proditorem Domino suo Pontificem [i] *superponit honori imperij vestri?* Durum hoc olim Gregorio, durum nunc & vobis esto. Vsurpauit ille iam per aliquot secula potestatem vestram, & quidem in vos, sed tempus iam vt resumptis cuique vestrûm suis plumis de nuda cornicula risum moueatis. [k] *Possessor malæ fidei nulla temporis longinquitate præscribit*. Ac gratiæ quidem tibi debentur à Principibus, inclytissime Rex, qui viam cæteris exemplo tuo præire voluisti, actionem hanc repetundarum in publico Christiani orbis theatro instituens, Regioque nomini *Maiestatem* asserens quam ante seculum Hildebrandi nunquam audierat antiquitas Pontificibus attributam. Insidiatur hîc tibi serpens, & calcaneum mordet, sed nunquam comminuet caput, quod veritatis diuinæ galeâ munitum vulneri non patet. Gestit verò mihi animus repetere mecum quàm despectissimis chartulis oppugnent in hac causa Celsitudinem vestram. Cominus agere nemo adhuc ausus; omnes tanquam ex insidijs pugnant. Ne Bellarminus quidem ipse manendum putauit in prælio. Vbi *torturam* ampliùs ferre non potuit, submisit anserculos suos qui gingritu ferè obtundunt, & exor-

i Gregor. lib. 4. epist. 33.

k Regul. iuris.

quæ dogmatum portenta quanta cum Principum iniuria defendit? Deteſtabilem illam peſtem *Æquiuocationis*, perniciem humanæ ſocietatis, propugnare non dubitat, qua interrogatis popularibus ſuis integrum eſſe faciunt, mendacijs & periurijs manifeſtiſſimis eludere magiſtratus, qui modò per Pontificem incompetentes ſunt. Quin & dum in titulo capitis promittit [d] *diluere calumniam de deponendis Regibus*, decernit ille Regibus fines ſuos, & damnatâ iam toto orbe ſententiâ ſententiæ Pontificis obnoxios facit, vt [e] *zizania* ſcilicet *à Patrefamilias*, vbi adlibuerit, *eradicari iubeantur*. Atque vt abſque periculo ad Principum perniciem communicare conſilia poſſint, pars eſt altera prodigioſæ defenſionis, ea quæ per confeſſionem dicuntur, [f] ne pro capite Regis, ne pro totius reipub. ſalute enunciari oportere. Noua hæc ſunt & priſcis ſeculis inaudita, ſed tamen ita dijs Romanis placet, & feruntur iſtæ leges è Capitolio, quibus Reges vt ſint prodigi ſalutis ſuæ obtemperare iubeantur. Quid agitis interim, Principes, compello ſimul omnes quorum hic omnium communis cauſa eſt; quid agitis, inquam, qui in tanta iſta iniuria patientes eſtis? An patimini vt de proditoribus veſtris fiant Numina, & vt leges vobis iubeantur, qui ſoli per Deum orbis terræ legumlatores eſtis? Recognoſcite verò qui ſitis, quo vos Deus loco conſtituit quos fecit orbis Chriſtiani columina, firmamenta humanæ ſocietatis, *vicarios* ſuos & in *ſolio ſuo* conſeſſores, eoque ſupremos ſecundum ſe rerum omnium moderatores. *Eſt* enim *Rex*, authore [g] Tertulliano, quod ex alijs quoque [h] poſtea docemus,

d *Apol. pag.* 56

e *Apol. pag.* 66

f *Pag.* 355.

g *Cont. Marciõ lib.* 1. *ſub init.*

h *Cap.* 3. *pag.* 36. b. & *cap.* 5. *pag.* 68.

cemus, *summum magnum in solio suo vsque ad Deum.* Quin ergò tuemini ius vestrum, nec imposturam vobis faciant Pontificiæ monarchiæ conductitij Mangones. Facite vt huic maledicentiæ monstro restis gulam occludat. Agite ne Bellarminis istis, ne Becanis, ne Dæmonibus, ne Pontificibus ipsis insaniendi in vos potestas sit. An sedetis dum quisquiliarius quisque homuncio de iure vestro, de potestate, de vita decernit, & proditorem Domino suo Pontificem [i] *superponit honori imperij vestri?* Durum hoc olim Gregorio, durum nunc & vobis esto. Vsurpauit ille iam per aliquot secula potestatem vestram, & quidem in vos, sed tempus iam vt resumptis cuique vestrûm suis plumis de nuda cornicula risum moueatis. [k] *Possessor malæ fidei nulla temporis longinquitate præscribit.* Ac gratiæ quidem tibi debentur à Principibus, inclytissime Rex, qui viam cæteris exemplo tuo præire voluisti, actionem hanc repetundarum in publico Christiani orbis theatro instituens, Regioque nomini *Maiestatem* asserens quam ante seculum Hildebrandi nunquam audierat antiquitas Pontificibus attributam. Insidiatur hìc tibi serpens, & calcaneum mordet, sed nunquam comminuet caput, quod veritatis diuinæ galeâ munitum vulneri non patet. Gestit verò mihi animus repetere mecum quàm despectissimis chartulis oppugnent in hac causa Celsitudinem vestram. Cominus agere nemo adhuc ausus; omnes tanquam ex insidijs pugnant. Ne Bellarminus quidem ipse manendum putauit in prælio. Vbi *torturam* amplius ferre non potuit, submisit anserculos suos qui gingritu ferè obtundunt, & exer-

i Gregor. lib. 4. epist. 33.

k Regul. iuris.

to collo minitantur, & prætereunti togam vellicant, & cum insano strepitu tamen illæsum immittunt. Perge ergò, Rex augustissime, fœlicitèr quà cœpisti, profiteri ius tuum, nec tuum modò, sed aliorum quoque Principum qui nondum recognoscunt suum. Erit quando aspirabit Deus incœptis tuis, & aperiet reliquorum Regum oculos, vt coniunctis tecum viribus repetant sua, & meretricem illam excorient, quæ blanditijs suis & hypocrisi regnum ambiuit & obtinuit, & cum fastu atque superbia intolerabili occupauit. Interim succenturiati Maiestati vestræ causam hanc agimus & calamo propugnamus quod Deus tandem gladio asserere decrevit, quando erit [1] *vox fugientium & euadentium è terra Babylonis, vt annuntient in Sion vltionem Domini Dei nostri et vltionem templi eius.* Qua in re vt accepta sit Maiestati vestræ opera mea humillimè precor, qua fidelitèr egi vt innotescat orbi Christiano quàm exterminio digna sit Roma illa quæ Iesuitas alit & emittit, pestes humani generis, faces rerumpub. totius orbis incendiarios, per quos sedulò agit vt collapsum regnum denuò recipiat & potentissimos Monarchas sibi subiugatos teneat. Videtur illa nuper remittere aliquid de pristina illa potestatis suæ iactantia, sed *respectiuè* id tantùm; quo respectu incertum est, nos interpretamur, *quousque* commodè resorbere poterit venenum illud quod vomuisse videri vult. Mutat Scripturam, sententiam non mutat; quomodo enim mutat in Becano, quod mordicùs tenet in Bellarmino? Notum est nobis illud, *rebus sic stantibus & donec executio Bullæ fieri poterit.* Conseruet Deus Maiesta-

tem

[1] Ierem. 50. 28.

tem vestram à gentis illius insidijs, quique impia Garneti consilia in lucem dedit, & nefarium proditorem in foueam suam præcipitauit, idem reliquorum omnium hostiles conatus infringat, & in irritum ire faciat, vt diu Ecclesia præsidio vestro fruatur, & sub vmbra palmitum vestrorum foelicitèr & piè floreat vsque ad diem aduentus Iesu Christi. *Amen.*

Serenissimæ Maiestati vestræ à sacris seruus & subditus humillimus & deuotissimus,

ROB. ABBOTT.

Christiano Lectori salutem.

HAbes hic tandem, Christiane Lector, Antilogiam nostram aduersus impudentissimam illam & impijssimam Eudæmon-Ioannis Apologiam pro Garneto. Qui ille homo & vnde sit, haud constat opinor: ego ex quo Apologiam eius inspexi, gentis nostræ profugam esse nunquam dubitaui, ita ille per integrum hunc librum rebus nostris tanquam immersus est. Id verò confirmat mihi haud parùm quod accepi ab Oxoniensi quodam nostro, probatæ fidei viro, cui Duaci peregrinanti, & ibi in platea deambulanti, cōmonstrauit hominē illo nomine familiaris quidā, & illum esse dixit qui in meam Antichristi Demonstrationem Responsionem ediderat, & porrò monuit dictum esse ibi Fisherum, & solitum esse alijs locis alijs quoque nominibus nuncupari. Quin & audio dictum esse alibi Deuoraxium, vt eum verè Iesuitam, Garneto similem, hoc est, multinominem agnoscas. Quòd si ita sit, percommodè ille nihilominus Cretensem se credi voluit; quia Cretenses semper mendaces, & in prouerbium venit, Græcus & impostor est, neque illo vsquam ad calumnias & mendacia scurra quisquam audacior & profligatior inuentus est. Sin me coniectura fallit, & verè ille Cretensis est, tantò magis obtemperat genio, & ostendit verè se id esse ad quod insito gentis suæ vitio comparatus est. Nec certè nisi delectu magno venit in hæc certamina, non quòd doctrinæ laude aliqua præcellat, sed quòd audacia, quòd temeritate,

te, quòd perfidiâ, quòd malitiâ venenatâ cæteris superior inuentus sit, cui certa est vbique sententia certare magis impudentiâ quàm causâ, fronte quàm veritate. Et videtur mihi quidem similis Ismaeli, [a] cuius manus contra omnes, & omnium manus contra illum, *dum vbique circumcursitat tanquam canis rabiosus, hunc, illum, alterum petens, & vellicat hic aliquid, ibi aliud rodit, alibi latratu molestiam facit, nusquam aliquid præstans quod erudito & graui Theologo dignum videri debeat, sed Becano similis, id tantùm agens vt despectissimis chartulis frequens nomen eius in nundinis habeatur. Hic ille est ad Garneti Apologiam conductus Rhetor, qua ita perfunctus est vt non possit ei Bellarminus non mulcere caput, & ingenium illud probare quod tam affabrè ad rerum Romanarum compendia fingendo & calumniando conformatum est. Et dignus quidem Garnetus, cui talis Aduocatus in subsidium veniret, homo ab adolescentia probro & scelere contaminatus, vt primis postrema respondisse haud mirum sit. Erat ille olim alumnus celeberrimæ scholæ Wintoniensis, quo tempore Præfectus scholæ fuit Reuerendus ille doctrina & grauitate Wintoniensis nunc episcopus, cui etiamnum viuenti notum est quod iam narro. Fuit autem aliquantò grandior factus vnus ex Præpositis quos vocant, quorum munus est cæterorum delinquentium nomina deferre, ex quo ambire gratiam illorum cæteri solent, & sibi quoad possunt conciliare conari. Ergò quòd pessimo & procliui ad nequitiam ingenio esset, nec ferret manum illam qua castigandus, & à malis moribus coercendus esset, solicitauit ille quosdam ad consilia sua, cumque ijs coniurationem iniijt ad vim Ludimagistro afferendam, eiq; dextram manum præcidendam; omine pessimo quasi prænun-*

[a] Gen. 16. 12.

nuncians qualis in Principes & magistratus & Præfectos suos postea futurus esset. Ad reliquam prauitatem vitiosæ libidinis monstrũ accessit, qua ex cõdiscipulis quinq; aut sex quos speciosiores adamauerat, Romanâ si velis, siue malis, Sodomiticâ impuritate constuprauit. His moribus videtur ad Iesuitismum formatus esse, vtpote qui tum Catacatholicæ superstitionis fermento vitiatus est. Cæterùm admonitus de qualitate hominis Archipædagogus, quo tempore ad festum Pentecostes pro consuetudine intermittenda schola, & ad suos cuique proficiscendi concedenda libertas esset, conueniendum illum censuit, & quòd ei spes erat redeunti futurum, vt ad Nouum Oxoniensè *collegium promouendus esset, apertè significauit commodè facturum si deponat spem illam, discedat potiùs sibiq; alibi locum paret, notos sibi mores eius, quos certum erat Electoribus indicare nisi consilio suo pareat. Paruit ergò inuitus & breui ad Tottelum nostrum Typographum se confert, apud quem pro libris Iuris imprimendis Corrector ad prælum fuit. Non multò verò pòst in transmarinas partes transfugit, vbi ita profecit in peius vt tandem in Iesuitam euaserit, nec tantùm Iesuita sed Prouincialis aut Superior tandem Iesuitarum in Anglia factus sit. Hic verò ita vixit, vt à proditionum consilijs nunquam immunis esset. Ne verò solitudine aliquando tædium sibi faceret, nobilem quandam fœminam se dignam in sodalitium asciuit, quam vbique circumduxit, & intimam in sinu habuit, deq; suo nomine nuncupatam, quippe quæ se scripsit in literis* A. G. *hoc est,* Annam Garnetam. *Ita scilicet sibi consuluit, ne nimium potato, nam & hac quoque labe non caruit, deesset qui somnolento puluinar admoueret, vt caput fractum & debile tam placida quiete refectum,*

ad

ad Iesuiticas occupationes reuerteretur. Mentiendo & peierando & diras sibi imprecando, ita partes suas egit in hac tragœdia, vt honoratißimos Delegatos ferè percelleret, & planè se ostenderet hominem impium, irreligiosum, & Dei timore destitutum. Sed tamen qualiscunque ille fuit, quia Iesuita fuit, deesse ei à paribus patrocinium non potuit, eóque electus Cretensis iste noster qui Apologiâ in publicum editâ illum à labe vindicaret. Qui ne Garnetus Martyr non sit, oculos nobis euellit, aures obstruit, sensus & animos effascinat, vt videamur nobis per caliginem vidisse omnia, & secus accepisse quàm veritas fuit. Vt autem Actionem in Proditores; *nominatim illam in Garnetum infirmare videri posset, arte magis quàm viribus vsus est, non ausus Iudices apertè perstringere, viros illustrißimos, quorum Garnetus sententia damnatus est, sed furorem omnem conuertens in Accusatorem, Aduocatum Regium, qui nunc honoratiore loco Iudex est* Communium placitorum, *quasi pro tribunali illo satis fuerit tantummodò accusasse, & exitus iudicij à sola indictione causæ profectus sit. At nihil ibi narrauit Attornatus quod non chartis confeßionum, reorum & iuratorum testium manu consignatis, expressum, et in iudicio lectum est: nihil cuius non conscios habuerit honoratißimos Delegatos, ita vt* [b] obnixè ab illis petierit, vt siquid præsenti tum negotio necessarium è memoria excidisset, in memoriam sibi reuocare non dedignarentur: *nihil quod non quadraginta ferè hominum conscientijs tenebatur, quorum ex præscripto iuris erat ex allegatis et probatis de reatu pronunciare, prout capite primo ostensum est. Quàm stultè ergò hic Apologista ludit, vt labefactet et infringat quod tot tantorumq; hominum sententia*

b *Act. in prodit. pag. 135.*

constitutum est. Et ego quidem ex ijsdem ipsis Actis ita mihi causam egisse videor vt pudere iam debeat Andream meum vltra pro Garneti Martyrio verba facere, vel insontem dicere illum quem autographa sua capitaliter reum fuisse fatentur. Quid enim? an dixerit ille quod * Erycius Puteanus, scripta à nobis esse posteriùs quæ Garneti autographa fuisse dicimus, pro literis eius nouas esse confictas? At nihil hoc putidius, nihil stultius dici potuit. Nota ista Regi, nota honoratissimis viris, & illis audientibus multa ab ipso Garneti ore accepta; nonnulla Rege postulante ad ipsum, nonnulla furtim ad suos ipsâ suâ manu et illa quidē notissimâ scripta; & nonnulla quidem ante iudicium quæ palam ibi audiente ipso recitata, nec vlla in re negata ab illo sunt. Habemus illa etiamnum in manibus, & est ex quo impudentiam istorum hominum ipsa rerum luce coarguamus. Quid ergò moremur Dæmones istos & Hericios? quibus perfugium aliud nullum quàm quod latronum & proditorum esse perpetuò solet, scindere nodos quos soluere non possunt, & strenuè negando ea depellere, de quibus irrefragabili argumento conuicti sunt. Quàm facile verò hoc modo malefici transeunt in innocentes? Pari verò modò agit Apologista circa alios Elizabethæ tempore submissos à Iesuitis proditores, quos recensuit in accusatione Attornatus Regius, vt ingenium illorum proditionum semper fœcundum ostenderet; iste verò vel immunes facit proditores ipsos à crimine, vel cum Iesuitis saltem nihil vnquam consilij habuisse defendit. Ego verò ex Actis tabulisq; consignatis & spontaneis partium confessionibus Iesuitas ostendo coniurationum illarum authores & procuratores, contra quas insanus iam sit qui blateronis huius, improbi hominis, ineptis cauſationibus & subterfugijs

* Eryc. Puteā. strict. pag 35. 36.

gijs

gijs auscultandum putet. Et est ille quidem ita vbique audacissimus ad omnia, prout vsus erit, siue dicenda, siue neganda, ita in omnem calumniæ & maledicentiæ licentiam effusus, & modò aliquid ad lædendum dicat, ita nihil pensi habet quid dicat, vt eo ipso ipse sibi fidem abroget, & planè ostendat suspectum saltem esse debere quod certa malitia, non pia conscientia legendum exhibet. Placétne exemplo vno aut altero ingenium hominis experiri? Literas illas ad Aldobrandinum & Bellarminum, quas commeminerat ante Bellarminus, ijsq; credi voluit fidem à Rege factam Pontifici & Cardinalibus de sua in religionem Catacatholicam propensione, Balmerinochus Secretarius tum Regius, sua fraude citra Regis conscientiam surreptas agnoscit, id quod orbi Christiano, tum confessione Balmerinochi, tum certißimis porrò argumentis in Tortura Torti comprobatum est, et postea quoque per nos patebit suspectas semper fuisse ijsdem ipsis ad quos scriptæ sunt. Et tamen sacrilegus iste, qui furorem in Principes sibi laudem facit, iterum repetit calumniam illam, & [c] Prolatis, *inquit*, ijs literis id agimus, vt Regem aut inconstantiæ aut perfidiæ arguamus. *Quin vide quid addat;* Scimus enim, *inquit*, quid Maiestati Regiæ, quid Mariæ Scotorum Reginæ filio debeamus. *Quis verò hìc contineat se vt huic cani non amputet caput illud inuisum, quod tantæ Maiestati tam indignam contumeliam facit? Elizabetham Reginam qua nihil illo tempore orbis terrarum vidit illustrius, indignißimus furcifer Sanderum secutus quanto natalium probro dedecorat, quasi* [d] *Henrici octaui ex filiâ nothâ neptis pariter & filia fuisset? Nempe ita rem narrat Sanderus* [e] *Thomam Bolenum Equitem auratum legationem in Galliam pro Henrico Rege obijsse,*

c *Apolog. pag.* 304.

d *Ibid. pag.* 116

e *Sander. de Schism. Angl. pag.* 15.

ea ratione delectum à Rege ad hoc negotij, vt ipse interim liberiùs eius vxore ad libidinem frueretur. Regem ergò interim cum illa consuetudinem habentem, Annam Bolenam Elizabethæ matrem genuisse, eamq; post ita sibi notam in matrimonium accepisse. Quod vt planè incredibile per se est, ita cum rerum nostrarum historia tam apertè pugnat, vt frontem prorsus exterminasse censendus sit, qui tam crasso mendacio fidem facere conatur. Constat enim ex Annalibus nostris [f] Thomam Bolenum non ante annum Henrici Regis decimum legationem illam biennalem inijsse. Nec verò minùs certum est Annam Bolenam ante regnum Henrici procreatam, quippe quæ quando Henrico nupsit annum egit vicesimum quintum, agente tum Henrico [g] annum regni vicesimum quartum. Cui rei fidem aliquam facit quòd per Sanderum ipsum constat, plures annos antè natam esse, quàm Thomas Bolenus in illa legatione mitteretur. Agnoscit enim illam [h] quindecim annos natam in Gallias ablegatam esse, ibiq; apud nobilem quendam educatam ad tempus, postea transijsse in Aulam Regiam; deinde in Angliam reuertentem hic in Regiam familiam ascitam esse. Et hic quidem Catharinæ Reginæ officium fecit, priusquàm quicquam de eius repudio tractaretur, quod nemo Reginam credat admittere voluisse, si infandis illis probris, quibus illam onerat Sanderus, notata esset. Postquam verò repudium agi cœperat anno regni [i] vicesimo, cœpit Rex [k] Annam ambire anno vicesimo primo. Sed illam tamen in coniugium non assumpsit ante mensem [l] Nouembrem anni vicesimi quarti. Ita ferè tres anni aut certè integri intercesserunt priusquam cum illa nuptias contraxit, vt multùm ab annis illis quos diximus abfuisse, Sandero ip-

f Holinshead. chron. pag. 849

g Ibid. pa. 929

h Sander. vt supra pag. 16. 17. &c.

i Holinsh. pag. 906.

k Ibid pa. 908.

l Ibid pag. 919

so

so authore, credi non possit. Fac anno secundo tertióue Regis Henrici natam esse, certè septem minimùm aut octo annos habuit, quo tempore pater Thomas Bolenus biennium illud legationis inchoauit, vt cæcum malitia, aut certè insanum fuisse necesse sit, qui illam tempore illo natam refert, quo Bolenus in Gallia versatus est. Quòd si à tempore legationis illius annos numeremus ad tempus quo Henricus Annam primò deperijt, manifestum est illam tunc annos nonnisi nouem natam esse, & quisquam tam insanit vt credat virum quadragenarium in puellulam nouennalem animum conijcere potuisse? Suscepit eam porrò in matrimonium anno regni 24. die mensis Nouembris 14. & ex ea filiam Elizabetham anno regni [m] *vicesimo quinto, die septimo Septembris; vt si absente Thoma Boleno nata sit, annum certè decimumtertium attigisse non potuerit, quando Elizabetham enixa est, quam tamen quindecim annos natã Sanderus agnoscit priusquam in Galliam profecta sit. Quis iam non detestetur improbos nebulones, quos oppressa conscientiæ suæ luce monstra ista fabularũ & mendaciorum orbi Christiano propinare non pudet? Animaduertendum verò est Sanderũ, vbi rerum istarum historiam instituit, in notandis temporibus quàm parcus, quàm nullus sit, quia persensit optimè, si ad calculum hunc narratio illa reuocetur, mox ipsam se prodere quàm ab omni veritate aliena sit. Græculus verò iste noster Dæmon-Ioannes pro illa qua est gulæ latitudine & destinato in religionem malitiæ furore, auidissimè vorat ista omnia, nec minùs facilè pro occasione regurgitat, vomitúq; isto chartas aßiduè conspurcat, nesciens miser ex aliorum se pyxide miscere sibi venena, quæ visceribus illis impuris æternos cruciatus factura sunt.*

[m] *Ibid. pag.* 934.

Iam qui cum Principibus sic agit, nihil mirum si alios omni calumniarum impudentia petat, quomodo egit nuper in Isaacum Casaubonum virum singulari doctrinæ laude merito suo commendatissimum, in quem vt vindictam faceret quòd mendacia eius impudentissima ex conspecta rerum nostrarum integritate detexisset, mendacia illa, vindictæ studio, noue de patre eius mendacio sciens cumulauit, quem nebulosus nebulo[n] *Carnificem credi vult, & in funiculis occupatum. Atqui notissimum est Arnaldum Casaubonum Casauboni nostri parentem Ministrum fuisse Ecclesiæ Gallicanæ, virum summa virtute atque doctrina præditum, qui initio belli ciuilis vltimi, Diæ Vocontiorum in ea parte Galliæ, quæ hodie Delphinatus dicitur, vbi conuenerant illarum partium Proceres & illustres viri qui è Protestantibus fuerant cum Lesdiguerio Prouinciæ illius gubernatore concionem habuit probatissimam, qua dum maximo zelo & feruore rem agit de sudore vehementi dum Concilio nihilominus interesse desiderat, in febrem incidit, ibiq; mortuus & sepultus est, efferentibus funus honoratissimis quibusdam ciuibus, deducentibus præter reliquam ciuitatem illustribus è nobilitate viris qui communi causa tempore illo Diam conuenerant. Sed dura frons & lingua maledica suffocatâ per malitiam conscientiâ quid non audent? Et ego certè multas apud homines istos impudentias vidi, sed impudentiorem Dæmone isto vidi neminem, qui dum nihil scit, audacissimus est ad omnia, & vix quidem tinctus Theologia, lingua tantùm acutus, eâ se putat cum doctissimis quibusque congredi posse, & videri agere omnia, vbi nihil agit quod causa dignum sit. Meas verò ille chartas quales quales sunt, primas, quantum scio, delegit in quas incurreret,* Demonstrationem Antichristi

n Respons. ad epist. Is. Casau. pag. 95. & 168

scalpens

scalpens hìc illìc & mordens, non vllo modo conuellens. Sed scripsit ille ibi tantùm vt ingenij sui specimen daret, quod etsi doctrina parùm valeret, eiusmodi tamen animaduersum est quod percommodè ad pessimas quasque causas siue malis patrocinandis, siue calumniandis bonis adhiberi posset. Despexi quidem ego temeritatem hominis & inscitiam, & ne grauiora illa omitterem, quibus in domestico certamine occupatus sum, cum illo despectu dimisi hominem, haud quidem dignum cui bonas illas horas collocandas existimarem. Sed dabitur spero aliquando otium recensendi opus illud & recudendi, quod si Deus annuerit, castigabo hominem breuissimis animaduersionibus, nugas nugacissimas prolixiore responsione non dignabor.

ERRATA.

Pag.1.lin.13,14.Genus hominum,dico.lege,Genus hominum dico, Pag.5.a.l.26.malo,lege,mala. p.13.a l.22.& tractatum,deleatur,&. ibid.l 23.suo,lege,sua. p.14.a.l.32.sophiæst,lege,sophistæ. p.20. b.l.5.semper,lege,super. p.27.b.l.18 aniculæ,lege amiculæ. p.38.a.l.3.nobis,lege,vobis. ibid.b.l.6. aduento,lege,aduertò. p.48.a.l.7 arman,lege,armantur. ibid.b.l.29.quisque,lege,quisquam. p.59.b. l.32.multa,lege,nulla. p.60 a. l.21.Catholico,lege,Catholicis. p.61.a. l.15.Lothos,deleatur. p.63.a, l.13.confirmatam,lege,conformatam. p.68.a.l.10. &, lege,vt. p.72.a.l.21. maritas, lege,maritatas. p.74.a.l.27.hoc tam,lege,vnquam hoc. p.105.a.l.15.meretrices,lege,meretricis. p.106.b. l.27.succo citrino,deleatur. p.112.a l.16.stultò.lege,stultè. ibid.l.36.Itanè verò nequid officeret causæ deleatur. p.120.b.l.23.seductionem,lege,seditionem. p.132.a.l.6.proditorum,lege,perditorum. p.152.b. l.29.obedire,lege,obire. p.154.a.l.9.splendorem ornamenti,lege,splendoris ornamentum.ibid.b.l.38 sanctum,lege,functum. p.173.b.l.27.proferente,lege,perferente. p.178.b.l.37 haud sit,lege,haud opus sit. p.184 b l.18.seminando,lege,somniando. p.188.b. l.22. reuolandæ, lege,releuandæ. p.189.b. l.6.arbitrantur,lege,arbitratur. pag.147. b in marg. 30.lege,3.

ELENCHVS CAPITVM, CAPITIBVS Apologiæ ex aduerso respondentium.



AD APOLOGETICVM PRO GARNETO, ANTILOGIA.

CAP. I.

Actio in Garnetum iusta fuisse defenditur. Duodecimviralis processus noster antiquissimus & æquissimus comprobatur.



QVOD de Legatis Pontificijs conquestus est olim Ioannes noster Sarisburiensis, idem nos hoc tempore de Iesuitis iure ac meritò vsurpare poterimus;[a] *Sic eos vbique debacchari, acsi ad flagellandam Ecclesiã Satan egressus esset à facie Domini.* Genus hominum, dico pestem hominũ, orbi Christiano supra quàm dici potest, exitiosum; quibus in voto & expedito est, sub obtentu pietatis & fidei, qua nulla cogitari potest maior iniquitas, miscere summa imis, prophana sacris, motus & turbas excitare, creare rerumpubl. incendia, reges regumque populos inter se committere, periuria, proditiones, parricidia subornare, neque vllum illis, quod in rem & vsum cedat, illicitum aut intentatum nefas est. Atque illorum quidem eò tandem progessa est audacia & impudentia, vt scelerum non artifices modò & consultores, quod clanculum esse possent, sed laudatatores palàm & aduocati facti sint; quæque ab orbe condito nonnisi nefaria & flagitiosorum hominum probra iudicata sunt, ea prædicare non dubitent tanquam honesta & iusta, quin & tanquam acta Diuorum & trophæa Martyrum im-

a Ioan. Sarisbur. in Polycrat.

mortalitati consecratę. Henricus Garnetus, siue is Walleius, siue Darceius, siue Robertsius, siue Farmerus, siue Philipsius dicendus sit, (nam singulis istis nominibus gnarus proditoriæ artis singulis hìc illìc locis per Angliam oberrans nuncupandum se dederat, quod latrones potiùs & circumforaneos impostores quàm Christi confessores & Martyres consueuisse constat) Garnetus inquam iste, Iesuitarum in Anglia Principalis, communicato sibi consilio de displodendis tormentarij pulueris impetu prima ipsa Comitiorum solennitate Parliamentarijs ædibus nostris, per summam impietatem adblandiens, detecta diuinitus coniuratione captus, suisque & suorum indicijs in iudicio reus compertus, capitis supplicio in causa læsæ Maiestatis vsitato damnatus simul & affectus est. Prodigium est quod narro, incœptum horrēdum, quo post homines natos nihil vnquam atrocius aut immanius auditum est, vno momēto maiestatem simul & stirpem Regiam, reuerendam Episcoporum sanctitatem, Optimatum illustrium magnificentiam & splendorem, venerabilem grauissimorum Iudicum senatum, lectissimos ex toto regno publicorum negotiorum consultores, Iurisperitorum cum clientibus & ministris exercitum grandem, denique per illos totam simul remp. tanquam vna ceruice ex Caligulæ voto succidendam horribili exitio & internecioni destinatam. Historiam totius negotij & iudiciariam in proditores actionem in luce orbis & celeberrimo Ordinum omnium conuentu habitam Rex inclytissimus non Anglicè tantummodò describendam, sed Latinis quoque typis euulgandam curauit, vt quo iure in homines sceleratos animaduersum esset, exteris quoque Principibus & populis clarè perspectum esset. Atqui verò prodijt non ita pridem fœdissimum nescio quod ex illis Iesuitarum latrinis animalculū, personatus conficto nomine Cacodæmon, homo inuerecundus, dicax, procax, pariter frontis & fidei expers, qui excogitatis opera & studio calumnijs conspurcare quasi stercore actionem illam omnem, & rei notissimæ simul & probatissimæ fidem quantum potest imminuere conatur. Scilicet egressus iam pridem è schola & calens adhuc Rhetorum studijs, per aliquantulam dicendi facultatem excantare se homines vt nihil sapiant, & in stipites & saxa transformare posse arbitratur. Lacessierat me Dæmon iste anno altero superiore edita aduersus meam Antichristi Demonstrationem qualicunque

dispu-

disputatione, non ausus iusto bello contendere, sed hic illic more suo tanquam ex insidijs petens, meaque omnia malitiosè conuoluens & confundens, vt haud ita facilè mendacia & fraudes eius, & perfidæ tergiuersationum artes & imposturæ animaduerti possent. Ego interim cum Bishopo nostrate rem habens, nostris potiùs in causa religionis quàm alienis consulendum ratus, neque quicquam apud illum videns quod lectorem sobrium, & in vtramque partem attentum permouere posset, contempsi hominem nonnisi lingua pollentem, quem experiundi tantùm gratia mihi in certamen commissum intellexeram, & responsionem in commodiora mihi tempora differendam putaui. Ille verò vbi hoc se vidit impunè ferre, audendum sibi aliquid vltra cogitauit, & idoneus à suis habitus propter singulare specimē perfidiæ qui in negotia grauissima se immisceret, Garneti sibi causam, cæterorumque Iesuitarum in illo proditionis consilio coniuratorum, contra fidem publicam improbus aduocatus patrocinio suo iuuandam suscepit. Atque hic quoque paululum dimissus, cœpit porrò aduersus summam Maiestatem insolescere, & Apologiæ Regiæ susceptam, & egregiè præstitam à reuerendo Eliensi Episcopo defensionem leuis armaturæ miles ligniculis suis & lapillis impetere, magis animi causa quàm quòd quicquam aduersus tantum virum, mille Iesuitis superiorem, se posse confidat. Atqui castiganda tandem visa est petulantissimi nebulonis impudentia, & rabido huic canunculo in vnumquemque obuium insanienti, quoad fieri potest vinciendum os, ne mordere amplius venenato dente & reipub. optimè constitutæ fidem & existimationem lacerare procedat. Vbi si illum asperiùs habuero, atrocissimæ ab illo factæ iniuriæ dandum est, quia florentissimi regni causa forensis & publica ab indignissimo blaterone, peregrino & quidem priuato homine furiosa planè amentia & conuiciandi libidine petenda non fuit. Neque verò par est cum profligatis & perditæ frontis hominibus molliter agi, nec habendus in benedictione qui tantam omnibus maledicendo voluptatem capit.

Ac vide hic in ipso limine fraterculus iste quàm nequitèr & improbâ contumeliâ rem agat. *Prodijt*, inquit, *famosus quidam libellus cui inscripto est, Actio in Henricum Garnetum, &c.* Itáne verò, furcifer? Tu acta publica Regio mandato & authoritate publica in vulgus edita, in *libellis famosis* annumeras? Actio Regis

 est

est per Commissarios viros illustrissimos, in subditos suos apertè proditores, & tu *libellum famosum* interpretaris? Siccinè verò Maiestatem tractari oportuit à sterquilinio? Sic ab indignissimo terræ filio Regium decus & dignitatem violari? Certè vel hoc vnum sufficiat ad insolentissimam audaciam tuam & insanam temeritatem coarguendam. At quid tu ita tandem πολυπράγμων, & in aliena rep. curiosus? Itáne vt tu nonnisi auritum animal de rebus nostris nos edoceas? aut apud vos quisquam cum ratione tam insanus est, cui tu de reip. nostræ negotijs fidem facias? *Tam multi*, inquis, *hoc tempore, tamq́; nobiles Catholici scriptores Angli consultò abstinuerunt*, & tu Græcus impostor manum admouere ausus es? Nempe intelligunt illi omnia de Garneto certissima esse & exploratissima; norunt patriam iudiciorum accuratissimam formam; norunt ista vestra nonnisi celeberrima solennitate & clarissima luce tractari, vt fronte sit plusquam ferrea qui contradicere quicquam audeat. Pudet illos hic vel hiscere contrà, etsi ferè nihil pudet. Tibi ergò homini nouitio, inconsulto adhuc & in omnia præcipiti, Claudus vester Aquauiua Apologiæ tam inuisæ prouinciam demandandam censuit, vt ordinis sui læsam tam grauitèr existimationem quoquo modo sartam tectam præstare posset. Quam tamen propterea ais à te susceptã, quòd summa tibi olim cum illo necessitudo interfuerit. At eo ipso te hominem suspectum esse statuimus, quòd tantam tibi cum homine perdito necessitudinem fuisse tam apertè fateris. Nam *vnaquæque auis*, vt Hebræorum prouerbio habetur, *propè genus suum habitat*, & [b] *vniuscuiusque proprium esse solet*, ait Gregorius vester, *vt qualis ipse fuerit, tales sibi coniungi & alios velit*. Tua ergò defensio nonnisi *dignum patella operculum*, nec miramur, quod tamen cupias magis quàm speres, te tanquam *in Christo quiescentẽ* affectu prosequi, quem tamen nihil est cur dubitemus in inferno esse, implorantem Elizabetham nostram vt mittat Iuellum aut Foxum aliquem, qui adhibita vel vnica aquæ guttula intolerabilem rabiosæ linguæ vredinem demulceat, saltem te tuosq́ue admoneat ne in locum illum tormenti veniatis. Quod autem ais, *clamare sanguinem fratrum vestrorum*, rectè tu quidem hactenus; clamat enim vindictam in vos, in Pontifices vestros & Iesuitas, & reliquam Antichristiani satellitij turbam, à quibus nefariè circumuenti sunt, vt pro pane cineres, pro medicina toxicum in delicijs

b *Gregor. Moral. lib. 8. cap. 30.*

licijs haberent, adeòque pro Christo Antichristum, pro [c] *Christo Domini* Capitolinum vestrum Iouem vsque ad periuria & proditiones & horrenda scelera propter illum suscepta venerarentur. Mihi verò crede, tu Andrea, non inuidemus vobis Martyres vestros, Martyres Iesuiticos, Pontificios, non Martyres Christi sed mancipes diaboli; stramineos Diuos, scortatores, ebriosos, periuros, hostes patriæ, perduelles, proditores; talis enim hic quem tu maximè defendis Garnetus tuus. Nempe ex Donatistarum disciplina Martyres vestri, quorum sedulò imitamini [d] *præcipitatorum vltrò cadauerum*, vt habet Augustinus, *sacrilegos cultus*, quibus idem rectè quod & nos vobis, [e] *Cum viuatis vt latrones, mori vos iactatis vt Martyres*, & de quibus idem aliàs quod & nos de vobis: [f] *Faciunt facta latronum & dæmonum, & gloriam sibi vendicant Martyrum.* Quare miratus sum, pessime Cacodæmon, impudentiam tuam tam singularem quâ libro tuo ausus es in causâ pessima sententiam illam Christi prænotare: [g] *Beati eritis cum vos oderint homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes propter me.* Quid? Garnetus tuus propter Christum passus, propter iustitiam occisus? Garnetus, inquam, quem literis ad Annam suam scriptis (O Martyrum vestrorum delicias) tam malè habuit [h] *quòd non iam propter fidem & religionem, sed propter proditionem sibi tanquam latroni moriendum esset?* O vos ad miraculum vsque à Satana dementatos, quos talium Martyrum non pudet: immò quos pudet, & tamen statutũ est non pudere. Cedò mihi quæso, compello te blandè mi Eudæmon, cedò mihi in veteribus illis Martyribus [i] *Albinianos* istos vestros *& Nigrianos & Caßianos*: cedò in Principum Maiestatem quocunque prætextu coniuratos: cedò Sigilli vestri dogmatistas, ne ob salutem quidem periclitantis ad ruinam vsq; reip. vllo modo reserandi! Tu mihi stultum scholæ vestræ commentum narras, quod ad Antichristi vsque tempora Christianus orbis ignorauit? Abi verò in rem malam tu cum Sigillo tuo, & ad Martyres tuos quàm primùm aduola, nequid porrò abs te resp. Christiana detrimenti capiat. Atqui de hoc postea videbimus; interim ne miremur te tam longa proboscide res nostras haurire, *Solertem esse*, dicis, *miseriam in inuestigandis malis suis, & eò porrigere aures quò nequit inferre conspectum.* Tu miseriam in inuestigandis, & ego malitiam pariter in fingendis, quæ fugitiuis qui-

c 1. Sam. 24. 7. 11.

d August. cont. lit. Petil. l. 1. c. 24.

e Ibid. l. 2. c. 83

f Idem cont. 2. Gaudent. epist. cap. 19.

g Mat. 5. 11.

h Garnet. autogr.

i Tertul. ad Scapul.

quibuſque aures porrigit, quod tu ſoles, quos ſemper compertum eſt eſſe mendaces, nec laborare quàm vera ſint quæ narrant, ſed quàm grata ijs quorum iam in fidem & poteſtatem abierunt. Quod idem agunt, quos hìc habetis, Exploratores veſtri, quibus ſolenne eſt ſpargere in vulgus fictionũ ſuarum rumuſculos & ad vos quoque trãſmittere, à quibus ſciunt bolos iſtos vmbratiles tã auidè vorari, Cæterùm hic noſter ad defenſionẽ Martyris ſui ſibi aditum parans, Catesbeium primarium proditionis authorem ſibi primò exornandum putauit, & paululum abfuit vt illum quoque inter Diuos ſuos, Catholica ſcilicet ἀποθέωσει conſecraret; hominem verò talem qualem eſſe proditorem oportuit, certante in eo cum ambitione malitia, aſtutum, ſubdolum, ingenio verſatili & perfido, & ad conſilia proditionis, nequid hìc nouum ſuſpicemur, iam antè aſſueto. Hunc autem cum vndecim illis & famulo ſuo Bateſio coniurationis teterrimæ reos non negat (& tamen quidni eadem fronte pariter omnes negat?) id tantùm conſulit, ne in ſocietatis ſuæ Patres (malùm) ſanctiſſimos pars aliqua tanti ſceleris aut conſcientia deriuetur. At ni conſcius Garnetus Martyr tuus, quid ei tandem, detecta coniuratione, vocem illam expreſſit, [k] *Metuere ſe ne de ſocietate actum ſit.* Cur ſibi, cur ſocietati metueret, ſi ſe, ſi illam ſceleris innoxiam ſentiret? Conuenio hìc, improbe, conſcientiam tuam, quî ei coorta hæc tam repentè deſperatio, quam Bateſius veſter confeſſus eſt, niſi ab equuleo & tortura mentis ſuæ? De reliquis agetur ſuo loco; tibi hoc vno interim *vox faucibus hæret*: hoc vno rem ad illum, ad Ieſuitas pertinuiſſe ſupra quàm abundè manifeſtum eſt. Tu verò contrà, *nonniſi duobus poſt detectam coniurationem menſibus rumorem increbuiſſe de Ieſuitis.* Eia verò, laudo te; ego interim, miſerrime ſorex, indicio tuo te prodo. Certè in eo candor Regis, candor regni; neque enim alioqui exulceratus animus continere ſe noſſet, nec credibile eſt laceſſitam tot tantiſque iniurijs patientiam, in tantum diſcrimẽ adductam, ſilentium ſibi vel ad momentum indicere potuiſſe. Suſpectum eſt quidem initio de vobis, quos tam numeroſa proditionum ſerie nobis tam infeſtos experti ſumus, nec facilè creditum negotium à veſtris tam grande niſi vobis arbitris auderi potuiſſe. Quòd ſi ſuſpicione rem agere libuiſſet, & tantùm animi cauſa Ieſuitarum nomen in illam quæſtionem inducere, tùm id factum oportuiſſet cùm in recenti res eſſet.

[k] Actio. pag. 85.

esset, nec certè accensa toties à vobis ira, aut reposta mente alta perfidiæ vestræ memoria, primo ipso periculi sui sensu consopita iacuisset. Sed nihil est factum fortuitò, nec sermone quicquam ad tempus vsurpatum in vos, quod tu fateris; nihil rumore iactatum priusquam id certis reorum rerumque ipsarum indicijs constitisset. Neque verò mirum haud statim explorata fuisse omnia, quia viginti tres dies per interualla in quæstione sunt habiti, & ex coniuratis aliqui per quos penitiùs omnia resciri oportuit, vix post duos demum menses comprehensi sunt. Interea de Iesuitis compertum est, nomina designata, consilia prodita, detectæ adiurationes interposito sacramento de arcano suo celando simul & prosequendo, denique in lucem protracta reliqua quibus conseeleratorum suorum animos ad infandi sceleris obstinatam sententiam obfirmarunt. Inde proclamatum in vulgus de Garneto, Greenwello, Gerardo capiendis, &[l] edictum iustissimè capitali supplicio, nequis incendiarios istos & monstra hominum hospitio foueret aut quoquo modo re aut ope iuuaret, *quòd* scilicet *euidentèr & planè compertum esset ex interrogatione multiplici plurium è coniuratis præcipuis qui tum in vinculis erant, tres illos in proditione illa peculiariter actores fuisse.* Tu hìc *calumniam* dicis carnifex, *& calumniæ publicam authoritatem additam?* [m] Cruci tuæ, spero, sacer, vindicante numine, qui Regiam Maiestatem, hìc, si quid vsquam est sanctum, innoxiè agentem, indignissimo probro, despectum pecus, tam petulantèr incessis. *At in priore actione*, inquis, *nihil in illos grauius probari potuit.* In quo tu perfidè & contra conscientiam tuam agis, qui ex ipsis actis intelligis falsum esse quod dicis. De Garneto quidem agnoscimus non ita liquidò constitisse vt ad formulam iuris instituì probatio plena posset, quia elapso per fugã Greenwello, Catesbeio mortuo, cum quibus ferè solis consilium ille communicasse compertus est, (scilicet ex stimulo malæ conscientiæ cautus sibi quantum posset) non erat qui in illum præterquàm quod ab illis auditu acceptum est, testimonium ferre posset. Atqui confessum à reis iam tum erat; à Gerardo Iesuita Catesbeium, Perceium, Wrightum, Winterum, sacramento solenni, sumpta à singulis in animæ suæ periculum, si falleret, Eucharistia, ad proditionis consilium tacendum & exquendum obligatos; à Greenwello idem cum Batesio factitatum; ab Hammondo proditores,

mox

[l] *Edict. Ian. 15. 1605.*

[m] *Confutat. Anticot. in Præfat.*

mox post detectum facinus in Winteri ædibus absolutos. Quod autem ais de Batesij literis ad confessarium suum scriptis, quibus pœnituisse se profitetur quòd in quæstione dixisset, *existimasse se Greenwellum aliquam coniurationis notitiam habuisse, reliquosque simul omnes à se visos apud Baronem Vaulx, & alibi Garnetum cum Greenwello, at nihil se præterea dixisse* testatur, totum à vestris in Greenwelli gratiam confictum esse manifestum est, quia confessionem suam [n] Batesius coram honoratissimis delegatis vltrò editam & manu sua subsignatam, lectam in iudicio, palàm & apertè firmauit, neque quicquam vsquam vel in ipsa morte dixit, vbi maximè oportuisset, quo significaret animā se suam testimonio illo deonerare voluisse. Neque verò te iuuat quod adiungis, confessionem illam aduersus Garnetum in iudicio non esse prolatam; quin potius ridicula est hæc oppositio tua: quorsum enim proferatur in Garnetum quæ Greenwellum propriè spectabat, nec de Garneto quicquam certum præter auditū habuit? Quanquam & ibi quoque mentionem eius habitam tu non ignoras, aut ne ignores, quia tangit vlcus tuum, à me admonendus es. Nam cùm [o] Treshami haustum è schola vestra execrabile periurium in propatulo visum esset, retractantis scilicet cum diris, tribus ante mortem horis, quod de Garneto in quæstione dixerat, quodque verissimum ibi tum comprobatum est, (in quo eum Garnetus æquiuocationis beneficio vti voluisse arbitratus est) meminisse debes ab honoratissimo [p] Comite Salisburiensi prudentèr animaduersum, citra læsam in mortuos charitatem, & mera necessitate, ad obstruenda maledicorum ora, illa omnia de Treshamo & alijs in publicum esse edita, quòd iam tum fama quoque per vrbem sparsa esset, Batesium ante duos menses mortuum, literis à se scriptis suam omnem Greenwelli accusationem retractasse & falsi ream insimulasse. Scilicet hæ vestrorum artes & imposturæ; Batesius viuus accusat, mortuus excusat; viuente illo nihil auditum contrà; de mortuo fabulam suam serò narrant. Intelligis iam, mi homo, commemoratam in Garneti iudicio Batesij confessionem, & agnoscis ibi fidem literarum quas tui tibi ex conficto nescio quo autographo descriptas tradiderunt.

[n] *Act. pag.* 42.

[o] *Actio pag.* 131. 132.

[p] *Pag.* 133. 134.

Cæterùm Garnetum quod attinet, etsi causæ sat erat quod reum esse suaderet, quia tamen sublatis quos conscios habebat,

ad normam iuris accusari non potuit, neque tamen Rex in hac causa præter exemplum clementissimus quicquam ab illo per tormentum extorqueri voluit, verum est rem arte tractatam esse. Datur illi locus in carcere vbi cum Oldcorno siue aliàs Hallo colloqui possit, ita tamen vt non suspecti adsint in insidijs qui sermonem omnem excipiant. *Garnetus*, inquis, *post peccatorum confessionem*. At vnde illud, *Post peccatorum confessionem?* Certè iurati qui in occulto adstiterunt longè aliud,[q] ne verbum quidem apud illos de Deo. Ita patet de Garneto apud vos ex composito fabulam fingi. *Nescio quid dixit*, inquis, *quo significaret se de coniuratione à Greenwello antea cognouisse*. Siccinè verò: *nescio quid*, inquis, miser? Atqui[r] Garneto ipso confitente scis non cognouisse solùm, sed precationem illum quoque pro euentu prospero designati facinoris habuisse, cui subiunxerat in fine, *Gentem auferte perfidam credentium de finibus, vt Christo laudes debitas persoluamus alacriter. Verum est*, inquit, *sic à me oratum, sed dicam non alia ratione factum quàm quòd seueriores aliquas leges aduersùm Catholicos eo tempore promulgandas subuererer*; *atque hæc*, inquit, *responsio percommodè satisfaciet*. Hìc tu arrige aures quas tam longè porrigis, & breuitèr accipe quod totam euertit defensionem tuam. Tu illum resciſſe quidem rem omnem ais, sed improbasse; rei cogitatione cruciatum noctes paritèr ac dies insomnes duxisse; Deum obnixè precibus & sacrificijs obtestatum tantam vt reip. cladem auerteret. O insanos hypocritas, te pariter atque illum, quid in re malo loquimini verba tam bona? Atqui memento repositum illi à Salisburiensi peroptimè, quod ante ab ipso confessum fuerat, precationes quidem illum & sacrificia pro calamitate illa auertenda obtulisse, sed interposita clausula,[s] *nisi Catholicorum bono futura esset*. Nempe hæc Martyris tui pietas communem patriæ cladem & exterminium precari, tantùm vt sibi suísque in rem sit. Quanquam non de illa tantùm interlocutione Garnetus in iudicio postulatus, quod tu pessima fraude fingis, sed[t] lecta quoque palàm confessio qua recognouerat Delegatis rem omnem, postquam se[u] *tanta*, vt locutus ipse est, *nube testium* conuictum videret. Quin etiam lectæ publicitùs literæ de rebus vulgaribus in speciem confectæ, quarum in margine satis ampla succo mali Citrini conscriptum habebatur,[x] *Coniurationis Hispanicæ reatu & periculo se Regio indulgentiæ diplomate immunem fa-*

q *Actio. pag.* 112.
r *Actio. pag.* 101.
s *Actio. pag.* 102.
t *Actio. pag.* 96
u *Actio. pag.* 106.
x *Actio. pag.* 26

ctum; ac de proditione pyriopuluerea securum sperare se, quòd probatio defectura esset. En Martyrem tuum iam antè proditorem, & Regiæ gratiæ priuilegium quo noxa illa supersederet, non sine dolo impetrantem. En hìc quoque proditorem, sed iterum benè sperantem, non conscientiæ bonitate, sed quòd nihil in eum probatum iri confideret. Ac tu quoque conscium totius negotij non negas, sed in confessione conscium factum, cuius arcanum retegere non debuit. Atqui vos de confessione vestra videritis; nobis per te sat est rescisse Garnetum quoquo modo, & non prodidisse; quod etiam Romæ apud Pontificem vestrum, Sigilli vestri Hyperaspisten, ad læsæ Maiestatis actionem abundè est. Sed Confessionis obtentu quàm nihil proficiant, & impio prætextu nonnisi nugas agant, postea suo loco dicendum est.

Interim verò Grunnius iste, cui per putredinem stomachi nihil nostrum placet, duodecimuiralem nostram in iudicijs procedendi rationem, quò Martyri suo gratificetur aliquantulum, dira calumnia nefariè perstringit. *A Normannis ante quingentos annos quo primùm tempore insulam occuparunt excogitatam ait*, teste scilicet Polydoro Virgilio, *ad eos quos vellent per simulationem æquitatis opprimendos*. At in eo Polydorus tuus, Andrea, paritèr ac tu, mendax, non sine causa futuros suspicatus qui longè aliam Anglorum legibus & institutis antiquitatem vindicarent. Certè *Iurata* illa nostra, quam appellant, ab antiquissima ante Normannos ingressos consuetudine & municipali Anglorum vetustissimo iure deducta est. Meminit illam Ethelredus Anglorum Rex multis ante Normannum Victorem annis, & ex instituto veteri lege sanciuit: [y] *In singulis*, inquit, *Centurijs Comitia sunto atque liberæ conditionis viri duodeni, ætate superiores, vnà cum præposito sacra tenentes iuranto, se adeò virum aliquem innocentem haud damnaturos, sontemvè absoluturos.* Quin & Normannis ipsis ante illa tempora iudicium hoc in vsu fuisse ex antiqua illa quam habemus consuetudinum Normandiæ descriptione manifestum est. [z] *Assisam* enim, quod mutuum ab illis nomen ad iudicia nostra transtulimus, *conuentum* interpretantur *Militum* (sic enim [a] duodecim nostri antiquitùs dicti sunt) *& grauissimorum hominum cum Balliuo siue præfecto Iuris, definito ante quadraginta dies tempore & loco, per quos iudicium & iustitia fiant de rebus quibusuis quæ disceptandæ in curiam afferuntur*. Nec ablusit ab illa consuetudine

y Lambert. Archaionom. in exposit. voc. Saxonic. verbi Centuria.

z L'exposit. du liure Costumier du pays de Normendie cap. 24.

a Glanuil. de legib. & consuetudin. regni Angl. cap. 10. 11. 12. &c.

Victor

Victor ipse Guilielmus, vbi confirmato iam regno [b] duodecim ex singulis Comitat. selectos viros sibi sisti mandauit, à quibus adhibito ad maiorem fidem iuramento leges & instituta regni perdisceret; quæ ab Edwardo Confessore *legum Communium* nomine iam antè descripta & hìc denuò repetita, confirmauit ille & constantèr ab omnibus seruari præcepit. Ac de sancitis ab illo Edwardi legibus meminit Ingulphus: [c] *Attuli mecum*, inquit, *Londonijs in meum monasterium leges æquissimi Regis Edwardi, quas dominus meus inclytus Rex Willielmus authenticas esse & perpetuas per totum regnum Angliæ inuiolabiliter tenendas sub pœnis grauissimis proclamarat, & Institiarijs suis commendarat.* Ex quo perspicuum est, vtcunque ab illo nostri aliàs asperiùs sunt habiti, iura tamen antiqua & consuetudines esse retentas, & eandem illum reipub. nostræ rationem permanere voluisse. Cæterum quæ iniquiùs & ad iniuriam reip. siue ab illo, siue quod verius est, à Rufo filio constituta sunt, ea omnia constat ab Henrico altero filio antiquata esse & abolita, resque ad veterem normam denuò reuocatas. Eandem rationem secutus est qui successit Stephanus Rex, & post illum Henricus secundus, quo regnante floruit Glanuilus noster, quem ante ad marginem annotauimus, Iuris singulari scientia nobilitatus, qui post omnia, vt diximus, in integrum restituta & [d] *ablatas omnes malas consuetudines*, vt loquitur Houedenus, *quibus regnum Angliæ iniustè opprimebatur*, duodecimviralem tamen processum nostrum ex iure communi commeminit, & ita longè abest vt *excogitatum* dicat *ad homines per simulationem æquitatis opprimendos*, quod noster iste Sycophanta calumniatur, vt [e] *regale quoddam beneficium* interpretetur *clementia Principis de consilio procerum populis indultum*, vtpote quo nostris hominibus præ cæteris gentibus singulari priuilegio consultum est, nequis siue vitæ siue rei damnum ferat quod non post iuratos iudices & testes, duodecim ad minimum *liberi & legales homines*, ipsi quoque iurati, tantùm vt de facto pronuncient, cum æquitate & iustitia consentaneum esse confirmant. Quanquàm in *Assisa* nostra locupletiùs prouisum est vt deferantur primò causæ omnes capitales ad examen *grandioris*, quam appellant *Iuratæ*, quam conficiunt ex *Ingenuis* nostris & inferiori nobilitate, quos *generosos* dicimus, selecti viri supra quàm duodecim qui ex indicijs & testimonijs rem omnem expendunt, nec quisquam ex

b Chron. Abbat. S. Albani.

c Ingulph. hist. in fine.

d Rog. Houedē in Henrico 1. initio.

e Glanuil. de legib. &c. reg. Angl. l. 2. c. 7.

 formula

formula iuris accusatus censetur, nisi quem illi communi suffragio reum & vlteriori iudicio tradendum decernunt. Quem verò illi reum deferunt & ad accusationem *billam veram* adscribunt, de eodem porrò pronunciat duodecimviralis altera Iurata, ex quorum sententia leges eum vel noxium vel innocentem haberi iubent. Ita plerunque triginta aut ferè quadraginta plùs minùs hominum iuramentis & conscientijs res agitur, quo nihil habet orbis terrarum ad iustitiæ securitatem munitius aut sanctius. Nec verò in exorbitantijs causarum secùs fit, vbi tamen grandioris Iuratæ locum supplere videri possunt speciales Delegati, viri nonnunquam honorati & nobiles, à quibus inquiruntur & examinantur omnia; qui confessiones scelerum vel interrogatis eliciunt, vel argumentis & testimonijs euincunt, vel vbi opus est tormentis exprimunt, omniaque in aperto constituunt, remque ipsam acu tangunt priusquam ad grandiorem Iuratam & publicam iudicij quæstionem veniatur. Ei præsunt interdum Iudices communes, interdum, vbi Principi videtur, adiuncti illis Commissarij viri nobiles, accusationem instituente Attornato Regio, & vniuersum causæ negotium explicante. Cuius deinde oratio omnis omniaque sigillatim accusationis capita ex testimonijs & confessione partium & alijs quibuscunque indicijs rebusque ipsis asserta vberiùs & confirmata proponuntur, & sub aspectu ponitur quicquid ad lucem rebus afferendam opus est. Neque hìc tamen mox ad sententiam itur, sed publicè denuò reus interrogatur, & dicendi potestas datur siquid habere videri velit quo reatum depellat: quibus vltrò citroque transactis, etsi aperta sunt omnia, tamen ad duodecim aut plures iuratos refertur, sontemnè an insontem statuant, & ex eorum denunciatione negotium omne terminatur. At hìc nullo modo prætereundum est potestatem interim reo esse aduersum Iuratos ad numerum vsque vicenarium excipiendi, siquos sibi parum beneuolos aut animo esse infestiore persuasum habeat, nequo modo queratur in illorum se manus dare compelli, quibus immerenti vitam eripere cordi sit. Hanc iudicij rationem exquisitissimam & ad explorandam rerum veritatem omnesq; corruptelas & affectuum prauitatem intercludendam, supra quàm dici potest, accommodatam, noster iste dæmon maligno furore percitus, fictis ex composito calumnijs sic insectatur acsi in illa nihil integrum, omniaque ad circum-

cumuentionem & miserorum oppressionem comparata essent. Quòd si insano cuique declamatorculo ex sui cerebri vertigine metienti omnia, in rerump. instituta ita proterue bacchari liceat, quæ tandem societas hominum virulentos canum istorum morsus vitare poterit, quando ne illa quidem quam Deus ipse formauit, à maledicorum obtrectationibus immunis est? At quî tandem credi potest tam iniquam, qualem ille vult, iudiciorum normam, planè nouam & nonnisi per tyrannidem & mero victoris arbitrio constitutam, per tot iam secula, nemine vnquam contradicente, nemine deprecante obseruari potuisse? Itanè vt Reges paritèr & Optimates, Archiepiscopi, Episcopi, Clerus simul & populus obdormierint, nec grassantem in se suosque calamitatem animaduerterint? Quid, in tanta religione, si vobis credimus, tanta iudiciorum negligentia? & qui *malas omnes consuetudines*, quod ante vidimus, explodendas curarunt, vnam hanc pessimam tibi omnium intactā reliquerunt? Quin optimè noster ille Ioãnes Fortescue Eques auratus, alter ante annos ferè ducentos Angliæ Iustitiarius, inde esse manifestum, [f] leges nostras, in quibus duodecimuiralem illum processum genti nostræ peculiarem tantopere commendat, cum summa sapientia & æquitate esse coniunctas, quòd neque illas Romani, (tantam illis à prima Britannorum ætate antiquitatem attribuit) neque Daci, neque Saxones, neque Normanni, victores omnes, immutandas censuerunt. Quid ergò tu habes, misellum animal, quod aduersus tam sancta instituta, tuo tantùm & Polydori tui fretus ingenio, contra tot gentium, tot seculorum prudentiam & experientiam obgannire audeas? scilicet vt intelligamus omnia hìc ab illo in inuidiam esse conficta, limen ipsum narrationis suæ fœdo mendacio commaculare voluit. *Reus*, inquit, *postquam comprehensus atque à iudicibus quibus de rebus & quoties libuerit interrogatus fuerit, nisi siquid suspicari potuerit, ignarus omninò aut quarum rerum aut quibus indicijs in ius vocetur, sedentibus pro tribunali iudicibus in amplissimam aulam populo vniuerso inspectante producitur*. Nempe de Inquisitione Romana & Hispanica scribit historiam, cui sacrum est nequem accuset, sed ipsum sui accusatorem esse compellat. Comprehensus quis, mox in carcerem, arbritris illis, crimine nullo intentato contruditur. Eductus in quæstionem, nihil audit; tantùm vt ipse se prodat, quid peccauerit interrogatur.

[f] *Fortesc. Commendat. leg. Angl. cap. 17. 27. &c.*

Ni dixerit, in vincula remittitur, & duro carcere miserè contabescit. Hìc ille perplexus & anxius versat animo quid velint, & quia sic necesse est, respondet aliquid, nec incidit tamē in causam qua comprehensus est. Iterum quęsitus tantundem facit, & quidē fortasse sæpius, atque ita miser, ignatus quid in illum causæ habeant, indicio suo reatū accumulat omniaq; illi in exitiū redundāt. Iam verò conscius Iesuita noster tyrannidem hanc Pontificiam quàm meritò omnes exosam habeant, infamiam eius in nos deriuandam curat, probè sibi suisque consultum putans si aspergere in nos sæuitiæ suæ maculas & contracta meritò in se odia communicare nobis possit. At intellige, calumniator & mendax, neminem apud nos in carcerem committi quin primò de reipsa interrogetur qua reus est, quin & cautum esse vt literæ *missionis* causam semper exponant propter quam in custodiam missus est. Intellige apud nos neminem in iudicium, neminem, inquam, causæ suæ ignarum adduci; scelerate hoc à te confictum, totumque ex tuo cerebro depromptum est. Cæterùm quod antè diximus, reo potestatem esse reijciendi ex duodecim viris siquos suspectos habeat, nec id vnica tantùm, verumetiam secunda vice, ad hoc quoque cauillatur. *Quasi*, inquit, *aut in ampla præsertim ciuitate defuturi sint quorum suffragia magistratuum nutibus addicta sint, aut tutum sibi quisquam existimaturus quæ iudicia magistratus probauerint, suffragio suo reprobare*. Nempe de Romana ciuitate loquitur vbi Atheismus sic increbuit vt iuramenta quoque vili sint; vbi Cardinales quoque venales sunt, & Bellarminus ipse magnus controuersiarum magister, si Pontificem dixerit antiquitùs Imperatori Romano *iure subiectum*, ad nutum Pontificis addictus eo iubente sententiam nouam dicit & scribit; in hæreticorum album scilicet referendus, siquid secus. An tu, improbe, non intelligis in te quoque tuosque ensem hunc stringi? Annon perinde obuium erit Iesuitis & latronibus eodem argumento iudiciorum omnium neruos & authoritatem elidere, eoque scelerū sibi omnium & maleficiorum immunitatem vindicare? scilicet in promptu est sceleratis hominibus etiam Romæ quoque vociferari, conductitios & corruptos esse Iudices, testes subornatos & periuros, Aduocatos pretio expugnatos, omnes magistratuum nutibus addictos, nec quæ ab illis iudicia probata sunt, iudicio suo reprobare audere. Quòd si quid vsquam in iudicijs

dicijs sanctum creditur, credatur apud nos, vbi credi non potest Iudices simul & testes, & duodecim viros ingenuos, & quidem, vt tu vis, *tumultuariò lectos*, vbi suspicio fraudis esse non potest; eosdem quoque omnes iuratos, & quorum non habet reus cur quenquam reijciat, conculcato metu numinis, spreto iuramento, etiam apud Ethnicos sancto, prodita apud homines fama, labefactata intùs conscientia, ad innoxij sanguinis effusionem conspirare in vnum posse. Age quod poteris, Eudæmon, dum perorando ilia rumpuntur, nunquam dabis ad conseruandam æquitatem, ad propulsandam iniuriam, ad innocentiæ tutelam tutius quicquam aut certius. Quod autem ais, *tumultuariò lectos etiamsi viri boni atque amantes æqui fuerint, non posse quicquam considerate pronunciare de ea causa quam tum primùm audierint*, malè tu rem capis; quia cùm illorum nonnisi de facto iudicium sit, mox intelligunt ex allegatis & probatis quæ in promptu sunt, satin' causæ habeant, dictante conscientia, cur reatum adiudicent; aut si facti lux & euidentia non clarescat, reum vt absoluant pariter in promptu est. Atque *ampliantur* hic quidem *fauores* ex vsu nostro, vitæ vt ciuium parcatur, vbi necis inferendæ causa procliuis & aperta non sit. Quanquam haud ita festinatò opus est vt non quisque sibi de sententia satisfaciat, neque temerè quicquam agitur vbi per duplicem Iuratam, quomodo antè descripsimus, causæ omnes euentilantur. Neque verò *tumultuariò* conficiuntur Iuratæ, quando non nisi præmoniti certa lege conscribuntur in numerum, pœnâ constitutâ ni compareant Regi officium facturi, & perrarò contingit vt præmonitorum absentia vel defectus *tumultuariò ex circumstantibus* suppleatur. Quare hæc omnia temeritatem tuam vel nequitiam produnt, qui de rebus ignotis non nisi ventos tuos eblateras, vel malitiosè potiùs ad inuidiam contorques omnia. Eundem olet malitiæ fœtorem quod adiungis de Regio Aduocato, quasi ille semper in iudicijs causam agat, qui nonnisi in actione proditoria & quidem rarò intercedit. Certè in communibus iudicijs simpliciter aguntur omnia, & crimina nonnisi nuda narratione proposita referuntur ad quæstionem. In causis verò grauioribus, quales sunt quæ Regis & reip. Maiestatem attingunt, quæ solenniorem plerunque magisque accuratam tractationem desiderant, hic, inquam, si Aduocatus Regius ad accusandum instructissimus veniat, si cau-

ſas ad viuum reſecet, ſi proditorum improbos alioqui mores exponat, ſi ſcelerum indignitatem & immanitatem iuſtis coloribus depingat; ſi technas & fraudes aduerſariorum omnéſque imposturæ artes elucidet; ſi fruſtrata conſilia & ſpes falſas, quibus ſibi nefarij homines aureos montes pollicentur, ſannis & irriſionibus exceptas in ludibrium committat; ſi reo denique quoquo modo pudorem incutiat, & conſcientiæ ſuæ ſtumulis pungat, facit ille quod officij ſui eſt, neque hìc quicquam eſt quod reprehendat niſi qui aut ipſe reus aut inſanus eſt. Non hìc terret inſpectantis populi multitudo; nec multitudine rerum obruitur qui de ſuo tantùm ſcelere interrogatur; mens ipſa perturbat & terret, agitata furijs ſuis, & neſcia ſe vinculis explicare quibus per nequitiam ſuam intexta eſt. Ad hominem dico: eſto; quia nemo vnquam veſtrorum niſi cauſa priùs exploratiſſima in iudicium adductus eſt. Quòd ſi ad hominem tua quoque & ad rem inſtitutam dicantur, quorſum illa quę ſequuntur; *Reus nullo dicendi vſu, nulla rerum forenſium, nulla iuris notitia, &c?* Itáne verò Garnetus tuus *nullo dicendi vſu, nulla rerum forenſium, nulla iuris notitia, etiam literarum expers?* Itáne Martyr tuus *magnitudine periculi attonitus ac tam multis perturbationibus impos ſui?* O præclaros Martyres veſtros! Quòd ſi minùs, quorſum tu iſta, quorum tibi *nullus vſus, nulla notitia*, vt furere potiùs quàm ſcribere videaris? At eſto; ſit reus qualem tu eſſe dicis, *nullo dicendi vſu, nulla rerum forenſium, nulla iuris notitia*, quid hìc tandem vis? Scilicet, Aduocato opus eſt; id enim vult vbi ait, *dicere pro ſeipſo reus iubetur ſiquid habet quod contra reſpondeat; nam patrocinium miſeri hominis extrema fortuna periclitantis neque ſuſcipere vlli per ſe licet, neque reo patronum vllum adſciſcere.* Quid? & Romæ maleficis omnibus per Aduocatos ſe defendendi poteſtas eſt? An verò vſquàm patriæ perduellionibus, & proditoribus publici patrocinij facultas datur? Quin multò in omnem partem tutiùs per duodecim noſtros quàm per Aduocatos agitur, quia Aduocatorum gens tota pretio, non conſcientia loquitur, & artificio plerunque nonniſi fucum facit ad releuandam iniquitatem, & innocentiam opprimendam. Certè quia nonniſi de facto quæritur, nihil hìc minùs noſtri quàm Aduocati poſſunt, & minùs vaframētis loci eſt. Nec verò deeſt innocenti quo noxam depellat, qui nunquam niſi optimè meditatus cauſam ſuam, in quęſtionem venit; & quò

eſt

est magis à crimine immunis, eò constantiùs & fortiùs Iuratorum conscientias appellat, animosque excitat ne in iudicio ferendo negligentes sint. Et verò periculum ipsum linguam explicat, sensusque illi omnes acuuntur qui haud de improuiso de vita dimicat. Rectè ille,

[g] *Grande doloris*
Ingenium est, miserisq; venit solertia rebus. g *Ouid. Metamorph.*

Quòd si iudicia nulla praeterquam ab Aduocatis recta sint, abi tu & morde calumnijs tuis remp. Israelis; nobis quidem diuinitùs & sapientissimè constitutam, tibi fortasse peruersam & iniustam, quia nihil ibi de Aduocatis, sed [h] *ex ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*, tantùm vt reus [i] *audiatur*, quod semper nobis sanctissimè seruatur. Nam quod tu de *interrupto defensionis cursu* narras, planè tuum, hoc est, falsissimum est, quia semper reis & maximè vestris patientissimè praebentur aures, quod Actionum semper longitudo testatur, quousque non fatigatione respondendi, sed certissima veritate & pondere rerum oppressi obmutescant per conscientiam, & Iuratorum quaestioni & sententiae locum dant. Quin dicam verbo, factitia sunt tua ista omnia, non ex rebus nostris petita, sed studio & per malitiam edita, quae tibi homini improbo domi nascuntur, & haud minùs in omnes resp. vbi videbitur, in procliui sunt.

h *Deut. 19. 15.*
i *Ioan. 7. 51.*

Postquam verò iam in tribunalia nostra virus suum effudit, ad Garneti quaestionem accommodat omnia: *Hoc*, inquit, *tam iniqui iudicij genere in ius vocatus, Maiestatis damnatus est Henricus Garnetus, &c.* At illa te actio, Andrea, miserum planè hominem & deploratae fidei esse confirmat. Iudices ibi Regio diplomate conscripti, quod tu maximè celatum cupis, viri ex prima Angliae nobilitate clarissimi:

Leonardus Holiday Eques Auratus, Maior siue Praefectus ciuitatis Londini.
Comes Notinghamiae.
Comes Northamptoniae.
Comes Suffolciae.
Comes Wigorniae.
Comes Salisburiae.
Summus Angliae Iustitiarius.
Scaccarij Baro supremus.

Christophorus Teluerton Eques Auratus, Iustitiarius assessor in Banco Regio.

Locus illustris & ad iudicij maiestatem amplissimus, *Prætorium ciuitatis Londini*, vbi assederunt auditores & arbitri rerum omniũ ex eadem summa nobilitate Comites & Barones quamplurimi, magnus Equitum Auratorum splendor, generosorum & populi melioris ingens numerus, paritèr omnes improbitatis & impudentiæ tuæ testes. Selecti pro Iuratoribus egregij viri, fide optima, dignitatis & fortunarum conditione spectabiles;

Baptista Hicks, Eques Auratus.	*Henricus Butler.*
Guilielmus Stone, Eques Auratus.	*Florentius Caldwell.*
Gulielmus Herrick, Eques Auratus.	*Guilielmus Bonham.*
Thomas Cordell.	*Robertus Brooke.*
Robertus Chamberlaine.	*Georgius Holman.*
Guilielmus Garraway.	*Richardus Burrell.*

Et illos quoque antecesserant in cognitione causæ septendecim alij *grandioris Iuratæ* satis honesto loco ciues:

Robertus Sandy.	*Robertus Ienkinson.*
Antonius Sod.	*Alexander Prescot.*
Edwardus Lening.	*Franciscus Euington.*
Rogerus Owfield.	*Randulphus Woolley.*
Timotheus Botherst.	*Petrus West.*
Edmundus Pesshall.	*Richardus Aldsworth.*
Thomas Iackson.	*Ioannes Wiseman.*
Mauritius Abbott.	*Franciscus Roberts.*
Guilielmus Crowch.	

Hic tu verò contemplare animo coronam hanc & ordinum omnium in florentissima ciuitate collectum decus, & dic iam consideratus & sobrius, (neque enim semper es ebrius) ecquid dehinc in causam tanta celebritate manifestam mutire audeas? Quin tu, furcifer, erubesce, nisi frontis exterminio perdidisti ruborem, qui non dubitâris foro iudiciario mouere litem quo vix vllum nostra ætate celebrius, nullum planè ad fidem rerum consultius fuit. Quantus illic numerus qui Garnetum audiebant, & illum pariter vosque omnes Iesuitas execrari didicerunt, tu verò credas tuis istis verborum crepitaculis Soli isti caliginem & tenebras suscitare posse? Arrisit verò nobis vehementer, quod vir honoratissimus Admiralius Angliæ inter iudices, tum actis ferè omnibus,

nibus, effatus est, [k] *Garnetum illo die, in eo quo erat suggesto plus patriæ commodasse, quàm vllo altero quo anteacto vitæ tempore vsus est.* [k] *Act. pag.* 134
Intellexit scilicet heros nobilissimus non sine summo futurum bono, quòd in illo tanquam in speculo singularis istorum hominum perfidia & detestanda proditionum consilia clarissima relucerent. Id Rex inclytissimus in illa iudicij solennitate spectauit; neque enim, [l] quod optimè Salisburiensis honoratissimus admonuit, Henrico Garneto honor ille est habitus, vt in augustissimo illo theatro sisteretur (quadrasset in misellum homuncionem inferior locus & vsitata iudicij forma) sed causæ ipsi datum est; datum est honori Regio & religioni; vt in orbem terrarum perspectissima essent omnia & exploratissima, vt qui repugnatis, nonnisi canes ad lunæ splendorem allatrare videamini; denique vt suus honor esset veræ fidei postquam in luce illa clarissima viderent omnes, religio vestra Romano-Iesuitica quanta cum scelerum immanitate & perfidia coniuncta sit. Perstringit tibi oculos, miser, fori illius tam splendida maiestas, nec habes quid dicas, quò te vertas: quare misero subterfugio Cokum vnum, Aduocatum Regium, eligis in quem incurras, quem laceres, quem oneres maledictis, & qui es nonnisi fæx hominum & meræ quisquiliæ, nonnisi hesterno die de scholarum vestrarum lacunis egressus, in virum honoratum ita baccharis, vt maledicum te conuiciatorem, &, vt tuum in te vocabulum iustè recurrat, verè rabulam intelligamus. Atqui vtut tu ad rauim vsque vociferetis, eò nobis Cokus vir erit melior, quò vobis pessimis animalculis erit infestior; quia à vitiosis & perditis hominibus malè audire, non mediocre signum virtutis est. Quanquam cogitandum tibi fuit Cokum in illo iudicio nonnisi accusatoris vice Regia munus & partes obijsse. Quid tu ergò illum mole ista premis, quando intelligis ab accusatorum vtcunque importuna vehementia iudiciorum exitus non pendere, probationibus & testimonijs & sententia rem agi? At tu Iudices interroga, & fac viris honoratissimis simultatem quòd illorum sententia Garnetus tuus damnatus sit. De testibus exquire, & vide an illum tibi proditorem renuncient. Etiam vestros illos insectare, quidni Martyres vestros, quorum confessionibus manu sua subsignatis accusatio firmata est. Etiam ipsum accusa, eximium tuum, qui se apertè voce, scripto, lamento prodidit proditorem. Quin dic qui adfuerunt

[l] *Act. pag.* 104

omnes surdos & cæcos & insanos, quibus sic abundè de te tota vndiquaque satisfactum est, vt illa vna dies, velis, nolis, æternam vobis infamiæ maculam nullis radulis eradendam, nulla arte vestra delendam inurat. Quare qui Latinè scribis *vt intelligat genus humanum vniuersum quo accusatore causam capitis desceptauerit Garnetus, & quanta fides Actioni haberi debeat*, quam tu mentiris ex eius officina prodijsse, habe tibi nostrum Latinè quoque rescriptum, ex quo intelligat genus humanum vniuersum te nonnisi Sycophantam & impostorem esse, nonnisi ludendis hominibus & offucijs veritati faciendis natum, verè [m] *Martyrianum* qui flagitiosum hominem Principis ac patriæ suæ ruinas & exterminia meditantem, & propterea iustissima sententia capitali supplicio datum, Martyrem indigitare non dubites & in diuorum numerum consecrare. Recudetur in te faba tua, *fraude ac mendacio tibi nihil antiquius*, & Actionem in proditores summa conscientia & fide transactam apertè constabit.

[m] *Epiphan. hær. 80. Massalian. Accepta corpora occisorum propter talem Græcanicam iniquitatem, sepelierunt in quibusdam locis & illic rursus eisdem laudes perficiunt, & Martyrianos seipsos cognominauerunt, &c.*

CAP. II.

Æquiuocationis Iesuiticæ monstrum exploditur. Ostenditur quatenus nobis Ecclesia inuisibilis asseratur.



Omnem accusatoris orationem Garnetus sibi censuit ad quatuor capita reuocandam, de doctrina Iesuitarum, de refractarijs nostris communionem nostram in re diuina recusantibus; de Iesuitis generatim, & priuatim de semetipso. Eam partitionem sibi tenendam decreuit laruatus hic noster Andreas, ne quo minùs dæmon dæmoni, Iesuita Iesuitæ, perfidus proditori satis ad ipsa vsque vestigia cohærere videatur. Ego verò illum præeuntem sequar & pressis vbique calcibus instabo, necubi se desertum in fuga sentiat, neuè extrahendis alicubi in lucem scelerati hominis imposturis, & mendaciorum artificio retexendo defuisse videamur. Ac primò rectè Cokus noster animaduertit Iesuitarum doctrinam [a] distinctionum miris præstigijs esse confertam, quibus sacris dei oraculis vim & fucum improbè faciunt, quibus Proteos agunt & anguillas, vt in omnes formas se mutent, nec vllis Scripturarum aut Patrum vinculis teneantur, quin vbi maximè captos putes & compeditos, per rimulam distinctionis elabendi

[a] *Act. pag. 21.*

elabendi potestatem sibi faciant. Inuexerunt in fidem Catholicam portenta sua, & quæcunque collibuit, sacra & religiosa esse iusserunt, de quibus è verbo dei reprehensi, faciunt næ distinguendo vt capiti Ecclesiæ Iesu Christo cauda Draconis aptè cohæreat, quæque ab ipsis in rem suam sacrilega superbia & audacia conficta & sancita sunt, ea vt cum institutis diuinis & Euangelicis Christo authore præceptis, nullo scilicet hiatu, nulla intercedente discordia, consentire videantur. Nempe occurrit opportunè quod irrisit in Bellarmino vir omni doctrinæ laude cumulatissimus Episcopus noster Eliensis, [b] *Potestatem esse in Papa deponendi Reges*; [c] *Non tamen vt Papa*; & illam nonnisi [d] *potestatem quandam*; nec illam [e] *merè temporalem*; nec verò simpliciter & absolutè, sed [f] *aliquo modo*; nec directè & propriè, sed [g] *indirectè & impropriè*, nec perpetuò illam, sed tantùm [h] *casualitèr & incidentèr.* En veterator iste Cardinalis quibus se distinctionum latebris occultet, quia commentitiam illam potestatem suam certo fundamento constituere non potest. Familiaria illis sunt, Christus ex verbo Dei caput Ecclesiæ, & sine verbo Dei Papa, sed non sine monstro *ministeriale & visibile*. Christus Ecclesiæ sponsus vnicus, & tamen illis Papa sponsus, sed vt adulterum agnoscas, *minùs principalis*. Christus *vnus Mediator Dei & hominum*, & tamen illis Sancti quoque Mediatores, sed *intercessionis* scilicet, non *redemptionis*, quasi non & Christus *intercessionis*. Deus solus adorandus, & tamen illis Sancti quoque & Sanctorum imagines adorandæ, nec quicquam hic perperàm, quia non vt dij. Paritèr & in cæteris ludunt subtilitatibus suis, & quia non sat illis quod verbo Dei docentur, reliquum quicquid opus est ex cerebro suo supplent. Deo dicente, palàm & sonitu contrauenire non audent; clam eneruant omnia, submittendo astutè alia quæ Deus non dicit. In quibus tamen quàm miserè laborent, quantaque animorum carnificina se torqueant vt nihil omninò proficiant, abundè illi ipsi, quibus se committit hic noster, Iesuitarum libri testatum faciunt, quibus non Coki aliquam, sed ipsi suam impudentiam & singularem in Deum hominesque perfidiam mirificè produnt. Ac ne omni modo perfidos & impostores dubitemus, scholam illi perfidiæ & periurij aperuerunt, qua mentiendi artem tradunt; cuius beneficio qui ad normam mentiatur aut peieret, haud ille periurio aut mendacio reus censendus sit. Iam il-

b *Ad Mat. Tort. Respons. pag. 26. 27.*
c *Bellarm. de Rom. Pont. l. 5. c. 6.*
d *Ibid. cap. 1.*
e *Ibid. cap. 6.*
f *Cap. 1.*
g *Cap. 1. & 5.*
h *Cap. 6.*

Iam Eudæmon noster, minimè hìc quidem εὐδαίμων, suorum more miserrimè defendit, qui dum se maculam eluere putat, imprimit & inurit fortiùs, meritoque orbi Christiano exosus euadit, qui teterrimam pestem difflare in auras & contagio venenoso mentes hominum, plus satis per se ad fraudes & mendacia propensas, inficere conatur. Cæterum vt dilucidior res tota & apertior fiat, explicanda res est & ab origene euoluenda quæ huic apud nos disceptationi causam dedit. Postquam ergò Elizabetha beatissimæ memoriæ Regina varijs Iesuitarum insidijs appetita summum sibi suisque ab illorum in Angliam ingressu & clandestinis consilijs & machinationibus periculum reformidaret, cauere lege cœpit, designato capitali supplicio, nequis illorum hìc in Angliam appelleret, nevè appulsos hospitio exciperet, nevè consilia cum illis iuratis quippe Principis & patriæ hostibus, quoquo modo communicaret. Vbi verò lege nihil profectum est quin intrarent, & subditos ad defectionem & proditorias molitiones, interposita singularis meriti & cœlestis præmij sponsione, assiduè solicitarent, nec verò annus ferè aliquis absque summo regni discrimine præteriret, cœptum est in illos inquiri seueriùs; interrogatum pro occasione de hospitijs eorum, de Missis, de confessionibus, de reconciliationibus, de consilijs & confœderationibus, & quæcunque reip. in illa causa ex vsu esse possent, idque abhibito super Euangelia iureiurando, se citra tergiuersationem & fraudem simpliciter & candidè teste Deo & conscientia, ad interrogata omnia responsuros. Hìc errones illi, sive malis, Circumcelliones & noctiuagi proditores metuere sibi cœperunt, quia haud tutum iam illis obambulare domos & rura, vtpote quibus periculum iam erat à popularibus suis, sicubi per suspicionem aliquam in quęstionem venirent, ne in notitiam venirent, nec verò ipsis satis consultum qui domos & hospitia præberent, postquam iuratis non sine capitis & fortunarum discrimine se quoque detegendi necessitas foret. Hæc verò cùm rationibus suis partìm opportuna cecidisse sentirent, nec iam reliqua esset expediendæ saluti honesta ratio, Tartareas sibi sedes consulendas putarunt, certumque erat quia cœlitùs non dabatur, ab inferno viam petere, qua fractis iuramentorum repagulis & conscientia sacramenti penitùs suffocata, interrogationem omnem eluderent, nec quod res erat, sed quod è re sua esset, liberè &

absque scrupulo responsum darent: vt certè stat scelus scelere, nec tuti sibi videntur nisi perfidia proditores. Scilicet quòd æquiuocum genus sunt & omnia illis æquiuoca, per æquiuocationes agere docuerunt, & mixtas lingua & corde propositiones, atque adhibita placito suo exceptione siue reseruatione mentali; vt quod foris falsissimum & cum manifesto periurio respondent, ab interiori assumento supplementum veritatis habeat, eoque verè periuri nec tamen sibi periuri sint. Comprehensus est Dunelmi in parte Angliæ Boreali Sacerdos quidam è Seminario, qui in quæstionem adductus & interrogatus ex iuramento an sacerdos esset, minimè se esse, respondit. Iterum requisitus an trans mare fuisset, neque hoc, inquit. De reliquis porrò actum est prout vsus tulit. Intellectum est postea quod suspectum habebatur, eiq; in faciem ostensum vt negare non posset, quòd sacerdos esset. De periurio postulatus, crimen scilicet amouit, quòd cùm Sacerdotem se negaret, intellexit apud se, Apollinis; cùm trans mare iuraret se minimè fuisse, seruasset sibi in mente, Indicum. Pari fraude lusit in reliquis quæ magistratus pro officio scitatus est. Ioannes quidam Comeus alter eiusdem operæ Sacerdos interrogatus ab Episcopo Londinensi vicesimo die Martij, anno 1609, & requisitus responsionem suam scripto complecti, ita rem egit; *Quicquid nunc affirmo, affirmo ex fide hominis Christiani, absque omni æquiuocatione vel mentali reseruatione, vel secreta interpretatione mihi seruata; & affirmo secundum planam sententiam verborum à me dictorum, ita me Deus adiuuet per Iesum Christum. Dico itaque primò nomen mihi esse Ioannem Comeum, nec me alio nomine vocatum siue in Anglia siue vltra mare, speciatim verò non dictum me ordinariè Scammeli nomine, nec illud mihi verè nomen esse. Porrò affirmo in fide Christiani hominis me Sacerdotij ordines ex ritu Ecclesiæ Romanæ non accepisse, nec vota aliqua iniisse secundũ regulas Societatis Iesu, nec studia exercuisse in Anglorũ Seminario aliquo siue in Hispania, siue Belgicis prouincijs; atque ad horum omnium veritatem testificandam propria manu hæc scripsi, & sponte mea subscripsi. Iohannes Coome.* Hæc ille iuratus dixit, scripsit, ingerens nonnisi per æquiuocationem præseferens citra æquiuocationem se dicturum omnia. Nam haud multò post, quod ipse iterum interrogatus liberè recognouit, literis Randallo cuidam amico suo datis, *Scammeli* nomen tanquam sibi familiare subscripsit,

ſcripſit, & Franciſco Merlino Belgæ confeſſus eſt in carcere, Sacerdotem ſe & apud Ieſuitas educatum fuiſſe; & poſtea nomine Sacerdotis ab Hiſpani Regis Legato prece obtentus, & è carcere dimiſſus eſt. Fuit alter quidam qui ſibi nomen indidit Ioannis Vnderwood, qui adductus in quæſtionem apud Archiepiſcopum Cantuar. viceſimo quinto die menſis Iunij, anno ſuperiore 1612. negauit ſe vnquam trans mare fuiſſe, coniugatum ſe aſſeruit, vxorem ſibi nominauit filiam Robinſoni cuiuſdam Itlinburgenſi ex comitatu Northamptonienſi, quam ante annos duodecim duxerat in matrimonium, & ſex ſibi liberos ſuſceptos refert, villici vitam ſemper egiſſe ſe ait, & eò Londinum veniſſe, vt à nobili quodam viro domum ſibi & agros quoſdam ad firmam conduceret. Mox tamen interrogatus & requiſitus, vt in verbo Catholici reſpondeat, an in vltramarinis partibus egiſſet, vel ordine Sacerdotij Eccleſiæ Romanæ more ac ritu initiatus eſſet, porrò ſe reſponſurum negat. Iterum verò interpellatus, agnoſcit ſe Romæ ad ſex annos in collegio victitaſſe, ibique ad ſacros ordines admiſſum eſſe, & inde miſſum in Angliam ante annos duodecim, ex quo à Garneto in ſocietatem Ieſuitarum receptum ſe dicit, & dici vero nomine Thomam Corneford. Porrò vbi ſe priùs nuptum dixerat, fatetur intellexiſſe animo ſuo, ſe Breuiario ſuo nuptum; & quòd ſex ſe liberos habere profeſſus eſt, interpretatum ſibi de filijs ſpiritualibus, tantùm de dicta à ſe Robinſoni filia quod reſpondeat non habet. Villicum verò ſe appellaſſe ait, quòd talis ſit Deo, ſecundùm illud, *Redde rationem villicationis tuæ*; veniſſe verò ad virum illum nobilem vt firmam ab eo pararet, quòd officium ei quoduis præſtare paratus eſſet pro ſalute illius & ſpirituali animæ cultura. Iterum verò rogatus cur ſe in partibus tranſmarinis fuiſſe negaſſet, hanc ſibi ſeruatam intentionem refert, fuiſſe quidem trans mare, ſed non vt Archiepiſcopo Cantuarienſi ſe fuiſſe fateretur. Addam adhuc quartum quendam eâdem ſceleratâ diſciplinâ initiatum, qui à Maiore ciuitatis Londinenſis habitus in quæſtione, cum quæreretur ab eo quis Eccleſiæ Anglicanæ primatum haberet, ſine cunctatione Regem habere reſpondit. Sed tamen quòd ſuſpicio erat (& poſtea quidem compertum eſt) minimè illum integra fide agere, cuſtodiæ datus eſt, & inde non multò poſt in exilium ablegatus. Interim verò poſtulatus à ſuis quòd cum iniuria Pontificis Regi

Primatum

Primatum attribuisset, eoque fidem abnegasset, nihil se perperam fecisse contendit; intellexi enim, inquit, non Regem Angliæ, sed Regem cœli. Nec verò mirum ludere ita nobiscum qui vbi opus est non minùs cùm Patre suo sanctissimo ludunt. Haud ferè quisquam ignorat, opinor, Iesuitarum ante aliquot annos quantus labor fuerit pro Archipresbytero Sacerdotibus secularibus hîc in Anglia superordinando. Quod cum absque Sacerdotum consensu facturos se desperarent, subornatur ab illis ad fallendum Pontificem [i] Iacobus Standicius Sacerdos confœderatus, qui à Pontifice rogatus, faceretne ex consensu reliquorum Sacerdotum quod de Archipresbyteratu solicitaret, quanquam illis prorsus inscientibus, fecisse tamen illorum consensu respondit. Hoc cùm vitio verteretur, ita crimen depulit, *vt cautè responsum à se diceret*, hoc est, per æquiuocationem, quippe clausulam, *quantum augurer & præsumo*, animo suo retinuisse. Hanc autem diabolicam ex Orci fumo teterrimo enatam sparserant in angulis suis Elizabethæ Reginæ tempore nefarij quidam proditores, & interceptæ sunt nonnunquàm chartulæ quibus dira ista perfidia ad Catholicorum, si placet, animos imbuendos propagata est. Tandem verò illam Sacerdos quidam Satanæ pleniore scripto complexus & [k] *Tractatum* inscripsit *de Æquiuocatione*, quem probatum authoritate suo Blackwellus Archipresbyter & Iesuitarum Prouincialis Garnetus, ita tamen vt Garnetus, ne illum inferni Martyrem non intelligas, post alia multa manu sua ad mentem suam emendata, mutato titulo *Tractatum* inscripserit *contra mendacia & fraudulentas simulationes*; quando ferè nihil ibi aliud edoctum est. Tu, Andrea, dissimulas istam Martyris tui perfidiam, sed illa tamen à nobis præteriri non debuit, vt intelligat orbis Christianus quàm nihil sanctum ab hoc Iesuitarum Diuo expectari debuerit, qui tam longo vsu ad mendacia & fraudes obduruerat, totusque ad nefaria consilia assuetus esset. De hoc Tractatu adscripsit in fine Blackwellus in hæc verba, *Tractatus iste valde doctus & verè pius & Catholicus est. Certè S. Scripturarum, Patrum, Doctorum scholasticorum, Canonistarum & optimarum rationum præsidijs plenissimè firmat æquitatem Æquiuocationis, ideoque dignissimus est qui typis propagetur ad consolationem afflictorum Catholicorum & omnium piorum instructionem. Ita censeo Georgius Blackwellus Archipresbyter & Protonotarius Apostolicus.*

[i] *Watson. Quodlibet. 3. art. 4. Relatio factionis inchoatæ Wisbici.*

[k] *Actio in Proditor. pag. 34.*

Apostolicus. In hoc Tractatu Southwelli disciplina defenditur, qua generosam quandam adolescentulam instituit, vt iurata ad ea quæ interroganda foret verè & directè respondere, si requireretur virtute iuramenti, *fuissetne Southwellus Sacerdos in domo patris sui*, responderet, *non fuisse*, quantumuis fuisse ibi sciret, idque citra periurium, etiam citra mendacium facturam, modò subintelligat, *vt tibi tenear dicere*; vel si non intelligat, nonnisi *officiosum mendacium* esse, *quod sit exiguum peccatum veniale*. Porrò & istos casus habet: Periclitatur quisquam ex eo quòd Sacerdotem ad locum hunc aut illum deduxerit, qui ea de re captus iam ad magistratum sistitur, cui dicendum est interposito iuramento, an Sacerdotem eò deduxerit. Potest hìc licitè respondere per æquiuocationem quòd non deduxerit, etiamsi hoc reuera fecerit. Quamuis verò ea de re nondum examinetur neque ad iuramentum vrgeatur, poterit tamen sponte absque vlla temeritate ita dicere, *Quæso te, bone Domine, vt conditionis meæ rationem habeas: sum quidem Catholicus, sed quod attinet ad virum hunc in locum illum quem dicis deductum, iuramento firmabo, eum à me non esse deductum*, idque tutò præstare poterit, quòd nempe vim iniustam patiatur. Contraxit quis matrimonium per verba *de præsenti*, qua de re postulatus coram Episcopo, potest adhibito iuramento respondere, *non se contraxisse per verba de præsenti, seruata sibi clausula, ita vt matrimonium fuerit*, quòd scilicet prior cum altera initus ab illo contractus est. Londino quis, sæuiente ibi peste, proficiscitur Couentriam, quem magistratus de vrbis suæ incolumitate soliciti diuersari ibi non patiuntur nisi prius iuret, *se Londini nuper non fuisse, non inde venisse*. Iurare poterit, non se venisse Londino, cum hac reseruatione mentis, *ita vt infectus peste venerim*. Interrogatus quisquam de nomine patris sui potest in causa respondere, *Petrum vel Paulum fuisse, quòd Petrus & Paulus* Patres mundi spirituales fuerunt. Vbi ad iuramentum quis cogitur generaliter adhibendum, *responsurū se ad interrogata directè & verè*, & porrò etiam, si requiratur, *absque æquiuocationē*, admittat hoc cum sensu reseruato, *quatenus pro certo habet absque hæsitatione & scrupulo se teneri*. Quòd si illum adigant vt iuret *non habere se priuatam aliquam intentionem vel sensum reseruatum & secretum*, iuret hoc quoque cum eodem tacito sensu, *non habere se cum animo dicendi illis quòd habeat*; ac per hanc mentem

generaliter

generaliter subintellectam nihil dubitet quin à periurio immunis sit. Nempe hic est Catholicismus vester; Romæ iam pium & Catholicum mentiri est: Scripturæ, Patres, Doctores coguntur ibi omnes de periurio silere, & optima id ratione licere creditur. Dictum est quippe iam olim de Roma, & quidni hodie quoque obtineat, *Quid Romæ faciam? mentiri nescio.* Vrit te, Dæmon, inculcata ista mentio mendacij, & periurij nomen non placet, res ipsa placet, & tuipse testis es, si aduersum te agatur, non aliud hoc totum esse, quod tuo tamen hìc patrocinio & quidem miserrimo iuuare conaris. Vrit te repetita animo veterum Catholicorũ memoria, quòd nihil apud illos de ista vestra *institutione ad respondendum appositè* per æquiuocationes & imposturas, qua ad se è manibus persecutorum eripiendos instructi essent. Vrit denique quòd hoc ipso nomine Iesuitarũ nomẽ execrabile & infame esse cœpit, quòd *illorũ disciplina & institutis conformentur homines ad fraudem atque periurium, vt aliud interrogati respondeant, aliud animo clausum teneant*, quo tollitur *commerciorum fides omnis & humanæ societatis vinculum perit.* Auxit verò apud nos infamiam vobis hanc Mortonus vir egregius Wintoniensis Decanus profligatis maxima ex parte ineptijs vestris, & ostensa palàm Parsonij turpissimi hominis impudentia; Parsonij, inquam, quem Clemens octauus *nebulonem* solennitèr insigniuit, Fitzherbertus vester aliquando *singularem hypocritam*, Seculares reliqui Atheistam, impostorem, factiosum, Machiauellanum, Libellatorem, & quid non, quod homini nequissimo conueniret, vt planè dignum sciamus cui deploratissimæ causæ inuisissima defensio committenda esset. Fallit te, inepte, animus tuus si *castigatum* ab hoc homine Mortonum putas; si *ademptam illi* siue *defendendi spem*, siue *respondendi voluntatem*. Intellige verò, si nescis, abundè responsum esse *Theologo tuo* ἀθεολογῳ; plus etiam quàm inuerecundo Sophistæ in tam improba defensione par aut opus esset. Conuicta sunt mendacia eius, detectæ fraudes & sophismata; tergiuersationes & subterfugia indicata; quod factum oportuit, nihil infectum est. Quia tu verò ex eodem aluo catulus, eodem ore latras, & in eandem te litem immittis, age verò, retractemus causam illam, & quos fœtus orbi Christiano pariat noua ista & infausta Iesuitarum propago dispiciamus.

Vide verò hìc quàm astutè agat, & ad inuidiosam sententiam

prætextu ſpecioſo viam ſibi præmuniat, profeſſus ſcilicet graui & honeſta in ſpeciem præfatione, vt nihil minùs quàm mendacem ſuſpiceris; mendaciũ illis in vniuerſũ diſplicere; neq; cõmodo ſuo, neq; alterius incõmodo mentiri licere, neq; probari Deo mendaciũ vllũ poſſe qui prima & ſumma veritas eſt. Nempe vt latrones iuſtitiam prædicant, & pudicitiã meretrices, ita Ieſuitæ veritatẽ, vt quadret in illos optimè quod de *muliere adultera* Solomon obſeruauit, [l] *Comedit, & tergens os ſuum, dicit, Non ſum operata malũ.* Mendacij vocabulum abhorrent, rem ipſam probant; eſſe volunt periuri, dici non ferunt. Ille verò vt Lectoris animũ præmolliat, & reiectione criminis magis ſibi propitium ferat, in Caluinum hoc totum confert, & à Miniſtris Geneuenſibus acceptum narrat, *Licere ad promouendam Dei gloriam & Euangelium ſuum, non modò mentiri, ſed per calumniam etiam inſontes circumuenire.* At quo tu hoc teſte narras, furcifer? Nempe vt reuerentia nomini pareatur, *Hieronymo Bolſeco.* Optimè tu verò, qui teſtem tui ſimilem adducis; quo vix ætate noſtra vixit quiſquam nebulo magis infamis & à bonis omnibus iure ac merito conſpuendus. [m] Fuerat ille ex Carmelitarum ordine monachus Lutetiæ, qui abiecta cuculla per orbem vagabundus, fraude facta Ferrarienſi Ducissæ pulſus ab illa & fugatus, & deinde per inopiam repentè conuerſus in medicum, Geneuam venit. Ibi cùm nouus Aliptes nullo loco eſſet, nullo quippe medicorum iudicio probatus, cùm deſperaret aliam, Heroſtrati ſibi gloriam quærendam decreuit, flamma ibi in Eccleſiam immiſſa, & aſſerta palàm aduerſus Caluinum hæreſi Pelagiana, donec illum Senatus incarceratum, & publicè damnatum tum vt ſeditioſum, tum vt hæreticum vrbe arceret, fuſtibus cædendum ſi in illo amplius territorio deprehenſus eſſet. Poſtea Bernenſi ditione bis pulſus, cùm videret ſe poſt ſimulatam in Gallia pœnitentiam, Eccleſiæ tamen minùs acceptum eſſe, reſque iam Religioſorum haud admodum ſecuræ eſſent, redijt ille ad Monachiſmum, *ſus ad cœnum*, vxore quam interim duxerat Canonicis Auguſtodunenſibus proſtituta, & poſtea vt fidem propoſiti ſui faceret, & in Caluinum conceptas iras vlciſceretur, vitam ſibi Caluini deſcribendam ſuſcepit, & ad quod conductus eſt, maledictis omnibus & contumelijs nequiſſimus Sycophanta onerandum curauit. At quis tandem huic homini cordatus & liberalis fidem habeat? quis vel prima fronte non videat

[l] *Prou.* 30.20.

[m] *Beza in vita Caluini.*

consultò illa omnia & per malitiam ab insano Monacho conficta & conscripta esse? Tu hunc conuicij tui authorem profers qui vel communi iure fidem testimonij nullam habet? Quin percurre opera Caluini, volumina illa quæ tu, miser, nonnisi attonitus vides, & lege ibi aliquid quod blasphemiam tuam sonet. Lege ibi inquam, *ad promouendum Euangelium mentiri licere & insontes circumuenire*; aut si id non possis, & millies Caluinus in aduersum instruat, abi tu post Bolsecum tuum, nobilis veterator, vt iustissimam calumniæ tuæ mercedem ocyùs feras. Verùm misso Caluino ad Cokum nostrum pedem refert, qui dixerat in accusatione, *Ab illis aperta tantùm & hiantia mendacia damnari, sed mendacia secreta, clancularia periuria & falsa testimonia probari, vbi ad conatus suos perficiendos adminiculo esse possunt.* Hoc ille, homo verax, à se suisque alienum esse persuadet, & in Cokum ipsum ita retorquet, *vt in scriptis eius multa, etiam aperta & hiantia mendacia deprehensa* commemoret, authore scilicet *Catholico Theologo*, Roberto Parsonio, qui quàm grauis author fuerit, quantusque illi fidei honor habendus, iam supra expressum est. Cæterùm quæ ille ex *Legum communium* libris affert, omnia omitto, quia librorum illorum mihi nec facultas nec vsus est, & illa, spero, responsum alioqui suum habitura sunt. Ad literas accedo quas idem Cokus oratione Noruici de tribunali habita, à Pio quinto ad Elizabetham Reginam missas commeminit, quibus fidem Pontifex fecerat se Liturgiam nostram Anglicanam & Reformatæ religionis formulam suo calculo & authoritate probaturum, modò à se acciperet omnia, ipsi accepta referret, eoque se sedi Romanæ subiectam daret; vnde collegerat ille vel Pontificis iudicio nihil in religione nostra desiderari quod ad salutem obtinendam necesse sit, & nihil causæ esse Recusantibus cur ab Ecclesiæ nostræ conuentu recedendum putent. Consecutionem illam reprehendit Eudæmon, ineptus ipse, tanquam *ineptam*, quia vtcunque illa nostra probentur omnia, tamen *quòd Schismatici, quòd ab Ecclesiæ vnitate diuisi, quòd extra Ecclesiam positi, salutem consequi non possumus.* At intellige, nugator, in nostris illis caput esse non minimum, Liturgia nostra & prædicatione celebratum, Schismaticos & ab Ecclesiæ vnitate diuisos salutem consequi non posse, & proinde stultè abs te dici, probatis nostris omnibus, manere tamen vltrà, ne Schismatici simus, si

salui esse velimus. Intellige porrò, quod præcidit ansam tuam, Schismaticos nobis esse non qui ab Ecclesia Romana, quod tu stolidè fingis, sed qui ab Ecclesia Catholica diuisi sunt. Cum Ecclesia Catholica coniungi possumus, vt liberè tamen lupanaria & prostibula Romana odisse possimus. Quare quod ex Cypriano citas quid ad te? Optimè Cyprianus;[n] *Non tenet fidem qui vnitatem Ecclesiæ non tenet: qui Ecclesiæ renititur & resistit, in Ecclesia non est. Vnum caput est & origo vna, & vna mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi; incorrupta est & pudica. Vnam domum nouit; vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo seruat; hæc filios regno quos generauit assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur, nec pertinet ad Christi præmia qui reliquerit Ecclesiam Christi. Alienus est, prophanus est, hostis est: habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* En, pungo oculos tuos posita totidem verbis Cypriani sententia. Dic, agè iam, insanum caput, hæc omnia quid ad te? Quî ista magis ad Romanam vestrã pertinent quàm ad Ecclesiam Aphricanam, quæ in causa primatus ab Augustini tempore centum annos & ampliùs à Romana Ecclesia diuisa est, & tamen schismatica non est habita, quia ab Ecclesia Catholica diuisa non est. Certè qua lege nos Schismatici quòd ab Ecclesia Romana, eâdem Ecclesia Romana Schismatica quòd ab Anglicana diuisa sit. Quòd siquid ampliùs velis, refer illud stultis & idiotis vestris; de nobis solicitum esse nolumus. Et certè Cokus cùm ista legerit, vecordiam tuam, & stultitiam meritò accusabit, non, quod tu ais, impudentiam aliquam aut temeritatem suam. Cæterum ad literas illas quod attinet Pontificis, in eo Cokus errauit quòd Pij quinti dixerit quas Pauli quarti dixisse debuerat, tum Pontificis cùm Elizabetha regnum ingressa est. Literæ autem illæ satis apud nos celebres fuerunt, agitatæ sæpiùs in Parliamentis & à Regina ipsa commemoratæ; etiam à vestris quoque confessæ, qui cùm nihil afferre possent quod in Liturgia nostra reprehenderent, inde sibi causam Recusationis arripuerunt quòd illa Ecclesiæ Romanæ probata non esset. Celebris eo nomine Thomas Treshamus Eques auratus, pater Francisci proditoris, qui sub expeditione Hispanica de Recusatione postulatus, recognouit palàm

[n] D. Cypr. de vnit. Eccles. siue de simplicit. Prælat.

palàm literas illas, & illa tantùm quam dixi causa refractarius mansit. Memoratæ quoque illæ in concionibus præsente Regina ipsa, quin & teste aduocata, nec tamen quisquam vnquam è vestris siue priuatim siue publicè mutire in contrarium ausus est. Satis ista nobis ad fidem; tuo palato si non arrideant, tuo malo esto, cui nihil placet quod ad sanitatem sit. Quòd autem aduersus Pij quinti excommunicationem nulla illarum opposita mentio, nihil ad rem; quia nihil opposuit conscia causæ suæ Heroica Princeps aduersus insani hominis brutam temeritatem, præter fiduciam in Deum, subditorum vera religione subnixam beneuolentiam, & solicitudinem suam. Nec ad rem magis quòd Reformatam religionem damnauerat iam antè Leo decimus aut quisquam alius, quia Pontifices omnia pro tempore ad rem suam; & Paulus quartus animo Pauli secundi, [o] *Pontifex sum, mihique licet pro arbitrio animi aliorum acta & rescindere & approbare*. De Tridentino Concilio minùs curæ, vbi gesta ferè omnia per insidias & inuolucra, & adiecta clausula illa detestabilis & inuisa, Concilijs anteriorum temporum, vt Pontifici iuratos, hoc est, parasitastros agnoscas, nunquam audita, quam ille pro beneficio sedis suę ad omnia posset extendere; [p] *Salua semper in omnibus Apostolicæ sedis authoritate*. Certum est Pontificibus de religione nihil pensi esse, tantùm ad sedis suæ amplitudinem & opes attendere solere. Apage te Christe, si absque te pari loco & potestate esse possint, nec possint per te. Quin tu Andrea, quæso te, interroga in occulto Paulum quintum, & precare vt dicat seriò, annon idem libentèr facturus quod pollicitus Paulus quartus, modò primatum in nos, & hunc Pontifici olim [q] *verè hortum deliciarum* obtinere possit. Quin tu iura, facturum libentissimè, & gratulaturum fœlicitati suæ: habebitur tibi fides, nec te suspicabimur per æquiuocationem illudere velle. Tu iam repugnas ex stulto commento tuo, *deijceret se Pontificatu; hæresis enim vnica est deponendi Pontificis causa*. At vestra defensio est Pontificem errare non posse, & ille scit optimè, probando nostra nullam se hæresin probare, quia videt nostra omnia contineri in religione vestra, & de vestris tantùm ad fidem assumentis quæstionem esse. παράδοξον, inquis. Immò verò verissimum hoc verbum est, vestra omnia nonnisi additamenta esse ad religionem nostram; quæ nobis ex verbo Dei sola sunt & singularia, ea vobis

o Platin in Paulo 2.

p Concil. Trident. sess. 7. De reformat.

q Math. Paris. in Henric. 3.

bis ex cerebro vestro fieri multiplicata; nostra sine vestris constare optimè; vestra sine nostris stare non posse; quæ si de fide vestra disploditis, Deus bone, quale vobis monstrum alendum, quàm deforme, quàm fœdum? Nobis Christus Ecclesiæ caput: vos habetis cum Christo Pontificem. Nobis vnus ille Mediator & Aduocatus; vobis Sanctos quoque sufficere visum est. In vnius Christi sanguine nobis remissio peccatorum; superaddita vobis ad impetrandam remissionem satisfactio vestra. Duo nobis Sacramenta; vobis præter duo illa sunt quinque alia. Scripturæ nostræ probatæ vobis & inuiolabiliter sancitæ, sed adiunctæ à vobis in rem vestram Scripturæ Apocryphæ & traditiones non scriptæ. Pari modo ad fidei iustificationem adiungitis opera; ad Christi gratiam liberi arbitrij potestatem; ad dimissionem diuinam Papalem indulgentiam; ad vnius Dei cultum & religionem, Angelorum & Sanctorum, etiam imaginum seruitutem. Non tollitis illa nostra; non audetis, ne plebs Christiana vobis oculos effodiat; at interim dum vestris indulgetis, silent inter vos & frigent nostra, & quadrat in vos optimè quod Christus olim de Pharisæis; r *Hypocritæ, mandatum Dei fecistis irritum per traditionem vestram.* Hoc subolfactum Paulo quarto; quare non admodum auersatus religionem nostram. Idem facturus, nihil dubito, Paulus quintus, id modò vt cautum sit ne de primatu & pertinentijs quicquam decedat. Iam quod Doueum nostrum attinet, quem mendacij insimulas quod vestros in Concilio Tridentino mediocritèr in religionem nostram propensos dixerit, & propterea decreta sua ad mediam quandam sententiam temperasse, dicam quod res est; malè ille quidem quod de vestris sensit nimium bene. Memini quidem à Chemnicio sæpius animaduersum quod & cuiq; videre est, decreta Cocilij fraudulenter & insidiosè esse posita; quod rectè ille tamen non probandæ veritatis, sed falsitatis suæ dissimulandæ studio factum interpretatus est. Quarè non tolsit Concilij mentem Andradius, sed ex inuolucris explicuit, & mysterium iniquitatis, aliquantulum ad tempus forte sui verecundans, sumptis iam animis in lucem eduxit, & palàm orbi significauit s *considere adhuc in amphora sua mulierem* Babylonicam, & clausam ibi tenere impietatem omnem, qua infamis iam antè & inuisa facta est. Porrò Bellarminum constat ducere nonnunquam per ambages mentem suam, & videri, si

r Mat. 15. 6.

s Zach. 5. 7. 8.

tutum

tutum esset, propiùs ad nos accedere voluisse quàm è re vestra sit. An excidit tibi, mi homo, proscriptos ferè à Sixto quinto libros eius, quòd [t] Pontifices scripsisset antiquitùs Imperatoribus *vt Dominis suis temporalibus* fuisse subiectos, quod tamen nunc, ne Paulum quintum offendat, [u] *de facto, non de iure* contra ipsam mentem suam, & apertam sententiam intellectum vult. Certè quæ ab illo disputata sunt, [x] *Potestatem in Principes temporalem directè Pontifices habere non posse*, ita ab illo sunt posita *vt indirectam* illam, quam mox asserit, omninò destruant, nec ipse se suis vinculis exuere vllo modo possit, ita vt multò iam impudentiùs causā illā agere cogatur, adhibita ratione quòd [y] *potestas Pontificis paulatim magis ac magis declarata sit*. Quin & tu meministi libros eius de Indulgentijs retentos aliquandiu, nec permissos suo loco in publicum exire, quòd nimiùm ille sententiam suam ad partes nostras contra Pontificem attemperasset. Vbi verò ait [z] *scripta esse ab Apostolis omnia quæ sunt omnibus necessaria*; vbi post longam de Transubstantiatione disputationē concludit tandem, [a] *meritò dubitari posse an sit vllus Scripturæ locus qui sine Ecclesiæ declaratione* (hoc est, sine placito vestro) *euidentèr illam cogat*; vbi post meritorum assertionem propositionem figit, [b] *propter incertitudinem propriæ iustitiæ & periculum inanis gloriæ, tutissimum esse fiduciam totam in sola dei misericordia & benignitate reponere*; vbi post defensam omni opera & arte Missam, definit tandem [c] *sacrificium propitiatorium verum & reale, absque vera & reali destructione rei immolatæ stare non posse*; vbi contra communem Doctorū suorum sententiam negat [d] *crucis & crucifixi imaginem latriæ cultu venerandam*; ne plura cōmemorē, agit ille è vicino partes nostras & strenuè prodit infirmitatem defensionis suæ. Et sæpè ille quidem homo miser ita languet in opere & nonnisi cuniculis & calumnijs rem agit, vt oppressus conscientia veritatis, & desperatione causæ suæ planè perculsus videri possit. Profiteatur millies & vltra [e] se omnia bona fide & conscientia scripsisse, Deoq; teste inuocato cumulet fraudem periurio; denique *vtut mentiatur iniquitas sibi*, nunquam efficiet vt repudium mittamus oculis nostris, aut illum credamus non reluctante animo scripsisse, quem apertè videmus tam frequentèr improbas tergiuersationes & subterfugia meditantem. Quare vt nulla nobis cum Bellarmino, nulla cum Concilio Tridentino conciliatio esse possit, nihil tamen

t *Bellarm. de concil, & eccl. l. 1. c. 13.*
u *Recognit. l. de concil. & eccle. pag. 47.*
x *De Rom. Pōtif. l. 5. cap. 4.*
y *Recognit. vt supra.*
z *Idem de verbo dei non scripto. cap. 11.*
a *Idem de sacram. Eucharist. l. 3. c. 23.*
b *Idem de Iustificat. l. 5. cap. 7.*
c *Idem de Missa, lib. 1. c. 27.*
d *Idem de Reliq. & imaginib. sanct. cap. 22.*
e *Recognit. oper. suor. in præfat.*

impedit ita nos oculatos esse vt diem rimula dispiciamus, & ex cæcis illis ac sinuosis scriptionum vestrarum anfractibus, quibus authores nonnunquam vestri propè ad nos seu incauti seu conscij diuertunt, optimè colligamus *veritatem* à vobis *in iniustitia detineri* & impiè oppugnari, quorum tamen vobis lux clarissima etiam nolentibus affulget.

Hactenus non aliud aduersarius quàm lectoris impetum retundit & frangit, vt præoccupatus inani fabula & mora ista fatigatus minùs ad causam aduertat, nec attendat quibus illum præstigijs miserè ludat impostor; rem ipsam quam agere videri vult ferè nec attingat quidem. Hoc quàm verè in illum dicatur, in ipso disputationis ingressu manifestum facit. *Mendacitatem nobis*, inquit, *obijcit Cokus, quòd licere doceamus aliquando iustis de causis vera non dicere, quamuis pro vero falsum supponere nunquam fas sit. Mendacium enim omne*, inquit, *detestatur Ecclesia Catholica; sed aliud est falsum dicere, aliud verum tegere*. Ita pergit, & authores pro se citat, Augustinum, Aquinatem, Antonium, Syluestrum, tanquam seriò reuerendus scilicet pater causam ageret & sententias discipulis suis de cathedra dictaret. Deinde paulò post: *Huc demùm spectat*, inquit, *hæc tota de æquiuocatione disputatio; neque enim nos passim ac sine delectu æquiuocationem permittimus, sed quam iusta tegendi arcani necessitas ita exprimit vt cùm verè respondeas, fugias tamen eius conscientiam qui arcani resciscendi ius nullum habet*. O solicitum iuris hominem; mirum verò vir optimus quàm delectatur veritate. Nonvult *falsum dici*; non *falsum pro vero supponi*; nonnisi *verè responderi*: quis huic malesanus litem faciat? At tu vide, nequam, quæ illa sit quam tibi Cokus, tuisque dicam impingit. Refer te ad illa, quæ tu ante ab illo dictata posuisti, & dic an hæc sit æquiuocatio illa quam obiectam Martyri tuo tu defendere debuisti. Scilicet de *Tracta-*
f Act. pag. 88. *tu æquiuocationis* verba faciens; [f] *In quo*, inquit, *sub prætextu propositionis mixtæ partim hominis animum articulatè exprimentis, partim animi sensa intus taciteq; explicantis, non solùm mera mendacia, verumetiam execrandæ & ab ipsis Ethnicis amandandæ blasphemiæ populo discendæ propinantur*. Et alibi vbi rationes narrat
g Act. pag. 34. quæ à proditoribus ad celandum arcanũ sunt adhibitæ; [g] *Quarto*, inquit, *illorum perfidia & in æquiuocando periurium, à Iesuitis tamen omnium malorum Patronis probatum & confirmatum, non*

tantùm

tantùm simpliciter manifestam veritatem celare aut denegare, sed piè & religiosè asserere, per salutem æternam protestari, immò & liquidò iurare in illa quæ certissimè cognoscunt falsissima esse, retinendo tantùm proprium quendam & reconditum animo sensum. Arrige aures, animal, & iterum hìc attende quid tibi Cokus narret. Non solùm ait *celare veritatem, sed & negare:* nec tantùm *negare vera, sed & asserere, & quidem per iuramentum, quæ ipsi falsissima esse cognoscunt; suo quodam duntaxat sensu apud se seruato.* Cur ad hæc tu siles? *cur de vero tantummodò tacendo & arcano* nonnisi vera responsione *tegendo* rem agi mentiris? Et quæ tibi quæso repentina hæc & noua religio incessit, vt in ipso ferè principio Martyrem tuum erubescas? Vide verò quid egerit hac in parte Martyr tuus? Interrogatus à Delegatis [h] ecquod illi cum Hallo colloquium intercessisset, iterum atque iterum inficias iuit. Vbi instarent illi & arctiùs premerent, rem omnem repetitis in se diris & stipulatus salutem suam prorsus eiurauit; & ita perstitit negando atque execrando vt horrorem planè audientibus commoueret. Quæsitus interim Hallus agnoscit tandem, miscuisse illos inter se sermones, & rem ab altero eiuratam affirmat. Hìc Martyr tuus deprehensus erubuit, misericordiam implorauit, & deliquisse se agnouit nisi æquiuocatione iuuaretur. Viden' hìc, Andrea, æquiuocatio illa vestra quid monstri alat? Viden' hìc Diui vestri proditoris constantiam & fidem? Viden' te meritò exosum orbi Christiano qui tam horrendæ perfidiæ in succursum venis? Verùm vt sis adhuc magis exosus, & norint omnes in hac causa inconscientiam tuam & impudentiam, res tota mihi videtur paulò altiùs repetenda. Ergò *Catholicus tuus Theologus* (nosti hominem in inferno iam æquiuocationes quibus dæmones fallat studiosè meditantem) duplicem nobis æquiuocationem distinguit, [i] alteram nempe verbalem, alteram mentalem. *Verbalem appellat vbi vox aliqua aut oratio siue natura siue consuetudine loquendi duas habet pluresvè significationes.* Atque hìc vocabulum æquiuocationis propriè stat, qua interdum maximè in libero sermone, hoc quidem sensu, vti licere nemo dubitat. Sit per illam celandis consilijs tegendisque arcanis suus locus; modò ne promissum, ne iuratum, modò obligatio nulla simpliciter & apertè dicturum omnia. At *Mentalis* illa est, nouo nomine & priscis authoribus inaudito, de qua nostra lis est. *Mentalis æquiuocatio est*, inquit, *vbi*

h *Act. pag.* 106. 107.

i *Tract. ad Mitigat. faciens &c. cap.* 12 §. 3.

oratio aliqua sensum duplicem habet vel habere poterit, non ex diuersa verborum significatione, non ex orationis compositione, sed tantummodo ex reseruatione aliqua in mente loquentis, per quam differt intentio eius à sensu illo quem verba enunciata præseferunt, quemq; absque illa reseruatione expressum habent. Mixtam ergò hìc propositionem facit, cuius pars altera effertur ore, altera pectore tenetur; quæ sunt ambæ in vnam contemperandæ, vt quod ore prolatum falsissimum est, expleat sensus ille & sartum tectum præstet qui mente tenetur. Itaque iuratus dicas an iniuratus, noxa nulla mendacij vel periurij, modò tuus tibi sensus in occulto constet; quia in promptu est: *Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.* Vis verò exempla Theologi tui? [k] Pecunias sibi commodandas petit, cuius tu fidem in mutuis suspectam habes, nec fortasse sine malo tuo, si sciat tibi esse, non concedis quas petit. Responde, quin & iura, non esse tibi pecunias, seruato intus in animo, *quas illi commodare visum sit.* Ac vide grauissimus Theologus quanto argumenti pondere rem agat. *An verò Deus & natura nullam reliquerunt euadendi legitimam rationem, vt ratione quis ac ingenio discrimine isto se expediat? Quòd si minùs, videri certè poterit, Deum peiùs hac in parte consuluisse ad tutelam hominibus, quàm irrationalibus multis creaturis, quibus illud sensus acumen pro defensione sua dedit, vt mira sint stratagemata, quæ in illis obseruant Plinius, Solinus, Cicero & authores alij complures; quemadmodum leporem videre est & vulpem saltu, flexu, reflexu, & vestigiorum suorum retritu canes fallere, &c.* Ita scilicet ne nummos Theologus amittat, culpandus naturæ Deus, ni in responsis pecuniarijs astutus & fallax & verè vulpes esse possit. Ecquid amplius cupis? Nempe [l] vxor à viro suo de adulterio postulata, vtut sibi sit conscia, neget strenuè nec abiurare vereatur, retenta secum clausula, *quantum quidem se illi prodere teneatur.* Egregius verò adulteriorum artifex, qui stuprandis, vt videtur, vxoribus assuetus, viam illis excogitauit qua dum indulgent vitio suo, maritos de se per æquiuocationem securos habeant. Mirum quin elusisset nouus Doctor, si tum fuisset, [m] *aquas* illas *amaritudinis*, adulteriorum secundum legem Mosaicam exploratrices, edoctis mulierculis vt adiuratæ de concubitu *cum alijs quàm maritis suis*, interpretarentur sibi *alios* per æquiuocationē mentalem, *quos non habebant importunos petitores; quos non maritis suis beneuolos putarent.*

k *Tract. vt prim. cap 9. §. 81. 83.*

l *Ibid. cap. 10. §. 37.*

m *Num. 5. 18.*

rent. Mirum ni irrisit animo suo Augustinum, qui nesciuit perpetratum adulterium cum iuramento negari posse citra periurium. [n] *Cogitandum est*, inquit, *sæpissimè homines de quarum adulterio suspicantur ad iusiurandum prouocare coniuges suas; quod vtique non facerent nisi crederent etiam illas quæ non timuerunt adulterium, timere posse periurium, quia & reuera nonnullæ impudicæ quæ non timuerunt illicito concubitu viros suos fallere, eisdem viris quos fefellerant, timuerunt Deum testem fallaciter adhibere*. Nimirum Catholico Theologo ineptè hoc totum, cui expedita ratio est per mentalem reseruationem, qua vxor adultera Deum innocentiæ testem adhibens mariti conscientiam fugiat, nec tamen funestet periurio conscientian suam. Porrò [o] interrogatus à Iudice non competente, aut si competente, non competentèr tamen & iuridicè, iuret se non fecisse quod fecit, adhibita intùs exceptione, *ita vt tibi tenear dicere*. [p] Profectus quisquam à loco minimè infecto, qui tamen vulgò putatur infectus, aut certè à loco infecto, sciens tamen se infectione liberum, si aliò veniens interrogetur an inde venerit, respondeat iuratus, non se inde venisse, seruato sibi sensu, *tanquam à loco infecto, vel tanquam infectum*. [q] Qui furatus quippiam, ab incompetente Iudice, puta à Domino suo per iuramentum interrogatur, neget se furatum, reseruata clausula, *ex malitia vel odio in personam, sed ex necessitate; vel ex animo suo, sed aliorum motu*, vel illa tandem vsitata; *ita vt tenear dicere*. Attende, bone Lector, casus istos, & animaduerte pestis ista quàm latè pateat, apertamque esse hanc in schola Pontificia, diabolo authore, quasi Pandoræ pyxidem, ex qua in omnem hominum vitam mendacia, fraudes, periuria, horrendæ blasphemiæ ad summam nominis Dei contumeliam redundent. Atque hæc est, Eudæmon, æquiuocatio illa quam probauit & scripto & facto Garnetus tuus, in qua aut defendendus tibi, aut certè, tanquam homo vafer & perfidus, deserendus omninò & detestandus est. Videamus ergò quid tibi occurrat quo æquiuoco Sancto tuo subueniendum putes. Atque hìc malè feriatus homunculus Comitem Salisburiensem tibi fabulam sumis; quem tu intellige non fraudibus & mendacijs vestris tegere regni arcana, sed constantia & grauitate, ad quam audax & curiosa petulantia aditum non habet. Qui si in vestras æquiuocantium manus incideret, ad tegenda Regis & regni arcana, haud satis per

[n] *August. cont. mendac. ad Consent. c. 21.*

[o] *Ibid. §. 29.*

[p] *Subduct. Rat. cum Morton. c. 4. §. 72.*

[q] *Tract. Mitigat. c. 10. §. 4.*

æquiuocationem tutus esset, quia neget quod quæritis, factum interpretamini ex vsu vestro; deieret; familiare hoc quoque vobis est; nec finis vllus priusquam fidem fecerit citra æquiuocationem se omnia dicturum. Quo vno cadit vester ille omnis secreti celandi prætextus, quia datis in consuetudinem regulis vestris, haud aberit vnquam hominibus suspicio duplicitatis & fraudis, priusquam damnata hac arte diabolica, de germana loquendi simplicitate cautum sit. Quare stultè tu arcanis amicorum æquiuocatione consultum putas, cuius semper preiudicata conscientia tantò magis suspectos facit, nec verò fidem iuuas nisi perdendo fidem: magis ille animus induendus est quem tantopere laudat Augustinus, vt importunè vrgenti constantèr dicas,[e] *Nec prodam, nec mentiar*. Sic enim[f] Firmus quidam Episcopus Tagastensis, narrante ibidem Augustino; *cùm ab illo quæreretur homo iussu Imperatoris per apparitores ab illo missos, quem ad se confugientem diligentia quanta poterat occultabat, respondit quærentibus, nec mentiri se posse nec hominem prodere, passusque multa tormenta corporis, in sententia permansit.* O te verè Firmum nomine, scientia infirmum, cui non notum æquiuocationis tam salutare artificium, quo posses, si Iesuitæ velis credere Christianus, neque mentiri neque prodere, & tamen temperato per clausulam mentalem ad decipiendos apparitores responso vim illam omnem & cruciatum euitare. Sed neque calluit hanc doctrinam Augustinus, minimè ille Catholicus & quidem rei Theologicæ rudis & imperitus, cui in tota illa tractatione, vbi occasio tanta, nunquam ars ista, ad vitanda vtrinque tanta discrimina tam necessaria, in mentem venit.

e *August. de Mendac. ad Consent. c. 13.*
f *Ibid.*

At quid ad rem de Augustino, quando æquiuocationem sacræ Scripturæ tanto præsidio firmant? Certè hic Iesuita scholam verè æquiuocam explicat, & vt est infamis veterator, Scripturas ipsas diuinam vltionem nihil reueritus ad nefaria immanis perfidiæ instituta scelerate detorquet. *Huius disciplinæ*, inquit, *authorem habemus Abraham.* Itanè verò, perdite; tu patrem fidelium, perfidiæ nobis authorem facis? At ille quid? De Sara dixit,[t] *Soror mea est*, quæ fuit tamen & vxor. *Sororem* dixit, tacuit *vxorem*. At vbi hic æquiuocatio vestra, aut quî tu tandem exemplum hoc coaptas ad regulam? An vlla hic asseruatio mentalis quæ dimidiatam & falsam alioqui propositionem expleat?

t *Gen. 20. 2.*

Si

Si ita dixisset, Tantummodò soror mea est, vel, Non est vxor mea, cõcepta interim in animo clausula, *ita vt vobis tenear dicere*, fecisset ille quidem pro vobis, & rectè tu illum disciplinæ vestræ authorem protulisses. Ille verò simplicitèr tacet quod non vult sciri, nec est in dicto quo eũ falsi redarguas; in eo ab æquiuocatione vestra longè alienus quæ non committitur verum tacendo, sed quod ore falsum dicis, mente corrigendo. Rectè Augustinus: [u] *Non dixit, Non est vxor mea, sed dixit, Soror mea est. Aliquid veri tacuit, non falsi aliquid dixit. Non est mendacium cùm silendo absconditur verum, sed cùm loquendo* (vt in æquiuocatione fit) *promitur falsum*. Quanquam etsi non mentitus Patriarcha, lapsus tamen, qui tacendo periclitari fecit pudicitiam vxoris suæ, liberè ea de re commonefactus à Rege; [x] *Quæ non debuisti facere, fecisti nobis; quid vidisti vt hoc faceres?* Quid tu ergò scabiem Patrum & vlcera fodis, vt lepræ tuæ cutim inducas? An verò non insanus es, qui quod manifestè peccauit Abraham disciplinę tuæ firmamentum facis? Pari delirio affers quod Iacob à patre rogatus quis esset, respondit, [y] *Ego sum primogenitus tuus Esau*; quod si cum Augustino nonnisi propheticè in mysterio dictum interpretemur, quid ad te, quando æquiuocatio vestra, spero, nec mysterium (nisi fortè *mysterium iniquitatis*) nec prophetia censenda sit? Quid; an tu ausus es Prophetiæ & mysteriorum priuilegia ad prophanas istas subtililoquentiæ vestræ versutias accomodare? *Vsusné tibi videtur*, inquis, *ambiguitate nominum?* At quòd ambiguitate nominum vsus, quid ad te? neque enim æquiuocatio illa quam quærimus, *ambiguitate nominum* (reclamat quod supra vides Theologus tuus) sed sensu ex lingua & mente (dictu nefas) contemperato consistit. Esto vt nominum ambiguitas Scripturarum mysterijs ancilletur; ne tamen illa bonis moribus fraudi sit, de Scripturis ipsis abundè prouisum est. Quanquam, Augustini tanti viri pace dixerim, valet apud me hac in causa non parùm doctissima Gregorij Pontificis obseruatio; [z] *Plerunque res quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa; sicut aliquando res gesta in facto causa damnationis est; in scripto autem prophetia virtutis*. Ego certè in illa Iacobi Patriarchæ historia rem gestam seorsim à mysterio considerandam nihil dubito. In mysterio sancta sunt omnia & saluberrima ibi ad doctrinã Ecclesiæ animaduersio continetur: & tamen in re gesta quin mendacium fu-

[u] August. cont. mendac. cap. 10.
[x] Ver. 9 10.
[y] Gen. 27. 19.
[z] Gregor. Moral. lib. 3. cap. 16.

fuerit & peccatum, controuersandum non sentio. Nec verò Iacob ipse sensit alitèr, qui nõ certè mysterij sed rei gerendę timidus; [a] *Si fortè*, inquit, *palpauerit me pater meus, ero in oculis eius seductor, & venire faciam semper me maledictionem & non benedictionem.* Non erat hoc de mysterio verendum; sed euentum ille per conscientiã doli mali suspectum habens, perplexus hęret ne fortè pedibus suis laqueum ponat. Atque ad illam distinctionem Augustinus ipse aliquantulùm inducit, qui de indutis illi hędinis pellibus verba faciens; [b] *Si causam proximam requiramus*, inquit, *mentitum putabimus; hoc enim fecit vt putaretur esse qui non erat. Si autem hoc factum ad illud propter quod significandum reuerà factum est referatur, mendacium rectè dici non potest. Vt autem in facto*, inquit, *ita & in verbo, Ego sum Esau primogenitus tuus: Hoc si referatur ad duos illos geminos mendacium videbitur; si autem ad illud propter quod significandum ista gesta dictaque conscripta sunt, Christus est hìc intelligendus in corpore suo quod est Ecclesia, &c.* Atqui in personis ipsis & proximis causis sacra omnis historia primò tenenda est, quæ si pòst ad Propheticos vsus accommodetur, non illud ex rebus ipsis, sed ex Scripturarum instituto, & indita diuinitùs spiritualium rerum imagine profectum est. Quando ergò hìc in re gesta & causa proxima mendacium Augustinus non diffitetur, nullum hìc arti tuæ subsidium relictum est, nisi aut mysteriorum fabricator nouus sis, aut mendacium alterius mendacio tuo patrocinium esse velis. Sequuntur alia eiusmodi quæ ille ad numerum tantùm, non ad sententiam appendit. [c] Moses, inquit, Israelitis missionem petens à Pharaone, trium dierum iter narrat, vnam sacrificiorum religionem prætexit, consilium de adducendo populo in terram Canaan neutiquam prodit. Perge verò. [d] Israelitæ commodatò petentes vasa ab Ægyptijs quæ loco iustæ mercedis secum asportarent, ambiguitate sermonis fefellerunt eos. Et porrò quid? [e] Samuel missus à Deo vt Dauid Regem inungeret, cum metueret ne sibi res nota periculum crearet, iubetur ad celandum negotium vitulum de armento sumere, victimam offerre, Isai cum filijs ad conuiuium inuitare; eoque prætextu facere quod mandatum est. At hæc omnia quorsum? occultarunt enim isti omnes silendo consilia sua quod ad cautelam erat, non negarunt quæsiti, non abiurarunt cum mentali reseruatione, quod æqui-

a Ver. 12.
b Aug. vt supra.
c Exod. 5. 1. & 8. 27.
d Exod. 12. 35.
e 1. Sam. 16. 1. 2. &c.

æquiuocationis vestrę proprium est. Neq; verò Gregorius quem citas quicquam amplius quàm nos:[f] *Sic tyranni deludendi sunt vt caueatur culpa mendacij, quod tunc benè perficitur, cùm illud sit quod asseritur, sed quod sit, sic dicitur vt celetur; quia ex parte dicitur, & ex parte reticetur. Prophetæ namq; Samueli præcipitur vt ad vngendum regẽ vadat, & se immolaturũ Domino, non regẽ vncturum asserat, vt immolans verum dicat, & vnctionem celans, tyranni sæuitiam vera dicens deludat.* Vbi vide quæso: celare docet vbi opus est, docet tacere (& quis vetat?) at æquiuocare vestrum non docet. Proximè affers Dauidem fugientem à Saule & ad Abimelechum venientem, à quo rogatus,[g] *Quare tu solus & nullus est tecum?* respondit, *Rex præcepit mihi sermonem, & dixit, Nemo sciat rem propter quam missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim, nam & pueris meis condixi in illum & illum locum. Hoc,* inquis, *nisi æquiuocationis beneficio excusetur, profectò mendacium est.* Vbi pulcherrimè tu æquiuocationem cum probare debeas, dari petis, & quo loco concludi oportuit, *ergo æquiuocatio est licita*, tu sapientèr nimirum; *Nisi æquiuocatio sit, mendacium est.* Et mendacium esto; quid hinc incommodi, quando[h] *omnis homo mendax*, quando[i] *in multis offendimus omnes?* Sanctissimus quidem Dauid vt inter homines & *secundùm cor Dei*, sed tamen homo, quem non aliquando mentiri quis credat? Noli nobis, Andrea, proferre commenta tua quæ nos simul tecum explodenda iudicamus. At, inquis, *vbi iubente Domino*[k] *Esaias denunciat Ezechiæ: Hæc dicit Dominus, Dispone domui quia morieris tu & non viues; &*[l] *Ionas vaticinatur fore vt intra quadraginta dies Niniue subuerteretur, retenta mente conditione, nisi pœnitentiã egissent aut opem implorassent à Domino.* Ita non hominem solùm, sed & Deum perfidiæ tuæ antesignanum cupis. Sed respondebit tibi Thomas tuus, & argumentum tuum prorsus excludet.[m] *Quandoque,* inquit, *prophetica reuelatio est impressa similitudo diuinæ præscientiæ, prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus, & tunc quandoque aliter euenit quàm prophetetur, nec tamen prophetiæ subest falsum: nam sensus prophetiæ est quòd inferiorum causarum dispositio siue naturalium siue humanorum actuum hoc habet vt talis effectus eueniat; & secundùm hoc intelligitur verbum Isaiæ dicentis, Morieris & non viues, id est, dispositio corporis tui ad mortem ordinatur. Et quod dicitur Ionæ 3. Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur, id est, hoc merita*

f Gregor. in 1. Reg. l. 6. c. 3.
g 1. Sam. 21. 2.
h Rom. 3. 4.
i Iac. 3. 2.
k Esa. 38. 1.
l Ion. 3. 4.
m Tho. Aquin. 22. q. 171. art. 6. ad 2.

rita eius exigunt vt subuertatur. Itaque ab ordine rerum & causis secundis salua prophetiæ veritas, non ab ęquiuocatione. Morbum Ezechiæ *lethalem* fuisse contextus monet. Rectè ergo ait, *Morieris tu & non viues*; siue vt Hebraicè habetur, *Mortuus tu & non viues*; id est, talis est morbus tuus vt per eum tibi necessariò moriendum sit. Ita Niniuitis per peccata certissimus imminebat interitus, quod illa denunciatione significatum est, vbi tamen si conditionem subintellectam velis, non illa certè retenta animo quod tu fingis, sed palàm orbi per Dei benignitatem nota, & ex
n Ion.4.2. omni memoria à Propheta ipso præsumpta;[n] *Nonne hoc erat verbum meum cùm adhuc essem in terra mea? sciebam enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis & ignoscens super malitia.* Quæ verò etsi non expressa, tamen aliundè lucem habent, & ex vsu rerum necessariò subintelligenda sunt, ea tu hùc nonnisi per fraudem affers, & cum tacita æquiuocatione vestra nihil illis cōmune est. Et eò quidem minùs huic prophetiæ, quia porrò verbis ipsis insinuatur quod intelligendum est. Illud enim *Adhuc* perinde sonat acsi dictum esset: Hactenus iniquitatē vrbis vestræ dissimulauit Deus nec pœnam inflixit. Supersunt nonnisi 40. dies ad pœnitentiam, quam nisi opportunè præstiteritis, cedet vobis in certissimam perniciem durities vestra. Pertæsus iam ille veteris Testamenti quòd nihil ibi ad causam præter vmbras videret, accedit ad nouum, vbi tantundem aut minus. Ac primò locum adducit ex Euangelio quo dicitur Filius *nescire diem iudi-*
o Mar.13.32. *cij.*[o] *De die illa & hora illa nemo scit; neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater. Non ita intelligendum est*, inquit, *si Doctoribus credimus, quasi id ipse ignorauerit, sed quia nesciuit hominibus reuelandum.* Hic ergo æquiuocationem sibi somniat, *Nescio*, seruato sibi scilicet, *vt dicam vobis.* At inepte, non vides futurum hoc modo vt Pater quoque nescire dicatur, quia nec Pater ita scit vt reuelet nobis? Quin & *scire* illud duntaxat semel positum quî tu tandem in duo significata dirimis, vt cùm sine discrimine dictum sit, *Nemo scit, nec vel Angeli, nec vel Filius*; ad homines & Angelos interpreteris *scientiam habere*, ad Filium verò *scientiam dare*? Atqui apertum est quod de hominibus, quod de Angelis, hoc ipsum quoque de Filio negari, & vt mille nobis Doctores adducas, ita hoc quod dicis infirmum & vanum est, vt nominum apud nos authoritas sola valere non possit. Quanquam vt detur tibi quod

cupis, nihil omninò proficis, quia sensum illum Doctores non ab æquiuocationis vestræ portento, sed ab vsu verbi ambiguo & Scripturarum loquendi more petendum docent. [p] *Vsitata sacri eloquij locutione*, inquit Gregorius, *videre Dei dicitur, videre nos facere, sicut iusto viro Dominus dicit, Nunc cognoui quòd timeas Deum: & Israelitæ præmonentur; Tentat vos Dominus Deus vester vt sciat si diligitis eum, id est, vt scire vos faciat.* Quod idem alibi habet; [q] *Scire Dei dicitur scire nos facere, vsitato nostræ locutionis modo qui lætum diem dicimus ex quo contingit vt lætemur. Hinc est enim quòd ad Abraham Dominus dicit; Nunc cognoui quòd timeas Deum.* Quæ illius loci interpretatio Augustino frequens est; [r] *Nunc cognoui, quid est aliud, nisi feci vt cognoscas?* [s] Quid est, *Nunc cognoui? id est, nunc cognoscere te feci.* Quia ergò *scire* est illis in vsu Scripturæ *facere vt scias*, idcircò ex opposito *non scire* est *non facere vt sciatur.* Inde Augustinus & secundùm illum Gregorius verborum Christi sententiam petunt. [t] *Hoc est, nescit*, inquit ille, *quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat vt tunc discipulis indicaret, sicut dictum est ad Abraham, Nunc cognoui, &c. id est, nunc feci vt cognosceres.* Quare nihil hìc est quod æquiuocationem tuam iuuet, quia nulla hìc tacita & mentalis reseruatio, sed tantũmodò vsus loquendi est. Quanquã quia durior expositio illa & longiùs petita visa est, non ita veteribus illis probata est vt non alias sibi meditandas sentirent. Quare Origenes & post illum Eulogius Alexandrinus, probante etiam Gregorio Romano: [u] *Nescit Filius; Non ad eundem filium*, inquiunt, *iuxta hoc quod caput est, sed iuxta corpus eius quod nos sumus est certissimè referendũ.* Et aliter idẽ Gregorius. [x] *Nescit Filius: In natura humanitatis nouit iudicij diem & horam, sed tamen hunc non ex natura humanitatis nouit.* Et aliter Origenes & post illum Bernardus; [y] *Nescit Filius: illa* scilicet *cognitione quæ per carnem fit.* Et iterum aliter Origenes; [z] *Nescit Filius: priusquam propriam dispensationem impleret: post dispensationem illam impletam nequaquam hoc dixit.* Atque hæc illa est simplicissima & verissima omnium interpretatio quam aduersus Arianos Cyrillus asseruit; [a] *Nescit Filius: Dispensando dixit, vt homini quem assumpsit congruentia diceret: hominis enim naturæ proprium est ignorare futura. Verè se dixit vt hominem ignorare; infirmitates enim nostras omnes accepit. Verè ab eo dicitur vt ab homine; fratribus enim in omnibus similis fuit.* Tantundem aduersum Ne-

p Greg. Moral lib. 19. c. 5.

q Ibid. lib. 21. c. 5.

r August. cont. serm. Arian. cap 25.

s Cont. Maxim Arian. l. 1. c. 2. & l. 3. c. 19.

t August. de Trinit. lib 1. c 12. Idem à Gregorio probatur. lib. 8. epist. 42.

u Greg. lib. 8. epist. 42. Eulog. Alexand. ibid. Origen. in Mat. tract. 30.

x Gregor. ibid.

y Bernard. de grad humilit. Origen. in Mat. tract. 30.

z Origen. vt prius.

a Cyril. Thesau lib. 9. cap. 4.

b Idē de recta fide ad Regin: lib.poster.in loc. Mat.24.

storianos : [b] *Cùm dicitur parùm ab Angelis imminutus esse Filius, secundùm quod factus est homo scilicet, cùm diuinè sit vltra omnem creaturam, quid mirum etiam si cum Angelis ignorare dicatur hoc in Deo sacramentum, quamuis eius sapientia sit & virtus?* Tu iam, impurum os, dic Cyrillum ex *Gnosticorũ fæce*, quam fæx perditorum hominum nos esse dicis, quibus idem quod Cyrillo Scripturis maximè consentaneum placet. Quòd si illum nolis aut certè non audeas, neque enim audes, expedita est impudentissimâ calumniâ tua expositio nostra & dicetur orthodoxè, vt tu interim cum Gnosticis tuis pereas, Christum secundùm quod homo est, pro illo quidem dispensationis tempore, iudicij diem ignorasse. Quanquam vt expositores istos omnes & Doctores miserè torqueas, neminem tibi reperies de æquiuocatione suffragantem; neminem omnium ante gentem vestram æquiuocam & spuriam nuper natam cui illa vnquam ex illis Christi verbis in mentem

c 1.Cor.2.16.

venit. Atque illi quidem expositiones suas omnes non ex asseruatis clausulis quas percipere non possent, [c] *quis enim cognouit mentem Domini?* sed ex Scripturarum inter se collatione decernunt, quanquam non omnes pari successu sententiam ferunt. Neque enim vbique Deus omnia in Scripturis dicit, sed subinde quædam in suspenso relinquit quæ aliunde lucem habeant, vt scrutandi & meditandi assiduitate & labore nos exerceat. Quod idem in alijs quoque disciplinis & apud alios scriptores vsuuenit, vt quod alicubi obscurum est, sit alibi manifestum; quos tu stultus fueris si propterea æquiuocationis vestræ patronos dixeris.

d Ioan.15.15.

At inquis [d] *Christus dicit se omnia quæ audiuit à Patre, Apostolis*

e Ioan.16.12.

nota fecisse; qui tamen post, [e] *multa se prætereà habere dicit quæ dicenda essent, quæ tamen tunc portare non poterant*, vt prius illud nisi per æquiuocationem constare non possit. Oppono verò tibi Leonem vestrum Romanum Episcopum, qui his inter se collatis lo-

f Leo.ser.2.

cis scrupulum tuum eximit. [f] *Non alia*, inquit, *erat insinuanda veritas, nec alia prædicanda doctrina; sed oportebat capacitatem eorum qui docebantur augeri & multiplicari constantiam charitatis. Multa* ergò illa quæ *Christus habuit dicere* non erant alia quàm quæ iam ante docuerat, sed eadem altiùs imbibenda. Docuerat ille omnia, quæ tamen Apostoli nondum satis capaces non ita didicerant vt non essent eadem vberiùs docendi. Hoc ille se fa-

g Ioan.14.26.

cturum promittit per Spi. sanctum [g] *qui docebit vos*, inquit, *omnia*

nia; non docendo alia, sed *suggeret*, inquit *vobis omnia quæ dixi vobis*, qui scilicet celaui nihil, sed *omnia quæcunque audiui a Patre nota feci vobis*. Iam illa quæ affers, [h] *Lazarus amicus noster dormit*, & [i] *soluite templum hoc & tribus diebus iterum readificabo illud*, quæ nonnisi ambigua verborum significatione & vsu parùm attentos fugiunt, ad hanc causam non pertinere supra ostensum est. Neque magis ad rem est quod postremum adducis de Christo Emauntem proficiscente, neque quicquam ibi est quod æquiuocationem Martyris tui quoquo modo resipiat, nisi quòd tu miserrima penuria corradis omnia, apta ad rem an inepta nihil interest, modò vllus ad chartam implendam prætextus sit. Visus est discipulis, [k] *retentis oculis eorum*, tanquam peregrinus: interrogauit tanquam ignarus; benè precatus valedixit illis tanquam longiùs iturus: atqui ad mixtas tuas propositiones & mentales clausularum asseruationes, quorsum hæc? Itáne verò in re seria nugas agis? Certè dilemma tuum nihil ad nos quibus neque consuetudo est *damnare quæ legimus, neque non legendo, intolerabili confidentia de rebus non intellectis ferre sententiam*; tu verò, quod videt Christianus orbis, intolerabili impudentia lectoribus tuis fucum facis, qui tam magno prætextu rem aggrederis, & tam longo verborum ambitu nihil dicis.

h Ioan. 11.11.
i Ioan. 2.19.
k Luc. 24.16.

Cæterùm qui argumento rem effectam dare non potes, saltem pro irrefragabili doctrina tua solues expeditè & inuictè quæcunque à nostris in aduersum obiecta sunt. Ac primò sedulò agis ne in æquiuocatione mendacium sit, quod vbi præstiteris, de reliquo nihil solicitum esse volumus. Id verò vt clariùs intelligatur & certiùs, paucula quædam nobis & breuitèr de veritate & mendacio præmittenda sunt. Est autem veritas, quod nostrum quidem negotium attinet, adæquatio intellectus & rei, qua siue componendo siue diuidendo res quæque ita cogitatur prout in se est. Porrò homo intelligendi facultate præditus, cùm sit ad societatem natura compositus, ad eamque vis omnis rationis & intelligentiæ feratur, quam tamen tueri nisi sensa animi sui communicando non potest, signorum habet inditam naturâ rationem, qua impertiri se alijs, & quodcunque intelligit, accommodare in commune possit. Cùm verò in vsu humano signorum quibus cogitationes suas exerunt, innumerabilis multitudo sit, certè illa maximè, vt rectè Augustinus animaduertit,

l August. de doct. Christ. l. 2. c. 3. l *in verbis constituta est.* Itaque verba & oratio in hoc à natura suppeditata sunt, vt signa sint cogitatuum & menti proferendæ seruiant; ex quo m *innaturale est & indebitum*, vt Aquinati visum est, *quòd aliquis voce significet id quod non habet in mente.* Hic ergò à mente in linguam transitio veritatis est, id natura postulante vt quam intellectus rerum notitiam percipit, eandem, facta in linguam impressione, verbis edat. Veritas ergò in hac causa est adæquatio iusta signi & signati, seu animi rectè informati quædã in verbis expicturatio, mentisque ac linguæ concors & indiuisa coniunctio. Quare n *qui verum dicit*, inquit Thomas, *profert signa conformia rebus*, prout scilicet in animo & intellectu sunt; è contra verò o *ille mentitur*, inquit Augustinus, *qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet significationibus profert.* p Hoc enim *quisque debet*, inquit, *enunciationi suæ fidei* (hoc est, vt ibi vult, credulitatis suæ) *vt illud per eam proferat quod animo tenet, & sic habet vt profert.* Itaque q *nemo dubitat*, inquit, *mentiri eum qui volens falsum enunciat causa fallendi*; vnde concludit; *Quapropter enunciationem falsam cum voluntate fallendi prolatam manifestum est esse mendacium.* Hanc mendacij rationem cùm abnuere Iesuita non posset, posuit illam quidem, sed ita posuit tanquam aculeo se pungi sentiret quem mox exemptum voluit, nec duriùs tractare ausus sit. *Mentiri*, inquit, *est enunciare contrà quàm sentias.* Benè verò tu & breuitèr, sed vide ne, dum festinas, tua tibi definitio fraudi sit. Quid ergò de æquiuocatione? *Qui vtitur æquiuocatione*, inquis, *eam omninò verbis suis sententiam subijcit quam conceptam tenet animo, quamq; verba ipsa significare possunt, quamuis auditor in aliam partem interpretaturus existimetur.* At tu, scelus, quid ita tandem rem totam celas? Quid ita turpitèr vnicam hanc vestram Iesuiticam prodis? De verborum æquiuocatione non agitur hìc, quod antè monuimus & tu optimè scis, de mentali æquiuocatione tota lis est. De illa docuit te antè Theologus tuus, verbis enunciatis non contineri sententiam animo conceptam; taceri per clausulam reseruatam intentionem loquentis, sensumque longè diuersum, immò planè repugnantem, verbis ipsis expressum dari. Attende quod narro, & disce planiùs agere: Tu æquiuocationem memoras *cuius sententiam verba ipsa significare possunt*; at illa nobis vertitur cuius sententiam verba ipsa ferre non possunt. Quam te palàm est non inscitia

m *Tho. Aquin. sum. 22. q. 110. art. 3. in corp.*

n *Summ. vt supra q. 109. art. 1. ad 3.*

o *August. de Mendc. cap. 3.*

p *Ibid.*

q *Ibid. cap. 4.*

scitia & simplicitate, sed mala conscientia & defensionis tuæ fastidio & nausea præterire; quia illam postea tangis quidem acu, sed perparcè & tantùm in exemplo, quasi hircum oleat, nec tu diu tantum fœtorem tam teneris naribus perferre possis. Mitto interim quòd ex Augustino satis perfidiosè affers quod ille tantùm [r] de mysterijs & parabolis, de tropicis & figuratis locutionibus nihil ad te attinentibus dixit. Mitto recoctam Cramben Doctorum, quorum authoritatibus pariter & Scripturarum testimonijs quibus tu nefariè abuteris, iampridem abundè satisfactum est. Mitto quisquilias ineptiarum quibus tu *ex quotidiana sermonis humani consuetudine* chartulas tuas planè otiosè infarcis quasi rima tibi aliqua vel potius hiatus explendus esset, vocabulum hominis aut leonis ad picturam accommodatum; regem apud nos absolutè nonnisi de rege nostro intelligi; cœnam vesperi nonnisi de communi mensa accipi. *Multa*, inquis, *sæpè non exprimuntur, quia ipsa rerum, personarum, locorum, temporumq́ conditio satis interpretatur quam in partem accipi debeant ea quæ dicuntur.* Atqui ad æquiuocationem quid illa omnia? quam si in communem vitæ consuetudinem admittendam decreueris (admittis autem si hæc omnia quæ dicis ad æquiuocationem referenda censeas) faxo vt fustigent te populares & compatres tui, quòd parùm cōmodè tua diuidas & nimiùm propales arcanum quod illi rebus suis seruandum putant. Ad illud accedo in quo caput causæ est quod tu cum istis arte conuoluis & tacitè in aceruum mittis, vt pro monstro hoc Pontificio dicas aliquid & tamen lectori turpitudo tua haud ita facilè perspecta sit. *Cùm quis*, inquis, *nullis iustis indicijs in ius vocatur quia nemo tenetur seipsum magistratui prodere, idq́ lex ipsa natura satis docet, apertè & liberè sine tergiuersatione vlla negare potest id cuius gratia accersitur, quia semper clausula illa intelligitur, ita vt tenear dicere.* At tu sine tergiuersatione nequam es, qui tuos sine tergiuersatione mentiri doces & peierare. Hìc verò de definitione tua te conuenio. *Mentiri est*, inquis, *enunciare contrà quàm sentias.* At, inquam, qui per æquiuocationem negat, conscius se esse quod est, vel fecisse quod fecit, enunciat contrà quàm sentit. *Minimè*, inquis, quia subintelligitur illi sensus sui clausula, *ita vt tenear dicere.* Atqui de clausula non moramur, de enunciatione res agitur, cuius clausula tua pars nulla est. Nam [s] *enunciatio* Thomæ tuo est *manifestatio*, quam [t] *actum veritatis*

[r] *August. cont. mendac. c. 10. Vera, non falsa dicuntur, quia vera non falsa significātur, seu verbo seu facto. Quæ significantur enim, vtique ipsa dicuntur: putantur autē mendacia, quoniam non ea quæ vera significantur dicta intelliguntur, sed ea quæ falsa sunt dicta esse creduntur.*

[s] *Tho. Aq. summ 22. q. 110 art. 1. c.*

[t] *Ibid q. 109. art. 3. c.*

ritatis esse dicit. At clausula tua quæcunque sit, *manifestatio* non est. Ab *enunciatione* ergò diuisa est. In enunciatione ergò mentiris quia contrà sentis quàm in enunciatione est. Te Bellarminus de surrepta penula reum peragit. Negas te surripuisse qui tibi tamen surreptæ conscius es. De clausula tu videris; certè in enunciatione mendacium est, quia contrà quàm habet animus tuus enuncias. Neque verò vitare vllo modo poteris, quia in contrarijs vtrunque verum esse non potest; facit autem reseruatio tua vt tibi contraria dicas. Fecisti hoc? *Minimè*, inquis; non feci; addita intus exceptione; *ita vt tenear dicere:* quod huc redit; feci quidem, sed ita vt non tenear dicere. *Non feci & feci* contraria sunt, & te tuum feci mendacem facit. Dic enim; enunciatio tua vera est an falsa; nam alterutram esse necesse est. Vera non est, quia [u] *veritas est æqualitas signi ad rem signatam*, vt antè vidimus. Non est autem hìc æqualitas signi ad rem signatam, quia in signo nullum, in re & in animo tuo furtum est. Falsa ergò est & proinde mendacium est, quia quod antè vidimus *enunciatio falsa cum voluntate fallendi*, quod tu hìc maximè operam das, mendacium est. Quòd si iuratus enuncies, bis peccas & mendacio periurium accumulas, horrendo scelere reus qui Deum falsi testem facis. Neque iuuat te clausula tua ludificatrix: *ita vt tenear dicere*; quando eo ipso teneris dicere quia iuramento te dicturum confirmas. Nec verò vllæ te *reseruationum* ambages immunem faciunt, quia quod optimè Isidorus & post illum Bernardus monent, quod & iure vestro Canonico sancitum est, [x] *quacunque verborum arte quisque iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit.* Nam [y] *omnis qui iurat*, vt habent ex Chromatio Canones vestri, *ad hoc iurat, vt quod verum est eloquatur.* Iuratus ergò nisi verum eloquaris, non excusat te reseruatio tua, periurus es. Nec est quòd de Iudice litem facias, quia te docet Hieronymus, [z] *etiam inter hostes seruandã fidem, nec considerandum cui sed per quem iuraueris.* Nec verò Ethnicorum & idololatrarum tribunalibus & commercijs fallendam sibi vel ludificandam iuramenti religionem & fidem, Christiani vnquam in animum inducere potuerunt. [a] *Emori malumus*, inquiunt, *propter confessionẽ fidei quàm aut mentiri aut inquisitores fallere: alioqui in promptu erat vsurpare vulgatum illud; Iurata lingua est, animus iniuratus est.* Haud illis in promptu Iesuitica fides, vt de quo

u *Ibid. art. 1. c.*

x *Isidor. Hispal. sentent. l. 2. c. 31. Bernard. de inter. domo, c. 15. 22. q. 5. c. 9. Quacunque.*

y *Chromat. in Mat. 5. & habetur, 22. q. 5. c. 12 Iuramenti.*

z *Hieron. in Ezech. lib. 5. cap. 17.*

a *Iustin. Martyr. Apolog. 2.*

quo lingua per iuramentum pronunciat, de eodem animus per æquiuocationem iniuratus maneat. Denique hùc afferri potest non incommodè quod Christus Seruator in Euangelio monet: [b] *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Si in verbis tuis falsum sit, noli tibi de clausulis tuis blandiri; quin expecta vt falsi iustam mercedem feras. Quippe de viro iusto ciue supernæ Hierusalem Augustinus ex nescio qua Prouerbiorum versione; [c] *Nihil falsi,* inquit, *de ore ipsius procedit*: & de redemptis illis Agni primitijs Ioannes; [d] *In ore eorum non est inuentum mendacium*: De quibus etiam in Psalmo legitur; [e] *Qui loquitur veritatem in corde suo & non egit dolum in lingua sua.* [f] *Lingua agitur dolus,* ait Augustinus, *cùm aliud ore profertur, aliud pectore tegitur.* Hoc nimirum clausulis tuis & æquiuocatione agitur, vt sit [g] *aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum, quod malum,* inquit ille, *proprium est mentientis.* Nam quoquò te vertas, falsum est quod *ex ore tuo procedit*; *quod in ore tuo inuentum est mendacium est,* & eò profertur vt dolo & fraudi sit. Quare tu nullus in tabernaculo Dei; nullus in ciuibus supernæ ciuitatis, in Agni primitijs: metuendum tibi potiùs ne illa te sententia comprehendat; [h] *Perdes, Deus, omnes qui loquuntur mendacium.* Vide vt tibi subintellecta clausula suppetias ferat, quæ ipsa loquelam tuam mendacij conuincit. Pro qua tu, authoribus miserrimè destitutus, Syluestrum nobis affers, atrum & scholæ vestræ hominem, qui tamen nonnisi *cautelosam & sophisticam responsionem* docet, de retinenda clausula nihil habet. Nam quòd Gregorium citas, facis tu factum te dignum, homine omnium mendacissimo, quando tam apertè [i] ille monet, interim dum aliquid reticetur, verum tamen per se esse debere quod asseritur; taceri aliquid nonnunquam per prudentiam oportere; nunquam oportere aliquid per mendacium taceri: Samuelem de immolatione Domino facienda dixisse populo; de vngendo Dauide siluisse; quorsum tibi hæc? Quòd si Samuelem Gregorius ita loquentem interpretatus esset, Non veni ad vngendum Dauidem, suppressa clausula, *ita vt vobis tenear dicere,* palmam tu certè habuisses qui iam nonnisi falsarius & impostor es. Immò quid Gregorium narro? da mihi tu furcifer ex omni hominum antiquitate, loquor indignabundus & æger, da ex omni antiquitate, Ethnica, Iudaica, Christiana, da vel vnum cui reseruationes istæ tuæ probatæ

b *Mat.* 12.37.
c *August. de Mendac. cap.* 18. *& cont. Mendac. c.* 16.
d *Apoc.* 14. 5.
e *Psal.* 14.3. *vulgat.*
f *August. in Psal.* 14.
g *August. Enchirid. cap.* 18.
h *Psal.* 5.6.
i *Supra.*

sunt, nisi siqui fortè in infamiam notati sunt & humani generis in pestem habiti, quòd compages & glutina violarent, quibus hominum inter se societas & commerciorum omninò omnium interfrequentia consistit. Antiqua verò iuramentorum religio quàm stultè prædicat[k] Atil. Regulum, quòd iuratus ad palpebrarum resectionem & lentæ mortis tormentum rediret quando æquiuocatione saluti suæ consulere potuisset? Nec magis cautè perstrinxit illum graui censura[l] qui cùm triginta dierum cum hoste pactus esset inducias, noctu agros populatus lusit in iuramento per æquiuocationem, quòd dierum factæ essent, non noctium induciæ: aut[m] illos ignominia notauit qui post Cannensem pugnam missi ab Hannibale ad Senatum de redimendis captiuis, & iurati se nisi impetrarent in castra redituros, paulò postquam egressi erant, reuerterunt, tanquam aliquid essent obliti, & hac fraude, cùm res Romæ non succederet, iureiurando se liberatos senserunt. Quorsum verò ista omnis iuramentorum conscientia quæ Patres isti tam facilè citra noxam fallunt? Sed mitto ista, quæ postea fortasse commodior erit dicendi locus. Interim tu scias taciturnitates illas, quas narras, confessionum & consiliorum, vbi amphibologijs & ambiguitatibus consistunt, nobis non improbari; damnari prorsus à nobis vt mendacio tegantur. Age omni modo ne confitentem tuum, ne amicum prodas, sed vsque ad aras; nec hominum occasionibus dandum puta quod diuina Maiestate indignum sit. Prætereo quæ iterum hìc de Ezechia & Niniuitis non sine fastidio inculcas, de quibus abundè supra responsum est, nec vacat otiosi hominis circulos & replicata vestigia saltitare.

k Tull. Offic. lib. 3.

l Ibid. lib. 1.

m Ibid. lib. 3.

Ad illud transis quòd *æquiuocatione falluntur homines*, quo tamen affirmas nihil nos iuuari nisi axiomatis instar assumptum fuerit, *Nemini ne bonis quidem artibus vnquam licere quenquam fallere*. Vbi tu despectissima fraude principium petis, & tibi superbè das, æquiuocationem in *bonis artibus* numerandam esse, quod nemo tibi seu sanus seu insanus dandum putet. Falle verò *bonis artibus* sicubi opus est; non inuidebimus tibi talium artium magistros; sed noli mendacio, noli fallere periurio, noli quas tibi schola cœlestis non explicuit, fallendi artes ab inferno mutuari. Falle hostem stratagemate; falle loco; falle tempore, non repugnamus; fefellit hoc modo Iosue Aitas Deo ipso authore;

quòd

quòd ſiquid ex condicto cum hoſte eſt, vt erat ei cum Gibeonitis, ibi fallere & ſenſus tuos reſeruatos & mentales obtendere, turpiſſimum perfidiæ genus eſt & diris omnibus atque vltima execratione deuouendum. [n] *Si conſtitutus ſit cum hoſte aut locus aut dies prælio*, ait Ambroſius, *aduerſus iuſtitiam putetur aut loco præuenire aut tempore.* Non ita Ieſuita; cautum ſit de loco, de die, de non præoccupando habet ille ſubintellectam clauſulam, *niſi ex vſu mihi futurum putem*, qua integrum ſibi facit præuaricari, nec vlla illum vincula ligatum tenent. Otioſè verò totum hoc de ſtratagematis vſurpatur, quia nulla ibi conſiliorum communicatio; nulla ſignorum interceſſio quæ mentibus noſtris inuicem aperiendis conſtituta ſunt. Pariter etiam vana ſunt quæ ſequuntur de obiecta Mariæ hortulani ſpecie (quanquam hoc qui conſtat?) & de Chriſto longiùs ire præſeferente, cum ad Emauntem iam eſſet; commodè iſta ſtare poſſunt, tua vt interim æquiuocatio tecum pereat. Nulla hìc enunciatio falſa ſupplemento interiori ſarcienda. Non dixit Magdalenæ; Ego ſum hortulanus, reſeruato ſibi ſenſu, *quantùm quidem tibi videtur.* Non dixit diſcipulis manere ſe apud illos non poſſe, cum retenta clauſula; *ita vt vobis tenear dicere.* Quod hìc eſt, non in verbis ſed in facto eſt. Noli nobis dare verba per facta quæ nihil hùc attinent, niſi certam & expectatam ab altera parte ſiue ſignificationem ſiue quaſi reſponſionem continere debeant. Certè de verbis percommodè Auguſtinus; [o] *Vtique verba propterea ſunt inſtituta non per quæ ſe inuicem homines fallant, ſed per quæ in alterius quiſque notitiam cogitationes ſuas perferat. Verbis igitur vti ad fallaciam, non ad quod inſtituta ſunt, peccatum eſt.* Hìc verò pro ſtolida tua ſubtilitate neſcio quid afters de *vi repellenda*, &, *tuendi*, inquis, *capitis ſui cauſa inuaſorem licet occidere.* At eſto vt liceat; iniquè tamen & per iniuriam non licet. Sicarios licet & latrones & graſſatores publicos; perſecutores verò in cauſa Chriſti non licet. Eſto quæſo vt alicubi valeat: [p] *Ego dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, & ei qui tecum vult in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, &c.* Alioqui ô ſtolidiſſima Martyrum patientia, [q] *Penes quos malum malo diſpungi non licuit; quorum diſciplinâ magis occidi licuit quàm occidere.* Eſto ergò vt arcanum, hoc eſt enim quod infers, aduerſum intruſores & vſurpatores tu-

[n] Ambroſ. Offic. l. 1. c. 29.

[o] Auguſt. Enchir. cap. 22.

[p] Mat. 5. 39.

[q] Tertul. Apologet. cap. 37.

eri liceat: quæritur tamen adhuc quatenus & quomodo liceat. An quia arcanum tueri licet, ideò licita est æquiuocatio vestra per quam tueamur? O te ineptum Sophistam cui ita planè desipere tam in promptu est. *Quæ iure possidemus*, inquis, *ea iure defendimus*. Quid ad rem, ignaue, quando de iure æquiuocationis nullum tibi adhuc argumentum est? Constet primò de iure, de vsu deinceps quæstio non erit. Atque hìc noli nobis circuitione ista & ambagibus vti. Da quod rem acu tangat. Da alicubi apud veteres qui vel præcepto vel exemplo docuerit, reo licere etiam iurato, negare coram Magistratu factum à se quod factum est, subintellecta tantùm clausula, *ita vt tenear dicere*; quod si licuisset, certè in tanto rerump. vsu, in tam infinita præceptionum & memoriarum varietate præteriri silentio potuisse nemo credat. Sin verò hoc non possis, noli tu nobis, inuisum animal, noua iura dicere, nec valere apud nos puta quod ab incude primùm vestra & Sophistarum officina profectū est. Proximo loco planè ridiculus es qui societatem hominum putas absque æquiuocatione vestra constare non posse. Itanè verò vt nulla ante fuerit hominum societas quàm fœdam hanc & lutosam prolem scropha illa Babylonica enixa est? Atque hìc lepidus declamator bellissimè suas partes agit. *Quid humanæ societati perniciosius*, inquit, *quavè capitalior pestis humano conuictui excogitari potest, quàm cùm arcanorum iure sublato nihil cuiquam rerum suarum apud se habere licet, atque vt quisque importunissimus est, ita potest aliena omnia facta, dicta, consilia rimari atque inuestigare*. Nempe ex Iesuitarum societate hominem agnoscas quorum ita plena sunt arcanis omnia, vt nisi per fraudes, mendacia, periuria, per omnes hypocritarum simulationes, astutias, artes sua taceant, conclamaturus mox sit orbis Christians in exterminium eorum, & curaturus diligentèr ne tanta pestis humani generis diu superstes sit. Atqui verò tu ista de *arcanorum iure sublato* nimium futilitèr & ineptè; quasi non citra æquiuocationem cuique arcani sui potestas sit. Quasi importuno cuique quæsitori vel respondere necesse sit. Quasi nulla sit in hominum societate ciuilis & honesta disciplina, qua contineantur homines quominus sint in aliorum rebus curiosi. Quasi non damnentur communi hominum vsu & in vulgus infames & odiosi habeantur, qui aliorum consilijs non accersiti se miscent, & in proximo-

rum causis ac negotijs nimium diligentes & oculati sunt. Interim hac solertia tua honestam omnem simplicitatem ex rebus humanis exulare facis, & suspicionibus ac dubijs animorum suspendijs imples omnia, nulla vt sit communicationum certa securitas, nulla in commercijs & contractibus, nulla in promissis constans fides, dum ab æquiuocatione quisque metuit, & per illam ab omnibus elabendi potestatem habet. Vt suum sibi quisque ex rebus suis fingit arcanum, ita fallendi alios licentiam sumit, vt nihil seriò transigi possit, omnia ludificatione plena sint, nemo sibi responsis aliorum, nec vel iuratis quidem, acquiescendum putet. Quàm misera verò conditio vbi ita viuitur, vt illud Ieremiæ locum habeat? [r] *Vnusquisque se à proximo suo custodiat & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulentèr incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur.* Quod quidem per Iesuitas licet, nec peccat qui per æquiuocationem, pro arcano scilicet suo seruando, fraudulentèr facit cum proximo suo: at si per Deum liceat, cur hoc Propheta tam impensè lamentatur, & ad hanc deflendam iniquitatem fontem lachrymarum capiti suo dandum exoptat? Prætereo hic, Andrea, quàm insulsè nobis ex M. Tullio fabulam narras, [f] *Antonium offensione nescio qua intercedente literas eius in medium protulisse & palàm recitasse; quod ille non aliud esse dixit quàm tollere è vita vitæ societatem, tollere amicorum colloquia absentium.* Ecquid nam hoc, quæso, ad causam tuam? Priuatarum literarum communicationem in vulgus nemo dubitat rem esse omnibus detestabilem & inuisam; atqui an tibi æquiuocatio literas tuas defendit ne per cuiusquam perfidiam in vulgus eant? Quòd si id velis, neminem velle literas suas familiaritèr scriptas in vulgus afferri, quid hìc tandem luctatus es nisi vt nemo te plus satis sapere putet, quin potius vt ab omnibus pro homine ridiculo & insano explodendus sis? Quarè cùm æquiuocatio nonnisi ludendis hominibus, mendacijsque ac periurijs & proditorijs consilijs & machinationibus operiendis excogitata sit, eiusque vsus per vos ita latè pateat vt nulla hominum conuersatio, nullus conuictus, nulla vitæ pars à laqueis eius immunis sit, labefactari per illam necesse est humanam societatem, & vincula illa quibus nostra inter nos colligatio consistit, nefariè perrumpi. Tandem ex abusu præiudicium oriri non vult; *Quid est enim,*

r Ierem. 9. 4.

f Tull. orat. Philipp. 2.

eri liceat: quæritur tamen adhuc quatenus & quomodo licet. An quia arcanum tueri licet, ideò licita est æquiuocatio vestra per quam tueamur? O te ineptum Sophistam cui ita planè desipere tam in promptu est. *Quæ iure possidemus*, inquis, *ea iure defendimus*. Quid ad rem, ignaue, quando de iure æquiuocationis nullum tibi adhuc argumentum est? Constet primò de iure, de vsu deinceps quæstio non erit. Atque hìc noli nobis circuitione ista & ambagibus vti. Da quod rem acu tangat. Da alicubi apud veteres qui vel præcepto vel exemplo docuerit, reo licere etiam iurato, negare coram Magistratu factum à se quod factum est, subintellecta tantùm clausula, *ita vt tenear dicere*; quod si licuisset, certè in tanto rerump. vsu, in tam infinita præceptionum & memoriarum varietate præteriri silentio potuisse nemo credat. Sin verò hoc non possis, noli tu nobis, inuisum animal, noua iura dicere, nec valere apud nos puta quod ab incude primùm vestra & Sophistarum officina profectũ est. Proximo loco planè ridiculus es qui societatem hominum putas absque æquiuocatione vestra constare non posse. Itanè verò vt nulla ante fuerit hominum societas quàm fœdam hanc & lutosam prolem scropha illa Babylonica enixa est? Atque hìc lepidus declamator bellissimè suas partes agit. *Quid humanæ societati perniciosius*, inquit, *quævè capitalior pestis humano conuictui excogitari potest, quàm cùm arcanorum iure sublato nihil cuiquam rerum suarum apud se habere licet, atque vt quisque importunissimus est, ita potest aliena omnia facta, dicta, consilia rimari atque inuestigare.* Nempe ex Iesuitarum societate hominem agnoscas quorum ita plena sunt arcanis omnia, vt nisi per fraudes, mendacia, periuria, per omnes hypocritarum simulationes, astutias, artes sua taceant, conclamaturus mox sit orbis Christians in exterminium eorum, & curaturus diligentèr ne tanta pestis humani generis diu superstes sit. Atqui verò tu ista de *arcanorum iure sublato* nimium futilitèr & ineptè; quasi non citra æquiuocationem cuique arcani sui potestas sit. Quasi importuno cuique quæsitori vel respondere necesse sit. Quasi nulla sit in hominum societate ciuilis & honesta disciplina, qua contineantur homines quominus sint in aliorum rebus curiosi. Quasi non damnentur communi hominum vsu & in vulgus infames & odiosi habeantur, qui aliorum consilijs non accersiti se miscent, & in proximorum

rum causis ac negotijs nimiùm diligentes & oculati sunt. Interim hac solertia tua honestam omnem simplicitatem ex rebus humanis exulare facis, & suspicionibus ac dubijs animorum suspendijs imples omnia, nulla vt sit communicationum certa securitas, nulla in commercijs & contractibus, nulla in promissis constans fides, dum ab æquiuocatione quisque metuit, & per illam ab omnibus elabendi potestatem habet. Vt suum sibi quisque ex rebus suis fingit arcanum, ita fallendi alios licentiam sumit, vt nihil seriò transigi possit, omnia ludificatione plena sint, nemo sibi responsis aliorum, nec vel iuratis quidem, acquiescendum putet. Quàm misera verò conditio vbi ita viuitur, vt illud Ieremiæ locum habeat? [r] *Vnusquisque se à proximo suo custodiat & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulentèr incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur.* Quod quidem per Iesuitas licet, nec peccat qui per æquiuocationem, pro arcano scilicet suo seruando, fraudulentèr facit cum proximo suo: at si per Deum liceat, cur hoc Propheta tam impensè lamentatur, & ad hanc deflendam iniquitatem fontem lachrymarum capiti suo dandum exoptat? Prætereo hic, Andrea, quàm insulsè nobis ex M. Tullio fabulam narras, [s] *Antonium offensione nescio qua intercedente literas eius in medium protulisse & palàm recitasse; quod ille non aliud esse dixit quàm tollere è vita vitæ societatem, tollere amicorum colloquia absentium.* Ecquidnam hoc, quæso, ad causam tuam? Priuatarum literarum communicationem in vulgus nemo dubitat rem esse omnibus detestabilem & inuisam; atqui an tibi æquiuocatio literas tuas defendit ne per cuiusquam perfidiam in vulgus eant? Quòd si id velis, neminem velle literas suas familiaritèr scriptas in vulgus afferri, quid hic tandem lucratus es nisi vt nemo te plus satis sapere putet, quin potius vt ab omnibus pro homine ridiculo & insano explodendus sis? Quare cùm æquiuocatio nonnisi ludendis hominibus, mendacijsque ac periurijs & proditorijs consilijs & machinationibus operiendis excogitata sit, eiusque vsus per vos ita latè pateat vt nulla hominum conuersatio, nullus conuictus, nulla vitæ pars à laqueis eius immunis sit, labefactari per illam necesse est humanam societatem, & vincula illa quibus nostra inter nos colligatio consistit, nefariè perrumpi. Tandem ex abusu præiudicium oriri non vult; *Quid est enim,*

r Ierem. 9. 4.

s Tull. orat. Philipp. 2.

nim, inquit, *ex rebus omnibus adeò bonum, quo abuti non possis si velis?* Scilicet quasi adulteria nobis & latrocinia & parricidia prędicaret, peccatum omnium in abusu collocaret, cùm hæc ipsa omnia per se nonnisi abusus & peccata sint. Est quidem abusus nonnunquam rerum bonarum; at æquiuocationis vsus nullus honestus est; nullus quem tu tibi habitum non inhonestum putes. *An sacrarum literarum*, inquis, *sanctitas veneratioq́; nulla erit, quòd eas hæretici ad confirmandas blasphemias suas adhibent?* At tu miser & perditus qui mendaciorum artificium & incudem cum fonte ipso veritatis & Scripturis diuinitùs inspiratis, summo scelere atque impudentia comparandam putas; qui & pari scelere Scripturas ipsas ad nefariæ artis patrocinium & opem adiungis. Vide verò hìc consultum hominis ingenium & rei suæ sagax. *Vnus quispiam aliquando æquiuocatione abusus est.* De Treshamo rem exponit, qui cùm ipse fassus esset frequentem se intra biennium cum Garneto, & antè quoque non raram conuentionem habuisse, idque cùm ipsius Garneti, tùm Annæ aniculæ, aliorumq́ue confessione & testimonio probatissimum esset, dictatis tamen in ipso ferè mortis articulo & subsignatis à se tremebunda manu literis, pactus animæ suæ salutem asseruit, se Garnetum per sedecim ante annos ne vidisse quidem, ne nuncium quidem aut literas intercessisse; quas ille literas Comiti Salisburiensi post mortem suam exhiberi mandauit. At cur tu, mi homo, nihil hìc de Martyre tuo, magistro artis diabolicæ & exemplari vestro? An ille quoque abusus æquiuocatione qui renunciata per conditionem salute sua, & horrendis in animam suam aduocatis diris habitum cum Hallo colloquium improbus nebulo abiurauit, quod tamen à testibus duobus auditum, & ab Hallo ipso recognitum fateri ipse postea cum pudore coactus est? Atqui absit vt peccauerit tibi Martyr tuus, Sanctus Garnetus; quin ille potiùs verum æquiuocationis vsum vestrum edocuit, eum summa in Deum blasphemia & impietate coniunctum. Cæterùm quod de Treshamo dictum est, *non carere* ais *suspicione fraudis*, ita ipse Iesuitismum fœtens vt ex habitu tuo omnes æstimes, & eandem imposturam & fraudem vestram olere putes. At quæ illa fraus quam tu, homo improbè nasutus, tibi subolfactam putas? *Manauit*, inquis, *in vulgus Treshamum vt animæ saluti consuleret, mendacium quo vt gratificaretur Iudicibus culpâ non suâ virum optimum*

onera-

onerarat, datis ad Salusburiensem literis reuocasse. At vnde illud, *manauit in vulgus*, nisi ex insano cerebello tuo quod sua in se reflexione infinita calumniandi libidine ad rem tuam confingit omnia? Et cur tu *mendacium* dicis & *culpâ non suâ virum optimum onerarat*, quando vir ipse optimus Garnetus tuus rem totam fassus est, suamque ea in re culpam agnouit? Id mox videbimus, tu interim quæso narrà fabulam tuam. *Vt*, inquis, *earum literarum fidem apud multitudinem eleuarent, protulerunt nescio quas literas quas famuli eius manu exaratas dicerent quòd is moribundus calamum tenere non posset, in quibus ea quam modò diximus fabella continebatur.* At intellige, quia tibi tam stolido animali non sponte occurrit, literas illas à famulo ipso populari vestro ex Domini mandato esse traditas, vxore quoque ipsa conscia, & authore marito suo tanti facinoris, nunquam reclamante. Miseret me, Andrea, stultitiæ tuæ, cui non est obuium quàm non sit probabile literas quas tu somnias suppositìtias tacente vxore, tacente famulo scriba, nihilque alterutro repugnante efferri in vulgus & palàm in iudicio proclamari potuisse. Vxorem Garneto nimiùm propensam fuisse constat: famulus proditionis non leui suspicione reus est habitus: quis illos credat rebus nostris tam aduersos imposturam hanc quæ tantam nobis infamiam crearet silere voluisse? Quare hoc *idoneo* admodum *argumento probamus literas eas* quæ in iudicio *prolatæ sunt eas ipsas esse quas Treshamus moriens misit ad Comitem*; de quibus non ita dubitauit Garnetus vt interrogatus quid de illa Treshami protestatione sentiret, planè respònderit, [t] *verisimile fuisse eum æquiuocationis beneficio vti voluisse.* Quanquam quid ego hac de re cum stercore isto contendo qui suspicionem suam insanam fidei opponit honoratissimi viri, totius Angliæ Thesaurarij, Regi potentissimo ab intimis consilijs, cui literæ illæ traditæ & à quo in iudicium prolatæ sunt, quem quis nisi malignus dæmon credat literas miselli hominis & mortui nullo suo, nullo reip. vsu, nullo ad causam momento adulterare voluisse? maximè vt rem ipsam integram relinquat qua à Garneto Treshamus Hispanicæ coniurationis conscientiam amolitur; quam quis sobrius ad rem nostram non maximè celandam & sepeliendam putet? At inquis, *vbi hanc rem Cokus narrat, alio mendaciolo condire eam voluit quo lectorum palato saperet.* Illud verò quod tandem est? [u] *Ait scilicet Garnetum Hispani-*

[t] *Act. pag.* 133.

[u] *Act. pag* 89.

ca

cæ coniurationis reum se palàm pro tribunali etiam tam fateri, cùm tamen Garneto nonnisi multò post dicendi potestas facta sit. At inepte non vides verba illa non Coki, sed interposita esse à scriptore & ad consequentem iudicij processum referri? Id te docere potuit quod post quatuor lineas proxima pagella sequitur; [x] *Et quidem cùm ab ipso Garneto pro tribunali quæsitum esset quid de tali Francisci Treshami è vita demigratione existimaret, hoc vnicum respondit, Ipsum æquiuocare voluisse credo*, quod tamen vides [y] postea in actis describi, ibi verò per anticipationem tantùm rei factæ commemorari. Atqui *Garnetus*, inquis, *apertè luculenterq́; dicit consilium de parando exercitu ab ijs in Hispania, se inscio, captum, seq́; cùm primùm hanc rem audiuit, improbasse*. Esto planè; an verò ideò *non reus Hispanicæ coniurationis?* quandò apertè fatetur [z] *negotiationem illam Hispanicam sibi initio fuisse propositam; petitæ quoque ab Hispano pecuniæ* ad promouendam seditionem *fuisse conscium*, (quam hoc vsu postulatam quis credat illum aliò destinare voluisse?) *postea de parando exercitu intellexisse*; interim verò hæc omnia reip. tam periculosa *tacuisse*. [a] *Fatendum est*, inquit, *me ista celasse; & vltrò fateor leges quæ eiusmodi celare prohibent apprimè esse iustas & salutares: neque enim Principis salus ab alterius conscientia pendere debet.* Agnoscit quod ad reatum, & quidem lege per ipsum *apprimè iusta & salutari*, satis est. Conscius fuit & celauit; eo ipso coniurationis se reum facit. Quanquam non conscium solummodò, sed & actorem & quidem ex primarijs vnum fuisse constat, quod ex reliquorum coniuratorum responsis & testimonijs, [b] Attornato Regio proponente, inter acta relatum est. Et quidem vt cætera nihil sint, hoc ipso Hispanicæ coniurationi interfuisse conuincitur quòd in [c] colloquio cum Hallo Iesuita Regio se indulgentiæ diplomate ab Hispanicæ coniurationis actione absolutum professus est.

x Act. pag. 90.
y Act. pag. 132. 133.
z Act. pag. 98.
a Act. pag. 98. 99.
b Act. pag. 17. 18. 72. 73.
c Act. pag. 86.

Proximo loco ex lapsu interpretetis Coko Cacodæmon iste mendacij calumniam struit. Nam quod dixerat Cokus *æquiuocationem admodum vetustam esse, quippe ab Ario hæretico intra annos post Christum natum paululum supra trecentos vsurpatam*, perperam ille reddit, *paulò minùs trecentos annos post Christum enatam*. Porrò quod à Coko Anglicè dictum est *Arium ab Imperatore Constantino intercessione pro illo obnixè facta, ab exilio reuocatum*, vertit ille paulò secùs quàm oportuit; *ad humillimam ipsius*

sius petitionem ab Imperatore reuocatum. Quæ duo qui attendit, facilè videt in ventos abire quæ hic ab otioso declamatore de calculo annorum Christi ad Constantinum, & alienis pro Ario restituendo consilijs & interpellatione dicta sunt. Quòd siquid ibi Cokus peccauit, certè in eo peccauit quòd Iesuiticum æquiuocantis Arij periurium non animaduertit, saltem absque mentione prætermisit. Nempe historia sic habet, [d] Arium à Constantino, intercedente & de eius conformitate fidem dante Presbytero quodam, quem ei Constantia soror moritura commendasset, ab exilio reuocatum, & interrogatum à reditu an fidei Nicenæ subscribere vellet: libentèr in speciem & absque mora paruisse: factũ hoc admiratum Imperatorem quæsisse porrò an subscriptionem iuramento firmaturus esset, & illum hic quoque incunctantèr annuisse; iurasse sanctè, se, quemadmodum scripserat, ita verè & ex animo sentire, habuisse interim in sinu fidẽ suo sensu descriptam, & ad illam iuramentum, reseruato sibi mentis arcano, retulisse. En hic Arium hæreticum, æquiuocationis, quantum quidem scimus, magistrum primum, vt Iesuitas Ariano-Papistas odisse discas quos non pudet orbi Christiano tam detestabilis perfidiæ secundùm Arium authores esse. Pupugit Andream nostrum hæc de Arij fraude ac periurio tam commodè adducta historia, nescientem quò se verteret vt Iesuitarum causam ab infanda hæretici tam infamis impostura discriminaret. Quare id solùm agit vt rei fidem imminuat, quia *Theodoretus, Socrates atque Sozomenus scriptores eorum temporum proximi celatæ huius in sinu syngraphæ non meminerunt; Nicephorus autem vt tam multis seculis posterior, ita etiam minoris auctoritatis est.* At vide hic despectissimi blateronis inscitiam paritèr & impudentiam, quando apud Socratem quoque, quem ipse commemorat, libro primo, capite penultimo, manifesta huius historiæ descriptio inuenta est. [e] *Imperator*, inquit, *opinionis Arij periculum facere cupiens, illum ad palatium suum accersit; rogat vtrum Concilij Niceni decretis consentiret. Ille sine mora alacri & prompto animo coram Imperatore subscribit, cùm tamen ea quæ in Concilio de fide decisa erant, astutè & veteratoriè ludificatus sit. Imperator hoc admiratus illum etiam ad iusiurandum adigit. Ille simulatè & fallaciter istud quoque præstitit. Fucata verò ratio qua ad fraudem in subscribendo vsus est, sicut ipse audiui, talis fuit. Arius suam ipsius opinionem in charta quam*

[d] *Niceph. hist. ecclesiast. l. 8. c. 51.*

[e] *Socrat. hist. lib. 1. cap. 42.*

I *habebat*

habebat conscribit; eam sub ala gestat. Iurat se verè & ex animo sentire, quemadmodum scripserat. Verte iam denuò libros, Eudæmon, siquidem Eudæmon, & renuncia nobis an Socrates celatæ illius in sinu syngraphæ meminerit; saltem ægrè ne feras quòd insignem te falsarium dicamus, quem non pudet tam constantèr asserere quod tam apertè falsissimum est.

Postquam verò se videt infamiam hanc à se suísque auertere non posse, in eo totus est vt non proximos modò, quales Iudam commemorat & Elchesitas & Manichæos & Priscillianistas & Pelagium & Eutychen, sed & nostros quoque tam longè dissitos in eiusdem criminis & inuidiæ societatem asciscat. Hìc verò animaduertendum primò est quod ad marginem adscribit; *Æquiuocatio*, inquit, *& fraus in rebus fidei hæreticorum propria.* At dic sodes, Andrea; hiccinè vobis est animus æquiuocationem in rebus fidei nullam esse oportere, & nonnisi hæreticorum propriam esse? Quòd si ita sit, cur tu Christum, cur Prophetas & Apostolos æquiuocationis in ipsis fidei rebus authores facis? Fidei res erat & [f] *credita à Niniuitis* sententia illa Ionæ; *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur*, & tu tamen inuitam ad æquiuocationem trahis. Locum illum Euangelij, *De die illo & hora illa nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius ipse sed Pater solus*, negant Sacerdotes ipsi vestri per æquiuocationem exponendum, quia tunc æquiuocatio in rebus fidei admittenda esset; & tu tamen pro æquiuocationis exemplo ponis. Quin & [g] Catholicus ille Theologus tuus, quem supra commemoras, pro ea qua erat singulari impudentia, ex vno Ioannis capite octauo octonas nobis sententias affert, omnes ad fidem spectantes, quas ad execrabilis huius perfidiæ vestræ patrocinium rapit: [h] *Ego non iudico quenquam.* [i] *Veritas vos liberabit.* [k] *Ego non quæro gloriam meam.* [l] *Amen, amen, dico vobis, siquis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* [m] *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* [n] *Non cognouistis eum.* [o] *Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est.* [p] *Amen, amen, dico vobis antequam Abraham fieret, ego sum.* Hic ille est, scilicet, qui nihil vnquam sceleris erubuit, Parsonius vester, homo ad omnem nequitiam vsque ad miraculum obfirmatus & plenissimam iam transactæ per turpitudinem vitæ mercedem ferens. Tu verò iam, Andrea, responde nobis, cùm ad fidem illa pertineant, quid tu

f *Ion.* 3.4.5.

g *Append ad Rat. cum Marton. pacatè & sobriè subductam.* §.12.18. *&c.*

h *Ioan.* 8.15

i *Ver.* 32.

k *Ver.* 50.

l *Ver.* 51.

m *Ver.* 54.

n *Ver.* 55.

o *Ver.* 56.

p *Ver.* 58.

tu æquiuocationem in *rebus fidei* hæreticorum propriam dicis? An verò Christus hæreticus, cui per vos in fidei causis æquiuocè agere plerunque consuetum est? Verè vobis Christus hæreticus, quod probè sentiret si iam Romæ ageret & de Iesuitarum fide sententiam ferret. Atqui tibi Christus; [q] *Ex ore tuo*, inquit, *te iudico, serue nequam*. Tu æquiuocationem in rebus fidei ex Euangelio dogmatizas, & proinde teipso teste cum hæreticis connumerandus es. Quare habe tibi gregales tuos, [r] Elchesitas & Priscillianistas quibus ista in fide æquiuocatio vestra perplacuit, quique ab isto fundamento externam Christi abnegationem reseruata mentali fide sartam tectam præstari docuerunt. Quin & habe tibi Arianos, Manichæos, Pelagianos, Eutychistas, quos tu omnes testaris ad eludenda iudicia Ecclesiastica hac arte, scilicet vestra, vsos esse. Nam qui Christum ais & Apostolos in fide annuncianda artem hanc vestram æquiuocationis adhibuisse, quid habes quod in illos dicas qui ab exemplo tam illustri fidem suam eadem impostura occultare didicerunt? Quare quid est quod nostros insimulas, *Lutherum*, *Zuinglium*, *Caluinum*, *Bezam*, *Cranmerum*, quibus fecisse quod Christus fecit, ignominia esse non potest? & tu Christum dicis auditores suos per æquiuocationem fefellisse. Quanquam vt tu improbè Christum facis æquiuocationis, hoc est, mendaciorum ac periuriorum vestrorum vindicem, ita nonnisi per summam fraudem agis vt nostros illos, Lutherum, Caluinum & reliquos in eandem perfidiæ reprehensionem adducas. Ac primò quod Lutherum ais *cùm nihil minùs cogitaret quàm vt summi Pontificis iudicio staret*, varijs tamen ad illum scriptis literis submittere se illi per omnia videri voluisse, quia nonnisi figmentum est malitiæ tuæ ex rebus ipsis argumentum non habet, reijcimus planè, nec est cur spectra temulenti hominis respondendi nobis molestiam facessant. Certum est Lutherum nimis initiò in Pontificem propensum ingenuo candore fecisse omnia, & quo erat ad pacem studio & summa in Romanam Ecclesiam obseruantia, facilè ab illo in ordinem adduci litemque illam totam sopiri potuisse, si curatum opportunè fuisset ne per aduersariorum importunitatem noua illi subinde controuersiæ materia nasceretur. Atqui quemadmodum [s] *indurauit Dominus spiritum Sehon regis Heshbon, & spiritum eius obfirmauit ne Israeli petenti transitum daret, vt in eorum manus traderetur,*

q Luc. 19.22.

r August. de hæresib. ad Quodvult. hær. 10. & 70.

s Deut. 2.30.

retur: ita intercedente numine factum est, appropinquante iam periodo regni Antichristi, vt Lutherum assiduè, Pontifice annuente, vespæ & crabrones irritarent, vt magis magisque in palæstram & lucem euocatus, brutas Pontificis fulminationes orbi Christiano irridendas daret, & horrendas ab illo in Ecclesiam inuectas idololatrias & sacrorum omnium prophanationes expurgandas admoneret. Cæterùm quòd Lutherum scripsisse concludis, *se quod verum esse non dubitat reuocaturum in gratiam Papæ nisi alieno iudicio ac conscientia retardetur*, tua est, hoc est, inimicissimi hominis maledicti glossa, non vera Lutheri sententia, cuius hæc omninò mens est, [t] Non se recusaturum hac in re facere quod ad Ecclesiæ Romanæ dignitatem esse possit; vera autem esse quæ hactenus docuerat, id quod non sibi modò sed alijs quoque doctissimis viris satis perspectum esset; vt ergò sua reuocare cogeretur integrum Ecclesiæ Romanæ esse non posse, proinde minimè se facturum quod tam iniquè in illum aduersarij vrgerent. Quanquam quòd illum in Romanam Ecclesiam proteruiùs egisse quererentur, hactenus quidem cedit, vt de indulgentijs, vnde prima certaminis occasio, dehinc sileat, modò eâdem aduersarij conditione teneantur; & pro concione populum commonefaciat, vt de Ecclesia Romanæ piè sentiant & honorificè, nec suum exemplum imitentur qui quodammodo coactus ab aduersarijs parùm reuerentèr illam atque dignè tractarit. Hæc ille nonnisi ingenuè, & quidem *pacis causa*, quod mox profitetur circiter post motam quæstionem sedecim menses, nondum intelligens, quod postea vidit, talem esse Romanam Ecclesiam vt cum illa nisi læsa in Deum pietate, pax esse non posset. Iam verò de Zuinglio egregiè mentiris & non sine summa cùm perfidia, tùm impudentia, pro verbis illius supponis tua. Prodiderat ille in publicum articulos quosdam quibus suam de religione sententiam explicare voluit, ita tamen vt concordiæ causa temperaret se aliquantulum, & quantum salua fide posset, ad fratrum sententiam se adiungeret, nec rigidè nimiùm & ad vltimam vsque lineam loquendo nouarum turbarum occasionem & materiam daret. Postea mentem suam dixit expressiùs in libro *de vera & falsa religione*, quem regi Galliarum exhibuit, non reuocans quæ antè dixerat, neque significans se contrà scripsisse quàm sentiret, quod tu pessimè de cerebro tuo fingis,

[t] *Sleidan. Comment. lib. 1. ad initium anni.* 1519.

fingis, sed tantùm apertiùs omnia & dilucidiùs exponens, quæ antè cautiùs & timidiùs propter scandalum euitandum, celato tantùm aliquatenùs per prudentiam animo, non per æquiuocationem simulato & ementito scripta sunt.[u] *Scripsimus*, inquit, *ante annos duos inter articulos sexaginta septē, decimooctauo de Eucharistia, vbi tempori multa scripsimus potiùs quàm rei. Nequit enim & Christus satis laudare fidelem verbi dispensatorem qui tempestiuè cibum apponat famulitio Domini, sic per admirationem inquiens, Quis, id est, quantus iste fidelis dispensator & prudens cui Dominus familiam suam credidit quò cibum ei tempestiuè præbeat? Statuimus ergò perpetuo tenore sic dispensare verbum vt fructum plurimum Domino repertemus. Quis enim non abijciat seruum qui sæuiente bruma tellurem aratro proscindere eiq; semina credere pergat? Vere ista facienda sunt. Sic nos multa dedimus ea tempestate horum teneritudini quibus scripsimus, sed omnia vt ædificaremus Christi exemplo vel deprompsimus, vel recondimus.* An verò quicquam hic est, Eudæmon, quod calumniæ tuæ locum det? An aliquid quàm quod Christus dixit Apostolis; [x] *Multa habeo vobis dicere quæ non potestis portare modò?* An aliud quàm quod Corinthijs Paulus; [y] *Ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi non escam; nondum enim poteratis, &c.* Annon multa dantur tempori & hominum infirmitati, [z] *non mentiendo, sed compatiendo;* [a] *non amittendo fidem, sed extendendo pietatem*, quæ ad limam postea & amussim propiùs reuocanda sunt? Quare tu nonnisi saxum rodis stultus canis, nec Zuinglium lædis sed dentibus tuis dolorem creas. Nec maiori fœlicitate Caluinum insectaris cuius ea semper sententia fuit, quam in recognita illa Ratisbonæ Augustana confessione comprobauit, *non verè & realitèr corpus & sanguinem Christi in cæna Domini adesse*, quod Prateolus tuus vel tu potiùs authore Prateolo per mendacium citas, sed in *sacra cæna cum pane & vino verè exhiberi corpus & sanguinem Christi*, quod omnes fatemur, nec è nostris quisquam est qui tantundem Sacramento non spontè det; nutasse illum in fide aut parum ingenuè rem tractasse, vtut tu fabulam improbè fingas, effectum dare nunquam poteris. In eo verò quod de Beza tam ridiculo commento narras, nescio malitiam tuam magis an stultitiam admiremur, nec Bellarminus author tuus, credo, fabulam tam insulsam

[u] *Zuingl. de vera et falsa religione, cap. de Eucharistia*

[x] *Ioan. 16.12.*

[y] *1. Cor. 3.1*

[z] *August. de mendac. cap. 21.*

[a] *Gregor. lib. 1 epist. 24.*

 sam

sam in seria disputatione commeminisset, nisi forte nimium potus & caligante cerebro ad rem agendam accessisset. Scilicet Beza *confessionem* [b] *scripsit in qua asseruit Christi corpus verum & naturale verè & realitèr esse præsens in cœna, & communicantibus verè & realiter exhiberi. Cùm inde Lutherani de Sacramentarijs triumpharent, & Tigurini grauitèr in Bezam inuehi cœpissent, respondit ille se vera scripsisse, sed à Lutheranis non benè intellecta; neque enim se locutum de cœna Domini quæ celebratur in terris, sed de illa quæ celebratur in cœlis vbi Christus verè & realitèr præsens est.* Nempe & Romæ quoque *stultorum plena sunt omnia*, & somniare Iesuitis quoque familiare nimis est. Ecquis est studio partium tam insanus, tam excors vt tam crassis istis ludibrijs fidem habeat? Lege nobis apud Bezam aliquid, quod cœnam illam in coelis celebratam vel sonet vel sapiat. Prostant in publico libri; affer equuleos tuos & torque aliquid in sensum hunc, siquo modo per frontem possis. An tibi & Bellarmino tuo Claudius de Zanctes idoneus in Bezam author & testis videtur, impudentissimus veterator, homo vester? Apagete verò, homines nequissimi, [c] *mendaciorum inter vos & periuriorum*, vt Hieronymi verbis vtar, *Orgijs fœderati*, quibus solenne atque sacrum & pars quædam religionis est excogitare calumnias & fraudes, quæ ex vsu vobis ad deformandam Christi veritatem esse possint. Id tantùm est quod [d] Beza vult, in actione cœnæ non hærendum in terris, sed mentem in cœlum subleuandam; [e] *Fidem*, vt loquitur Augustinus, *in cœlum mittendam vt ibi Christum sedentem teneamus*; [f] *Aquilarum*, vt Chrysostomo placet, *non graculorum esse mensam hanc; proinde ad alta eum contendere oportere qui ad hoc corpus accedit & nihil cum terra debere ei esse commune, neque ad inferiora trahi & repere, sed ad superiora semper volare & Solem iustitiæ intueri.* Quod si vobis non probatur, cur in Missa cantatis vetustum illud, & quidem frustra cantatis, *Sursum corda*, quo sacros conuiuas monendos censuit antiquitas de subuehendis in cœlum animis, & in Christi sinum sedentis ad dexteram Dei Patris placidè per fidem deponendis. Pergis porrò Cranmerum nostrum vellicare, quem periurij reum insimulas quòd ad Archiepiscopatum Cantuariensem prouehendus Canonicam obedientiam Pontifici per iuramentum promisit, quam tamen præstandi animum omninò non habuit, & per interpositam fraude pro-

b Bellarm. de sacram. Euchar. l. 1. cap. 2.

c Hieron. ad uer. Ioan. Hierosolymit.

d Vide Bezam ad Claud. de Xanctes. Apolog. 2.

e August. in Ioan. tract. 50.

f Chrysost. in 1. Cor. hom. 24.

protestationem iuramentum elusit. Hoc tu, quæ fides tua est, ex Sanderi libro narras de Schismate Anglicano, quo homine vix quicquam habuit orbis Christianus ad omnem mentiendi licentiam impudentius & obduratius. Certè quæ scripsit in libro illo de Schismate Anglicano ita pleraque omnem fidem hominum & existimationem superant, vt totus ille diabolico furore percitus prostituisse Satanę conscientiam & destinata malicia fræna sibi ad omnem maledicentiæ turpitudinem laxasse videatur. Sed illum Dominus suo tempore compescuit, & laqueo suo suffocauit, & dum apertæ in Hybernia rebellioni Antesignanus est, profugatus & in montibus oberrans, conuersus in rabiem & inedia mortuus, rabiem illam mercede recepit qua in christos Domini, legitimos sibi Principes, non absque horrenda blasphemia bacchatus est. Quare miror te, Andrea, cuius facta imiteris, eiusdem tam diros exitus non perhorrescere. Sed tibi quoque Dominus opportunè os illud sacrilegum obthurabit, & tandem intelliges quid sit perduellionum & proditorum partes agere, & sacrosanctam Principum Maiestatem prorsus immerentem vexare conuicijs & indignissimis contumeliatum iniurijs tam importunè violare. Cæterùm ad Cranmerum quod attinet, cessit ille Regi prorsus inuitus vt ad Archiepiscopatum Cantuariensem eueheretur. Cum neque mora, neque prece neque ratione perficere posset vt Rex consilium mutaret, impetrata priùs venia liberè profitetur se salua conscientia pręsulatum illum interueniente Pontificis authoritate suscipere non posse; Regem ipsum in suo regno supremum esse, Pontifici verò hic nihil iuris esse; id verbo Dei & Patrum authoritate constare, quare in authoritatem Pontificis iurare non posse. Qua de re postquam sæpiùs cum illo Rex sermonem contulisset & videret ab illa sententia dimoueri non posse, rem cum Oliuero quodam alijsque iuris ciuilis professoribus communicat, vt ab illis edoceretur ecqua ratione dignitatem illam Cranmero nihil vt interim conscientię suæ contrarium cogeretur, conferre posset. Admonetur ab illis Romæ rem per procuratorem esse transigendam; ab illo Cranmeri nomine iurari oportere; interim hunc g protestationem suam interponere posse de rebus ijs quibus conscientiæ suæ consultum velit. Hoc intelligens Cranmeus, *Super animam suam*, inquit, *esto si faciat*, & mox protestationem secundum formam iuris in archiuas refert,

g *Vide cap. 6. prope finem.*

fert, se Pontificis authoritatem haud aliam agnoscere quàm quę verbo Dei probari possit; liberum vt sibi semper sit in illum dicere, & erroribus eius contraire, vbicunque occasio postulabit. Iam quid hìc est, quæso, quod cum æquiuocatione vestra conueniat? quid peccauit Cranmerus nisi quòd Sanderus acceptam à Foxo vel potiùs Cranmero ipso historiam ad periurij speciem ex ipso cerebro suo malitiosè detorsit? Atque ab eadem malitia profectum est quòd Cranmerum dicit (nam & in hoc quoque illum authorem habes) decies & septies fidei suæ abnegationem chirographo testatum, quod tamen duntaxat semel fecit; tantùm rogatus vt palinodiam illam publicè profiteretur, articulorum exemplaria duo subsignauit quæ ad populum de scripto, iam iturus ad mortem, recitaturus esset. In quo pessimè cum illo & contra publicam honestatem factum est, quòd postquam illum ad recantationem importunè vrgendo & pollicitando adegissent, tamen de mortis sententia, contrà, quàm fides data est, nihil remitterent, & reuerendum senem, nihil minùs expectantem, quòd illorum postulatis obsecutus esset, nihilominùs ignium tormento deuouerent. Nam quod illum Sanderus ait in hypocrisi deprehensum & propterea comburi iussum, ita falsissimum est, vt cùm illum ferè de improuiso ad mortem raperent, nihil aliud expectarent quàm vt retractationem illam quam antè subsignauerat apertè firmaret, quod sibi ingentis victoriæ trophæum futurum sperarant. Ibi Colus in funebri concione quam imperante Regina meditatus fuerat, publicè testatur, *Quanquam illi per Canones indulgentia & restitutio deberetur, quòd errores suos retractasset, visum tamen Reginæ vt moreretur, cùm ob alias causas non proferendas, tùm quòd matrimonium Henrici octaui cum matre eius Catharina dissoluisset, quòd hæreticorum in Anglia primipilus & praua doctrinæ fons antea fuisset; quòd in nullo alio Fisheri Roffensis mors compensari posset.* Porrò postquam in hoc homine miram fortunæ mutationem ob auditorum oculos statuisset, congratulatus de eius ad Papismum scilicet conuersione, Deoque gloriam attribuens hortatur illum ad constantiam & patientiam, omnia illi in salutem ominatus, vbi vita excederet, quòd iam ad Ecclesiæ gremium redijsset. Deinde vt priora eius cum posterioribus componeret, significat illum cùm affluentia rerum & dignitate polleret, indignum fuisse qui viueret;

uiueret; iam cùm uiuere non liceat, indignum esse qui moriatur. Cæterùm cùm ita necesse sit, curaturum se vt Oxoniæ post mortem eius per omnes Ecclesias Missarum exequię & iustorum omnium in mortuos officia vt animæ requiem adipiscatur pijssimè præstentur. Vide iam an deprehensam hypocrisin ista sapiant; an verò potius omnia iam ad mentem suam ad expugnationem veritatis & triumphum comparata sentirent. *Finita* tandem concione populum commonefacit, ne de conuersione eius & pœnitentia dubitent, ipsum audituros; hortatur ergò vt fidei suæ confessionem faciat, & omnem à se suspicionem auferat; moram requirit & attentionem vt omnes dictatam ab ipso fidei prioris renunciationem capiant. At illusit spem illorum sanctissimus senex, qui profusis de conscientia lapsus sui lachrymarum torrentibus signatas à se schedulas damnat, Papam denunciat Antichristum, & doctrinam eius execratur; quæ de Sacramentis aduersus Wintoniensem docuerat, verissima esse confirmat, nec aliud quicquam probatum iri in die illo. Hìc verò Pontificij Doctores ludibrio se in vulgus factos sentientes, mirum in modum indignantur & fremunt, hæreticum conclamant, Apagete, inquiunt, hæreticum; os occludite, & mox de suggesto deturbatum ad flammas abducunt. Mentiris ergo, Andrea, qui *deprehensam priùs hypocrisin* causam mortis fuisse narras, quæ in illum implacabili odio, qualiscunque tandem futurus esset, constituta est, neque aliud magis speratum quàm confessionem eius iam sub mortem ad maximum causæ Pontificiæ profectum fore. Cæterùm quod ad læsæ Maiestatis crimen attinet, subscripsit ille quidem, Edouardo rege sic arbitrante, ad successionem Ianæ Suffolciensis, sed inuitus planè & omnium vltimus subscripsit, nec aliud fecit quàm quod fecerunt reliqui omnes qui Regi à consilijs fuerant; quod primarij omnes regni Proceres, Iudicesque ac Iurisprudentes potissimi, vnà cum Prætore & ciuitate Londinensi, qui sibi omnes & toti regno à Maria metuerunt. Quare quòd commune crimen fuerat, remisit illi Regina noxam hanc, nec alia quàm religionis causa capitis supplicio damnatus est; quod summo illi ad animi tranquillitatem & patientiam momento fuit. De Elizabetha Regina, lectissima orbis terrarum fœmina, temporum suorum dato diuinitùs miraculo, etsi flagitiosissimè mentiris, qui illam dicis Maria regnante tam sedulò egisse vt se Roma-

no-Catholicam probaret, cui vna religionis causa tot discrimina & molestias dedit, quæque non aliam quàm initio regni iurauit, religionem vnam verè Catholicam ad mortem vsque propugnauit, dedignor tamen vt tibi respondeam, hominum excremento, quando ne nomen quidem inclytissimæ heroinæ, quam vnà cœlum & terra, vita simul & mors æternæ memoriæ consecrarunt, ore tibi tam impuro, tam putrido ac fœtente anhelitu proferendum putem. O te beatissimam Elizabethã, hostium ipsorũ conscientijs verè magnã, quę octo minimùm Pontificibus, te vna regnante, Orco demissis, supergressa iá canũ istorũ si non latratus, nam & Deum ipsum latratu lacessunt, certè tamen morsus, sublimis in cœlo victitas, actura ibi triumphos æternos, Deoque ipso, fonte perenni lucis & vitæ, plenissimo seruatæ constantèr fidei remuneratore, sine fine fruitura. Guilielmus Cecilius vir iure ac merito suo honoratissimus, si fortè nondum in religione confirmatus, cessisset Marianorum temporum iniquitati, & se aliquantulùm ad Principis ingenium accommodasset, humanum in eo passus esset & prodidisset infirmitatem, quam posteà tamen studio religionis & consilijs ad firmandam nobis pacem per summam prudentiam institutis abundè compensasset. Sed falsum est hoc totum quod narras, *tot se in facies vertisse vt se Reginæ probaret*, quia vixit ille per Mariana tempora rure suo Stamfordiæ, & quidem priuatus vixit, probro & macula Catholicismi vestri, nisi quòd suos fortè à conuentu vestro non retinuit (hoc opinor vobis indulsit) totus immunis. At inepte, quorsum hæc, aut quo fine dicuntur? Esto enim vt celatis de fide animis peccarint isti, vt plures alij, quid ad rem tuam? An propria ista nobis? an omninò præcepta aut probata in doctrina nostra? At vide quàm vobis ista fœcunda nascantur. Gardinerus, Bonerus, Tonstallus, Hethus, & reliqui tùm omnes, Roffensi excepto, Episcopi, Henrico Regi ad exturbandam, quam hactenus recognouerant, Pontificis authoritatem assentiuntur, scriptisque ac iuramentis de animis suis fidem faciunt, & illam tamen, vt Mariæ gratificentur, reuocandam arbitrantur. Hardingus Edouardo rege quanto molimine ac strepitu nostras partes ædificat, qui ingentis sibi campanæ vocem optauit vt in Papistarum superstitiones detonaret? qui simulatque Mariæ Reginæ nomen audierat, repentè in alium mutatus, qui vir esset ostendit, & summæ ac singularis perfidiæ

notam accepit. Quanquam non ille solus in hoc luto; quotus enim quisque vestrorum fuerat qui per illa tempora non ad castra nostra transiret, qui non sacris nostris communicaret, fide nostra non acquiesceret; quibus tamen mox resorbere vomitum suum fastidio non fuit? Quantus quoque numerus vester conformes Elizabethæ placitis operam ei præstiterunt? quorum vt reliqua nomina sepulta sint, vnum commemoro Kenallum nostrum Oxoniensem, qui postquam annos complures Ecclesias nostras adijsset, Sacramenta nostra percepisset, Ecclesiasticam apud nos iurisdictionem exercuisset, cùm sibi iam moriendum sentiret, *Mementote*, inquit astantibus, *me Catholicum mori*. Cui ex illis vnus percommodè, *Et te hypocritam vixisse*, inquit, *pariter omnes testes erimus*. Et quid hìc mirum quando vobis per veniam esse licet hypocritis, facultatibus Parsonio & Campiano concessis quæ in scrinijs eorum repertæ sunt? quas nunc quoque pari causa valere non dubitamus, [h] *vt Bulla Pij quinti in Reginam Elizabetham obligaret semper illam & hæreticos, Catholicos verò nullo modo, rebus sic stantibus, sed tum demùm quando publica eiusdem Bullæ executio fieri posset*, interim ergò vt liceret *mandatis eius & legibus obedire*, quod Bulla illa, verè bulla, interdictum est. Atque eo fine misit in Angliam Pontifex nænias suas *Agnorum Dei*, addita emblematis inscriptione, *Fili, da mihi cor tuum & sufficit*, quo indulsit suis vt forinsecùs Reginæ obsequium darent, cor ipsi seruarent, quousque rei gerendæ occasio & tempus esset. Quin & æquiuocatio vestra execrabilis & inuisa, per exempla quidem, in fide quoque, vobis in præcepto est, non ad lapsus, non ad infirmitatis, non ad peccati rationem, sed ad opus virtutis & prætextum religionis habita; vt nostrorum illa quæ affers, ad hominum tantùm, non ad dogmatum suggillationem, vestra verò ad fidei & doctrinæ vestræ detestationem apertè faciant. Tu verò contrà, nostros te simul omnes in capite quodam doctrinæ tenere ais, vtpote *commentos inuisibilem quandam Christi Ecclesiam quæ mille circitèr annis Catholicis admixta ita delituit, vt cùm non habens maculam neque rugam, incorruptæ veritatis tenax, corde Euangelium premeret, ore tamen eandem vobiscum fidem profiteretur, ijsdem sacrorum ceremonijs ac religionibus vteretur*. At tu totus ex mendacijs & fraude confectus, nouitius & stultus, quæ dicuntur à nobis nondum intelligis. Accipe ergo à nobis, vnicam

h *Instit. Anglican.*

duntaxat esse Christi Ecclesiam, cuius pars quædam Romana est, pars Anglicana, pars Germanica, pars Indica & Æthiopica & Ægyptiaca, & cuique ferè genti sua pars; eamque ex quo per orbem propagata est, etsi alicubi aliquando non apparuit, nunquam tamen prorsus inconspicuam fuisse. Ecclesiam hanc, quæcunque illa aut vbicunque sit, non dicimus *non habere maculam aut rugam, aut incorruptæ veritatis semper tenacem esse*; mendacium hoc tuum est, sine quo nullus tibi aditus ad imposturam hanc, quin dicimus potiùs illam dum militat, nunquam carere maculis & rugis, & rarissimè quidem prorsus incorruptæ veritatis tenacem esse. Sed corruptelas dicimus esse maiores & minores; aliquando quippe verrucas & maculas; aliquando languores, aliquando morbos, & eos aliquando quidem & alicubi lethales esse. Nostram ergò esse dicimus seculis illis quæ commemoras, non aliquam per se Ecclesiam, sed illa vnius Ecclesiæ membra, quæ etsi de vitio & prauitate temporum suorum languore forsitan aut morbo infirmata sunt, lethali tamen illa pestilentia per misericordiam Dei, siue non haustâ, siue per pœnitentiam expurgata & sanata, inter illas ignorantias lignorum & fœnorum & stipularum, cum Iesu Christo vnico capite & fundamento per fidem illam in qua propriè salus est, coniuncta sunt. Ac superstitiones quidem & errores atque abusus, immò multa leuia, ridicula, falsa, blasphema, phantastica, immò etiam obscœna & impia, siue vitio temporum, siue hominum incuria & improbitate in preces & officia, & Missam ipsam irrepsisse,[i] vosipsi testes estis, vt mihi probandi opera supersedenda sit. Iam verò temporibus illis neminem fuisse qui confessa à vobis superstitiosa & impia reprobaret, nemo credat; neque verò quisquam credat non alia fuisse reprobanda quàm quæ à vobis confessa sunt. Nam quæ defendendi ratio nulla aut species honesta esse potuit, sublata illa à vobis sunt; quæ verò lucro erant & coloris alicuius aut prætextus operculum habere possent, missa illa prorsus & in scandalum relicta sunt. Quò verò quisque olim à vestris istis magis abhorruit (& quidem omnibus seculis, alij magis, alij minùs abhorruerunt) eò nobis propior, & cum reformatione nostra, qua cætera vestra sustulimus, coniunctior fuit, non quidem alterius Ecclesiæ membrum, sed eiusdem planè cuius & vos membra, si tamen membra, ac non potiùs humores putridi estis. Ne-

i Concil. Tridēt, sess. 22. de celebr. Missæ. Pius 5. in Præfat. offic. beat. Mariæ. Claud. Espenc. in 1. Tim. Digress. l 1. c. 11. Cornel. Agrip. de vanit. scient cap. 17.

que enim cœpta est à nobis Ecclesia sed reformata, nec noua inducta religio sed repurgata quæ fuerat, seruatis Scripturæ libris qui & ante probati sunt; eadem fidei Christianæ professione retenta; non alijs ad pietatem rudimentis, non alijs adhibitis Sacramentis, quàm quæ à primo Christianismo consueta sunt; Liturgia veteri, & quidem vestra, resectis tantùm nouitatibus vestris, in Ecclesijs nostris assiduè recitata; quatuor primis Concilijs quę [k] Gregorio vestro tanquam quatuor Euangelia visa sunt, subscriptione firmatis, religione omni quæ sexcentorum à Christo annorum certo & perpetuo consensu recepta est, indubitantèr approbata. Denique quicquid apud vos auri vel argenti remanserat, in thesauros Dominicos relatum à nobis & ad Sanctuarij negotia & vsus accommodatum est; scorias & purgamenta & spurcitiem omnem tam longo vestro abusu contractam abiecimus, nec adulterinæ materiæ locum in sacris putauimus concedendum. Qua similitudine Cokus percommodè vsus reprehenditur à sciolo Iesuita, quasi illa potius *iuris* quàm *Theologiæ* rationem sapiat, qui ipse tamen hoc ipso singularem suam Theologiæ inscitiam prodit. Nam cùm haud rarum sit in Scripturis verbum dei & sumptam inde doctinam [l] *auri* vocabulo siue, quod in idem redit, *argenti* designare, tu pro minutula illa quam habes Theologię scientia intelligere debuisti consectaneum esse, vt cum scoria & fœce conferantur traditiones hominum & commenta superstitiosa quæ cum religione contemperata puritatem eius adulterant & virtutem salutiferam infirmant semper & labefactant, plerunque etiam frustrantur & ludunt. Vbi verò ais pro similitudine illa eneruanda, *verum aurum adulterinæ materiæ permixtum non modò ipsum nihil vitij contrahere, sed massæ etiam pretium ac decus addere*, sapientèr tu scilicet oracula fundis. An verò tibi cerebrum non adest vt perinde cogites in religione contingere, vt multò potior sit eorum conditio qui fidem Christianam habent cum placitis hominum & prauorum quorundam dogmatum scoria & sorde commixtam, quàm eorum qui repudiato Christi nomine toti sensibus suis & insanijs addicti sunt? At, inquis, *Christianus alienam fidem profitens, Christianus esse iam desinit.* At, inquam, non ita profitetur fidem alienam vt non teneat quoque suam; mixtam illam quidem & malè confectam, sed tamen vt Christianus suam. Dic enim, an tibi de Christianorum

k *Gregor. lib. 1. epist. 24 & l. 2. indict. 11. epist. 11.*

l *1. Cor. 3. 12. Psal. 12. 6. Esa. 1. 22.*

anorum numero expungendi sunt omnes qui priuatarum opinionum stipulas & zizania cum Christiana fide miscuerunt? Dic illam de Patribus sententiam, quorum haud quisquam fuit, teipso iudice, qui non alicubi aliter sapuit quàm oportuit; quidam multis & periculosis erroribus implicati sunt. *Pertinere*, inquis, *ad Christi caulas non potest qui sequitur alienos*. Ego verò, qui Christum, inquam, sequitur, alicubi nonnunquam curuus & claudus incedit; neque sequitur alienum cui Christus in voto supremus est, etsi non vbique rectus est; cui solus est Christus in fundamento, nec tamen ædificatio semper ad amussim surgit. Quare in ijs qui Christum sequuntur prauitates quasdam esse posse dicimus per imprudentiam cum fide coniunctas, quibus tamen spiritus ille de Christo vitalis non præcluditur, quominùs ad salutem æternam, vtcunque forsitan impeditè & difficultèr hauriatur. Atque ita sub Papatu factum est, vt quanquam partim per crassam nimis inscitiam, partim per idololatrias & sacrilega in Christum dogmata plerique nonnisi scorijs & paleis & cinere, nec alio quàm aëre putrido & lethali vescerentur; qui hausto ad profundam foecem Antichristi calice, certissima morte perierunt; fuerint tamen quibus in tenebris illis Christi lumen affulsit, qui clementiore aura & puriore spirarent, manente adhuc in formulis Ecclesiæ recta aliqua fidei confessione; versatis alicubi Scripturis & sonante inde dictato coelesti, [m] *Non esse salutem in alio quàm Christo crucifixo, nec aliud nomen datum sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri:* quos vtcunque superstitionum quarundam ritibus per consuetudinem irretitos, tamen in hac petra ædificatos ad vitam æternam peruenisse minimè dubitamus.

m Act. 4. 12.

CAP.

CAP. III.

Ostenditur vera esse quæ de Iesuitarum perfidia in Principes, & proditionum consilijs obiecta sunt. Suprema Regum potestas asseritur, & honoratissimi Comitis Northamptoniensis ea de re Oratio defenditur.



INgeniose Cokus animaduertit Iesuitarum occupationes potissimas & negotia posse maximè ad D. literam reuocari, vtpote quibus omne opus est *Dissimulando* tegere consilia sua, *deponere* Reges, *Disponere* regna; *Deterrere* ab obedientia subditos; *Destruere* ad rem suam omnia; scilicet ominatus illis merito suo in D. litera patibulum, quod apud nos Tiburni primarium est, & Græcum illud Δ quamproximè refert; neminem fore ratus qui non annuat omini, qui reip. Christianæ benè consultum vult. Hic verò Cacodæmon Andreas inuidiosiùs cum illis actum videri volens, proponit in frontispicio capitis tertij, *diluendam calumniam de Regibus deponendis*, quam summam accusationis esse vult, quasi Iesuitis nihil cum hac doctrina commune sit, quando ipse tamen ita rem agit, vt accusationem, prout instituta est, verissimam & iustissimam esse confirmet. *Diluitur*, inquit, *calumnia de Regibus deponendis*, Quid? an Reges ergò per vos deponere non licet? Vide verò quàm hic nugatur improbus veterator & Principibus ac Monarchis nonnisi ludos facit. *Nullam habent*, inquit, *in hoc genere homines Societatis proprium dogma; & excommmunicatio hæreticorum veteri ritu in Ecclesia recepta est; & priuatis in Principes ante excommunicationem & latam à Pontifice sententiam ius nullum est*: ista sunt, inquam, quæ hac de re tam longo sermone deblaterat. Et quid tum? Certè in medio relinquit, vt lata à Pontifice Romano sententia sicarius quisque & latro Principis sui iugulum petat, aut pugione venenato cor transfigat aut quocunque modo tollat, pium opus & meritorium facturus, & in Martyrum numero, si interim patibulo & reste pereat, cum Garneto reponendus, quòd quasi lictor & carnifex infernalis vicarij, proditorum Archimagistri decretam impiè sententiam exequatur. Adeste verò animis Christiani Principes, & attendite rabulam hunc ex fœce Iesuitarum de statu, vbi apud Pontificem agitur, & iure vestro definientem,

a *Act. pag. 87.*

id tantùm vobis incolume esse, ne priuatis iniussu Pontificis quicquam in vos arbitrio suo tentare liceat; iubente verò Romano Pontifice, nullo vinculo teneri Rauillacos & Castellos & Clementes inclementes, quominùs pectora vobis perfodiant, vel vt propitij vobis sint, de solio deturbatos in pistrinum dent. Ecquid verò patimini nebulones istos iura vobis & fines arbitrio suo circumscribere, vt Regibus esse non liceat si mota vobis à Pontifice lis excommunicationis & sententię pœnam tulerit? Apagete tandem socordiam istam; expergiscimini & potestatem vestram à Deo datam agnoscite, vt vnanimes in crucem detis mangones istos Pontificiæ Monarchiæ qui vobis proditionum consilijs læsa regia Maiestate rei sunt. Atqui dispiciamus paululum de singulis illis quid dæmon iste Cretensis Romæ dictarit. Et Cokus quidem vt Iesuitarum seditiosam in Principes doctrinam exponat, Simancham affert & Philopatrem & Canones illos duos *Nos sanctorum*, & *Alius item*. 15. q. 6. Excipit ille Simancham Iesuitam non fuisse, ne Theologum quidem. Esto; at fuit ille Pontificij iuris *interpres* vobis *eruditus & grauis*, cuius in sententiam simul omnes hac quidem in parte pedibus itis. Iam verò doctrinam vestram dicimus non quòd à vobis siue primis siue solis accepta sit, sed quòd per vos maximè, non propagata solùm & propugnata temporibus nostris, sed in vsum quoque & actum, subornatis plerunque consilio & arte vestra parricidis & sicarijs, perducta sit. Eodem modo doctrina vestra est quæ Canonibus citatis explicatur, proditiónum omnium seminarijs, qui tamen à Gregorio septimo, monstro illo, promulgati, ætate certè schismate vestro nuper nato superiores sunt. De Philopatre, libro seditiosissimo, timidiùs respondes, quasi nolis illum à Iesuitis profectum videri, qui tamen verè Iesuitarum est. Creswellum authorem nominat Cokus; tu Creswellum negas. Verùm esto vt Cokum fama fefellerit; ne fuerit Creswellus author; at Parsonius Iesuita author fuit, teste ipso [b] Watsono vestro cui res illa apud vos satis comperta est. Habemus ergò ex vestro Iesuitarum horto flosculum illum quem naribus tuis admonuit Cokus, hui quàm suauis est? [c] *Hinc etiam infert*, inquit, *vniuersa Theologorum & Iurisconsultorum Ecclesiasticorum schola, & est certum & de fide, quemcunque Principem Christianum si à religione Catholica manifestò deflexerit & alios auocare*

voluerit,

[b] *Watson. Quodlibet.* 1. *art.* 6. & *Quodl.* 8. *art.* 8.

[c] *Philopat. sect.* 2. *pag.* 109

voluerit, excidere statim omni potestate ac dignitate ex ipsa vi Iuris tum diuini tum humani, hocq́; ante dictam sententiam supremi Pastoris ac Iudicis contra ipsum prolatam, & subditos quoscunque liberos esse ab omni iuramenti obligatione quod de obedientia tanquam Principi legitimo præstitissent, posseq́; & debere, si vires habeant, istiusmodi hominem tanquam Apostatam, hæreticum & Christi Domini desertorem & reip. suæ inimicum hostemq́; ex hominum Christianorum dominatu eijcere, ne alios inficiat vel suo exemplo aut imperio à fide auertat; atque hæc certa, definita & indubitata virorum doctissimorum sententia est. Eia iam, Andrea, dic, flosculus iste num sapit tibi? an verò fœtorem eius perferre non potes, qui *sententiam illam indubitatam Theologorum vestrorum* tam cupidè, tam astutè prætermittis? Ecquid verò vis amplius à Iesuitis? Nihil oppono tibi de [d] Marianæ libro qui publicè in Gallia & tanquam per triumphum ad sonitum tubæ magno vestro cum fremitu & dolore damnatus & combustus est. Sed illud tamen vos pungit quòd liber ille [e] *à viris doctis & grauibus ex eodem vestro ordine*, vt de *visitatore Societatis Stephano Hoieda* nihil dicam, suffragio probatus est. Et illud quoque pungit quòd Becanus Iesuita postquam excepisset *eum qui ratione administrationis tyrannus est, interfici non posse nisi fortè ob necessariam vitæ suæ defensionem*, quo vno prætextu Martyres omnes ad Principum necem armari potuissent, subiungit; [f] *Atque hæc est expressa sententia Ioannis Marianæ & aliorum Iesuitarum qui de hac re scripserunt, in qua non video quid Caluinistæ possint meritò reprehendere.* An & illud quoq; non pungit quòd Marianæ librum Clarus Bonarscius in cœlum tollit? [g] *Quid? Mariana grauem*, inquit, *& decoram constructionem, sonantia verba, splendorem narrandiq́; sublimitatem, copiosum ingenium in non impari materia quæ ætas non reuerebitur?* At [h] *quomodo probas*, inquis, *hunc de institutione Principis librum eius eo loco laudari, cum is tam multa alia eadem fœlicitate conscripserit?* In quo etsi prudens ac sciens præuaricaris, nec alium ab illo Marianæ librum intelligi, vel ipsa *non imparis materiæ* mentio satis apertè doceat, tamen vt ille te ampliùs pungat, habe quod ipse ex sensu suo de Galliarum Rege pronunciat. [i] *Dionysij, Machanidas, Aristotimus, seculorum portenta Galliam premant; nemo Pontifex Dionem, Timoleontem, Philopæmenem, Helematam securus animauerit? Plura etiam monstra remp. in vinculis teneant;* ne-

d Ioan. Mar. de Rege & Regis institut. lib. 1. cap. 6.

e Ibid. in facultate imprimendi.

f Becan. respōs. ad Aphoris. Caluinist. 9.

g Clar. Bonars. Amphitheat. honor. l. 2. c. 13

h Confutat. Anti-cotton. c. 3. pag. 98.

i Clar. Bonar. Amphitheat. hon. l. 1. cap

nemo Thrasybulus manum moueat? Vestigia Tarquinij in Collatini lecto iustam causam dederunt; nulla iusta est Gallum abrogandi? Rex tyrannus, oppressor libertatis, &c. nullus tamen in hanc belluam homo miles erit? nullus Pontifex nobilissimum regnum securi eximet? En hic Iesuitarum spiritum: en patientiam in Reges; & quidem iusto titulo Reges, qualis ille quem superbus iste fraterculus stulta & affectata grandiloquentia tam impiè flagellat. At, inquis, Clarus Bonarscius Iesuita non fuit. At fuit, inquam, Carolus Scribanius, qui vt altero in opere nomen *Romani Veronensis* mentitus est, ita hic iusto earundem literarum numero, sed ordine inuerso *Clarum se Bonarscium* dixit. Nempe de hæreticis Hieronymus, [k] *Hoc vel maximè cauent*, inquit, *ne contra authorem suum eorum scripta teneantur*. Tu verò, *nullis*, inquis, *indicijs coniecturam hanc tuam probas*; quo subterfugio [l] Anti-Cottonum ludis, & *nihil opus est*, inquis, *tuo vnius, hoc est, mendacissimi hominis testimonio, scriptoris eius tanquam Iesuitæ patrocinium à me suscipi*. In quo singularem tuam impudentiam & veteratorium respondendi artificium prodis, qui ignorare non potes Carolum Scribanium Iesuitam, indicante [m] Ribadineira vestro, *Amphitheatri* illius authorem esse, vt hic desertum à te Iesuitæ patrocinium dissimulare non possis. Et pari quidem impudentia ludis in Emanuele Sa, cuius sententiam affert Anti-Cottonus ex *Aphorismis de confessione, Clerici rebellionem qua* scilicet *capitale quidquam molitur in Principem, non esse crimen læsæ Maiestatis, quia non est subditus Regi*, & tu te ais [n] *totum illud caput plus quinquies legentem nullum huius rei vestigium reperire potuisse*, quando verba illa Richeomus tuus quem tantopere dilaudas planè agnoscit, quod tu non nescis, & miserè excusat, [o] *Hoc huiusmodi est nihil vt vniuersum Societatis corpus attingat*. Vbi tu scelus tuum cum summa Principum iniuria nefariè cumulas, & Richeomo tuo contradicis, qui [p] *à Clericis quòd iure subiectionis exempti sunt propriè quidem Maiestatem non lædi* ais, quando ille contra, [q] *facinora contra Principem etiam à sacrato capite admissa reipsa semper pro crimine perduellionis verè ac propriè haberi oportere*. Verùm [r] *omnia vos pro tempore*, vt olim de Donatistis Optatus, *nihil pro veritate*, dicta vt indicta sint, prout vsus feret, & sententiæ quantumuis differentes singulæ alicubi pro occasione ratæ sint. Ecquid vis amplius de Iesuitis? Habe tibi Bellarminum [s] *magnum illud*, si placet, *Ecclesiæ columen &*

k Hieron. ad Pammach. de erronb. Origẽ.
l Confut. Anticotton. cap. 3. pag. 48.
m Ribadineir. Catal. scriptor. societ. Iesuit. in Carolo Scribanio.
n Cõfut. Anticott. cap. 3. pag. 99.
o Richeom. Expostulat. Apologet. c. 34.
p Pag. 100.
q Richeom. ibid.
r Optat. lib. 1.
s Confutat. Anticott. cap. 3. pag. 84.

& nostræ tempestatis Augustinum; [t] *Si Principes conentur auertere populum à fide* (quæ nobis nonnisi perfidia vestra est) *omnium consensu possunt & debent priuari suo dominio; Tenentur Christiani non pati super se Regem non Christianum, si ille conetur auertere populum à fide.* Habe Becanum strenuum scilicet ibi in dilemmate gladiatorem; [u] *Quæ Bellarminus loco citato docet verissima sunt.* Immò habe Cottonum tuum (certè enim ipsus est) singularem hypocritam, qui cùm ad [x] Anti Cottoni quæsita duodecim respondere debuit, transijt per saltum à primo ad octauum, ab octauo ad duodecimum: *An Garnetus & Oldcornus sint Martyres*, cui veteratoriè [y] respondet per *si* & *si*; reliqua quòd ibi reus esset, impudentissimo subterfugio præterijt; *An penes Pontificem sit iuramentum fidelitatis Principi datum resoluere; An Rex excommunicatus pro Rege censendus sit eiq; à subditis obedientia præstanda; An confessio sicarij de proposito Regis occidendi retegenda sit; An penes Pontificem sit dare regna & auferre, etiam insonti; An Clerici rebellio perduellio censenda sit. &c.* Quid? & tu tamen *de Regibus deponendis calumniam* nobis narras? Illa verò Bellarmini vestri aduersus Barclaium disputatio, ecquid aliud agit quàm vt sit [z] *in Romano Pontifice potestas temporalia disponendi vsque ad ipsorum Regum & Imperatorum depositionem?* An verò & Bellarminus vobis *calumniam* facit? Immò tu totus præstigiator & impostor es, qui per sententiam maximè probas quod titulo destruere videri vis, vt ex frontispicio credat, cui legere non vacat, Regibus te benignum esse qui tamen cum tuis totus ex proditione factus es. Ac ne soli in tanto scelere esse videamini, *Quis est*, inquis, *vel iuris interpretum vel Theologorum Catholicorum qui de authoritate Ecclesiæ* (Pontificis nomen ad vitandam inuidiam subticere voluit) *directa vel indirecta dissentiat?* Atqui cedò nobis, quæso, qui illi sint potestatis huius assertores? *Habes*, inquis, *apud Bellarminum Augustinum Triumphum, Panormitanum, Aluarum Pelagium, Hostiensem, Syluestrum, Hugonem, Alensem, Bonauenturam, Durandum, Alliacensem, Ioannem Parisiensem, Almainum*, ac ne reliquos istos è schola tenebriones commemorem, ne numerus desit, *Sanderum* quoque nostrum sapientèr annumerat. Quo venit mihi in mentem quod idem Bellarminus in Barclaium tanquam insultans, [a] *Adferam in medium*, inquit, *sententias clarissimorum scriptorum ex omni natione orbis Christiani: plurium*

[t] Bellarm. de Rom Pontif. l.5. c.7.
[u] Becan. resp. ad Aphoris. 10.
[x] Anticotton. cap. 4.
[y] Respons. Apologet. aduer. Anticott. apolog. 5. pag. 152.
[z] Bellarm. adu. Barclai. cap. 3.
[a] Bellarm. adu. Barclai. in præfat.

Conciliorum Patres in vnum quasi maximum Concilium cogam, qui omnes simul conueniant & vnum Barclaium in medium vocatum suis sententijs obruant. Obstupui verò legens, & miratus sum quos ille Patres, quos Scriptores tanto flatu crepitaret, *Quid ferat hic tanto dignum promissor hiatu?* Vbi aduento, video primo loco Gregorium septimum, hominem sceleratissimum & sui temporis prodigium; parentem ipsum rebellionis & perfidiæ in Reges, & deinde sequentem illum à tergo Scriptorum è seculis posterioribus promiscuam turbam. Irrisi stultitiam hominis & vecordiam. O te, inquam, delirum Cardinalem qui pro Tertullianis, Cyprianis, Augustinis, Hieronymis, & reliquis illis heroicorum temporum classicis authoribus, Diuos istos minorum gentium & atratos ex culina Pontificis satellites profers. Vbi verò apud priscos illos potestas ista Pontificis vestri? Vbi tandem illis sanctum reperias quod vespertiliones isti vestri per tenebras ludunt? Sciscitare ab illis de Imperatore, de Rege. Respondent contra te. Eleutherius Pontifex Lucio Regi; [b] *Vicarius Dei estis in regno vestro.* Anastasius Pontifex Anastasio Imperatori, [c] *Præstantiam vestram velut Vicarium præsidere Deus iussit in terris.* Tertullianus, [d] *Colimus Imperatorem vt hominem à Deo secundum, & quicquid est à Deo consecutum, solo Deo minorem. Sic enim omnibus maior est dum solo vero Deo minor est.* [e] *In cuius solius*, inquit, *potestate sunt (Imperatores) à quo secundi, post quem primi ante omnes.* Et idem quoque alibi; [f] *Rex est summum magnum in solio sua vsque ad Deum.* Optatus, [g] *Super Imperatorem non est nisi solus Deus qui fecit Imperatorem*, qui Donatum hæreticum ait, quòd *super Imperatorem se extolleret*, (quod Pontifex facit) *iam quasi hominum excesserat metas, se vt Deum non vt hominem æstimasse: quamuis enim*, inquit, *non sit vsus hac voce, (Ego sum Deus) tamen aut fecit aut passus est* (& idem ergò Pontifex) *quod defectum huius vocis impleret.* Chrysostomus de Theodosio, [h] *Non habet parem vllum super terram; Rex enim summitas & caput est omnium super terram hominum.* Et idem porrò Flauianum inducit Antiochenum Patriarcham, eundem Theodosium appellantem, * *hominem super terram habentem æqualem neminem.* Cyrillus ad iuniorem Theodosium: [i] *Vestræ serenitati nullus status æqualis est.* [k] *Vos estis & summarum dignitatum fontes & supra omnem eminentiam.* Gregorius ad Mau-

b *Lambert: de priscis Anglorum legibus, inter leges S. Edwar. cap. 7.*
c *Anastas 2. epist. ad Anastas. Imperat.*
d *Tertull. ad Scapulam.*
e *Idem Apolog cap. 30.*
f *Idem cont. Marc. lib. 1.*
g *Optat. lib. 3.*
h *Chrysost. ad pop. Antioch. hom. 2.*
* *Ibid hom 20.*
i *Cyril. epist. ad Theodos. præfixa lib. aduers. Iulian.*
k *Idē de recta fide ad Theodos. sub initio.*

Mauricium; [l] *Potestas super omnes homines Dominorum meorum pietati cælitùs datur*, vbi & illa de se occurrunt Romano iam Pontifice; [m] *Ego indignus pietatis vestræ famulus; fateor Dominis meis; Ecce per me vltimum seruum suum & vestrum respondebit Christus; Requirat Dominus meus; Ego iussioni subiectus Imperatori obedientiam præbui.* Et alibi, [n] *Serenissimus dominus meus Imperator;* [o] *Pijssimus atque à Deo constitutus dominus noster; Cogitet dominorum pietas de me proprio suo qui & obedientiam vobis præbere desidero.* Præcinuerat illi Leo Romanus Episcopus cantilenam hanc; [p] *Si pietas vestra supplicationi nostræ dignetur annuere; vt intra Italiam Episcopale Concilium haberi iubeatis:* [q] *Omnibus modis obediendum est pietati vestræ;* [r] *Literis tuis cuperem etiam in eo obedire;* [s] *Præceptioni vestræ adnitar obedire.* Et succinuit Agatho ad Constantinum quartum Augustum; [t] *Meliori refectus sum confidentia paulatim quæ per mansuetissimæ fortitudinis vestræ sacram dudum præcepta sunt efficaciter promptam obsequentiam exhibere, vt personas quales poterant inueniri, pro obedientiæ satisfactione inquirerem, &c. Olim hoc quod vix tandem nunc fieri potuit studiosa obedientia noster famulatus impleret, &c. Secundum pijssimam iussionem protegendæ à Deo mansuetudinis vestræ pro obedientia quam debuimus non pro confidentia eorum scientiæ quos dirigimus præsentes consamulos nostros curauimus demandare. Pro quibus flexo mentis poplite supplicitèr vestram clementiam deprecamur vt acceptione eos dignos efficiat. Hoc Imperialis vestra benignitas clementer iubens hortata est & nostra pusillitas quod iussum est obsequentèr impleuit.* Denique Agapetus Diaconus Iustiniano Imperatori: [u] *Non habet*, inquit, *Rex in terris se quenquam altiorem*, siue, *se quicquam excelsius.* Quam sententiam quasi religione dignissimam transcripsit Antonius Magnus in [x] Melissas, & illa tamen Expurgatoribus vestris non placet, [y] *Deleantur*, inquiunt, *illa verba; Non habet in terris se quicquam excelsius.* Quanquam & illam Maximus quoque Monachus amplexus est, vt eiusdem sententiæ tres nobis authores sint. Quid ergò? an isti vobis authores non placent? Dic verò, Andrea, quia Cardinalis iam per ætatem fortè desipuit, an per istos constet Pontificia vestra Monarchia, qua [a] *temporalis Principum potestas spirituali potestati Pontificum subiecta & subordinata* defenditur, *vt* [b] *Rex Christo & Pontifici, Pontifex soli Christo subiectus sit.* Sic ille per furorem vaticinatus

l Gregor. lib. 2. epist. 61.
m Ibid.
n Ibid. epist. 64.
o Lib. 4 epist. 32.
p Leo. epist. 9. ad Theodos. Aug.
q Epist. 57. ad Martian. Imp.
r Epist. 73 ad Leon. August.
s Epist. 76. ad eundem.
t Agatho. epist. synod. 6. Constantinop. Act. 4.
u Agapet. Paran. ad. Iustinian. August. cap. 21. Bibliotb. sanct. patr. tom. 2. Paris. 1589.
x Anton. Meliss. lib. 2. cap. 1. Bibliotb. tom. 5.
y Index Expurgat. Hispan
z in censur. Biblioth sanct. patrum.
z Maxim. sentēt. ser. 9. Biblioth. tomo. 5.
a Bellarm. adu. Barclaium. cap. 3.
b Ibid. cap. 17.

est in illa quam vltimam & infœlicissimè tentauit aduersus Barclaium controuersia, libro vbique ferè publica & solenni damnatione singulari mercede dedicato. Tu tamen ne cum illo, ne cum Martyre tuo non insanias, *doctrinam illam totius Ecclesiæ, & quidem ab antiquissimis temporibus, consensione receptam* dicis, ita obbrutuit tibi animus improba pertinacia, & depereundo meretricem tuam sensum simul & cōscientiam perdidisti. Quòd verò doctrina illa *totius Ecclesiæ consensione* recepta non sit, percommodè Cokus instat, quòd *aduersetur Ecclesiæ Gallicanæ Canonibus & Parliamentorum decretis; adeoq. à Sorbona & vniuersa Academia Parisiensi pro schismatica, pestifera & perniciosa damnetur; id quod*, inquit, *in libello ad Regem Galliarum anno 1602. cui titulus, Le franc Discours, videre est*. Quam instantiam operæprecium est videre tu quàm sordida, quàm misera tergiuersatione subterfugias. *Dupliciter*, inquis, *mentitur*. Et quid ita tandem? Scilicet *liber ille non à Sorbonicis, sed ab hæreticis* (quos tu hæreticissimè nostros dicis) *scriptus est*. Atqui à Sorbonicis scriptum non dixit Cokus, dixit tantùm patere indè, doctrinam illam vestram à Sorbona reprobari, quod verissimum est; à nostris autem scriptum tu mentiris, quando liber ipse loquitur à Romano-Catholico quopiam vestro scriptum esse. Sed hoc artis vestræ est vt putetur minuendæ infamiæ causa à nostris profectum esse, quicquid à vestris ipsis pro æquo & bono sentientibus ad detegendas nequitias vestras, hypocrisin, periuria, proditiones & pestifera in publicum consilia scriptum est. Porrò inquis, *Ecclesiastica potestas nullius vnquam benè constituti regni decretis aduersata est*. At dic, impostor, ad causam. Dixit Cokus doctrinam illam vestram Gallicanæ Ecclesiæ Canonibus & Parliamentorum ac regni decretis aduersari, tibi regnum benè sit an male constitutum quid ad rem? dic apertè an aduersetur. Obmutuit; hæret in limo; negare non audet, & ille tamen quid non audet? Quòd si aduersari non credas, abi tu in Gallias & denuncia ibi doctor egregius Pontifici supremum ius vtriusque gladij competere; potestatem illi esse vt Reges, vbi opus esse senserit, deponat aliosque substituat, vt tibi idem fiat quod Marianæ, quod Bellarmini libro, & crucem illam quam Anticottono minitaris, merito tuo tibi habeas. Interim videt Lector Coko quàm bellè hic mendacium obijcias, qui quod ille ait, inficiari non potes; tantùm

vt aliquid dicere videare; *Ecclesiastica*, inquis, *potestas nullius vnquam benè constituti regni decretis aduersata est.* Atque huic responsioni tuæ similis est illa quam cum tanta laude commemoras Richeomi vestri, planè Iesuitica, hoc est, vulpina, veteratoria, versuta, tota ad capturam Regis & circumuentionem accommodata. Cuius Regis de Societate vestra iudicium quod attinet, sibi esto ac Deo; sed quale quale fuerit, optimâ ille à vobis iudicij sui mercedem tulit. O te verò Regem infœlicissimum qui labefactata in Deum fide illa qua aduersus omnes tam perfidæ gentis insidias, consilia, machinationes, & per tanta pericula incolumis conseruatus es, committis te, scilicet vt de vita securus sis, ouem in fauces luporum, quibus testamentarium illud cordis tui donũ tam vnicè gratum fuit, vt nunquam nisi eo cõspecto & in manus dato acquiescerent: quorũ causa & nomine denunciatio illa post intentatã tibi à Castello necem facta est; [c] *Princeps Auraicus ictum primum in maxilla acceperat; alter tamen successit cuius primus fuit præsagium; Quemadmodum Castelli ictus præsagium erit alterius ictus in eo, qui primum accepit eodem loco.* Ad quem ictum redimendum quanta in Rege illo Iesuitarum obseruantia? Quantum illis à tanta Maiestate etiam cum honoris dispendio indultum? Sed tamen feralis bestia, vipera immanis & infesta, ad mansuetudinem cicurari non potuit, & quod mente repostum manet, nisi litura sanguinis obliterari non sinit. O vos ingratum genus, Antichristi mancipia, pestes orbis Christiani, veneficijs animarum & incantandis hominibus natos, vtinam sciat vos intus & in cute Ludouicus Princeps, vtinam Regina mater resciscat, vt tam noxium pecus à præsepibus suis arceant, & exterminio dent infaustam prolem quam resp. nulla nisi malo suo fert. Et tu Iacobe, potentissime Britanniæ Rex, tuque Carole tantæ spei inclytissime Princeps, quàm hoc inter cætera fœlices vos, quòd coniurationis huius teterrimę vinculis per Dei gratiam soluti, sacrosancta numinis custodia confisi calcatis pede basiliscos istos & aspides, & portenta publicarum calamitatum, magno vestrorum omnium, nisi siqui insaniunt, gaudio, procul vobis esse iubetis? Falleris, Andrea, multùm falleris si causam vestram illis non cognitam arbitraris: norunt illi optimè de Societate vestra quid statuere par sit, quam meritò esse censent deportandam in solitudines vbi tragœdias vestras inter vos agatis, & quibus extra cædes

&

c Francis. Veron. Constant. Apolog. pro Io. Castello. part. 5. cap. 12.

& sanguines vita nulla est, mutuò vobis carnifices sitis.

Cæterum vt Regem nostrum in causæ cognitionem deducat, splendidè præfatur, & qua est proiecta ad mentiendum impudẽtia, *nihil est*, inquit, *in nostra Catholicorum disciplina quod Christiani cuiusquam Regis rationibus incommodet, nihil quod ab obsequio regibus debito subiectos abducat, nihil quod turbas & seditiones ciere posit.* Itanè verò, miser, vt Pontifex deponat Reges, vt subditos iuramento fidelitatis exoluat, & arma in Principes non hortetur modò sed iubeat vt ferant, & tua tamen ista vera sint? Sed videndum porrò qui causam istam expediat, & oculos simul atq; animos nobis abesse faciat. Ac primò quod pro excommunicandis hæreticis agis, in eo prorsus inanem laborem capis, quia nemo tibi hac in causa litem mouet. Neque enim queritur Cokus, vt tu fingis, quòd hæretici siqui Ecclesiæ pro vindicandis erroribus suis contumacitèr & superbè resistunt, [d] *anathematizentur* & [e] *satanæ tradantur*, quæ ille cum institutis Apostolicis consentire non nescit, sed quòd per excommunicationem prætextus ad scelera & nefaria coniurationum & proditionum consilia præstruatur. Quanquam tu da mihi ex priscis illis Romanis Episcopis qui Constantium, qui Iulianum, qui Valentem, qui quemuis alium Imperatorem nomine hæreseos excommunicatum Ecclesiæ dederit, vt sciamus morem hunc vestrum cum veteris Ecclesiæ rationibus esse coniunctum. Quòd si id non potes, neque verò potes, suspicabimur hìc nouum aliquid à vobis non ad vsum religionis, sed ad rerum vestrarum compendia & designationes impias velamine pietatis induendas excogitatum esse. Porrò de censu hæreticorum grande certamen est, quem qui ex Romani Pontificis arbitrio suspendunt, næ illi ridiculè rem faciunt quæ Ecclesiæ veteris exemplum non habet. Quando enim Pontifex ipse de hęresi siue reus agitur, siue reos agit, ipse vt sibi iudex sit, quis æquum, quis rectum putet? Nos illi dicam & diem dicimus, & ipse sibi pronunciabit de lite? An verò sicarius & latro sibi sententiam figit? Accusat ille nos; quid? & iudicat quoque de nobis? [f] *Noluit Deus eundem esse accusatorem & iudicem. Non enim potest quis in vna causa eodem momento duas portare personas, vt in eodem iudicio & accusator esse posit & iudex, quod Deus nec per omnipotentiam fecit. Vt nobis iudicandi formam ostenderet, docuit reum sine accusatore non debere damnari, nec accusatorem eum esse qui iudex*

d Gal. 1. 8, 9.
e 1. Tim. 1, 20.
f Optat. Lib. 7.

dex futurus est. Denique vt caput excommunicationis à Christo sit, cauda illa aculeata & mortifera, quæ iura Principum, quæ regna, quæ vitam quoque circumplicat & inuoluit, vnde tandem profecta est? Certè ab Episcopis antiquitùs nulla vnquam altera quàm spiritualis pœna tentata est; mulcta si aliqua ciuilis, si pœna corporalis inflicta, nonnisi Imperatorum legibus decreta est. Vnde ergò illa vestra pro Regibus post excõmunicationẽ abdicandis, & in prædam exponendis omnipotentia Papalis? cui Regi vnquam credita? à quo olim Patre prodita? Dic aliquid, Eudæmon, pro Pontifice tuo, ne aper syluestris in vineam Dominicam à Cacodæmone submissus censendus sit.

Sed nihil ille aliud quàm repetit hypocrisin suam. *Fa ies*, inquit, *regijs rationibus nihil quicquam incommodat, cùm excommunicatio ipsa per se regni rerumq́, suarum iure neminem spoliet*. Attendite verò fraudem. *Per se*, inquit, *non spoliat. Spoliat* ergò, sed *non per se*. O acutos distinctionum artifices. At vndè ergò habet vt spoliet nisi ab accidente, hoc est, à scelere vestro, ab insolentia & vsurpatione Pontificis vestri? cuius tanquam meri accidentis g *auferibilitatem ab Ecclesia* Ioannes Gerson olim asseruit; & quo cum Iesuitis sublato, optimè reipub. Christianæ consultum esset. At *quamuis*, inquis, *Conciliorum & Pontificum sanctionibus in hæreticos & excommunicatos nonnulla deinde grauiùs statuta sint, ea tamen eiusmodi sunt vt neque periculum Regibus, & salutem afferant reipublicæ*. At tu abi, nequam, cum salute ista tua, qui Principes excerebratos putas, vt fraudes istas tuas & ludificationes non persentiant. Nam qui quæ Cokus affert, *ad concilianda Catholicis Principum odia, non planè ad veritatem dicta esse prætendis*, quid tandem ipse affers quo Principibus fidem tuam liberes, quo illis de statu suo constet, & *calumniam* esse pateat quam tu *de Regibus deponendis diluendam* proponis? Simancham adducit Cokus, de Regibus decernentem; *si Reges aut alij Principes Christiani facti sunt hæretici, protinus subiecti & vasalli ab eorum dominio liberantur. Propter hæresin Regis, non solùm Rex regno priuatur, sed & eius filij à regni successione pellantur*. Quid tu hìc aliud quàm diuerticula quæris? Simancha, inquis, *explicat Canonem, Cum secundum; sext. de hæreticis; quo de Regum aut Principum depositione non agitur, sed tantùm hæreticorum bona fisco Principum addicuntur*. Quid? nihilnè ergò Canon ille ad Principes? Certumnè

g *Gerson de Auferibilit. Papæ ab Ecclesia.*

tumnè est? minimè verò; sed tamen *etiamsi Canon ille ad supremos Principes pertineat, tamen neque ius cuiquam in eorum regna quæreretur, neque ijs cedere ipsi ante sententiam tenerentur. Ante sententiam*, inquis; ergò *post sententiam* ius alijs in eorum regna quæritur, & ipsi ijsdem cedere tenentur. Proximo loco consimilitèr ludit: *Priuati ius nullum habent in Principes; neque alium sibi Regem creare, neque in Principem quicquam moliri possunt ante sententiam: non ad ipsos*, scilicet, *sed ad patremfamilias spectat iudicare vtrùm sint eradicanda zizania*. Ergò si Pontifex, paterfamilias ille vester, & ille quidem ganeo nonnunquam impurus, vorago & gurges vitiorum omnium, in stupris & omni libidinum turpitudine volutatus, si ille, inquam, in Principes sententiam tulerit qua zizania esse iubeantur & eradicanda decernantur, quod de Elizabetha Regina factum est, mox in illos moliri populi & nouos sibi Reges creare possunt. Quid ais, insane; *nihilnè* hic est *quod regnis aut regibus officiat*, quod tu ad marginem nonnisi per ludibrium veterator adscribis? Quin & distinctio illa tua tam ingeniosa inter *priuari* & *ipso iure priuatum esse* quid Principes iuuat? quando vtrinque processus est ad sententiam qua Reges Exreges fiunt & omne illis regnandi abrogatum ius. Neque verò aliud agit vbi fideiubet *Principibus nihil metuendum ex Canone, Nos Sanctorum*. Canonem ipsum adscribere opræpretium erit, vt de re tota certiùs statuamus. [h] *Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica authoritate à sacramento absoluimus, & ne eis fidelitatem obseruent omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant*. Quam tamen vltimam clausulam, *quousque ipsi ad satisfactionem veniant*, monent ibi deputati Gregoriani *in codice manuscripto Vaticano* repertam non esse, vt irreptitia illa vobis pro arbitrio dici possit. Iam quid tu ad Canonem hunc? *Canon ille*, inquis, *non in hæreticos propriè sed in omnes excommunicatos vniuersè conditus, qua ratione intelligi debeat, ipsa Ecclesiæ consuetudine satis constat*. Pulchrè verò quando *ipsa consuetudine Ecclesiæ vestræ* canon ille ad Principum iniuriam vsurpatur, [i] vt dominio prorsus excidisse putentur qui à perfidia vestra discedentes, vobis Apostatæ iudicantur, & quia *vniuersè conditus est*, minimè dubitandum quin à vobis semper intel-

h 15. q. 6. cap. 4

i Th. Aquin. 22. q. 12. art. 2.

intelligatur prout maximè vsui esse possit. Deinde *ex clausula, Quousque ipsi ad satisfactionem veniant, constat*, inquis, *suspendi, non tolli excommunicatorum iura*. At de clausula illa iam dixi, quæstionem apud vos esse quòd non sit in codice Vaticano, ac proinde illam consilijs vestris quibuscunque remoram non esse. Quod tu cum optimè scias, infers paulò post; *Etiamsi concederemus excommunicatos ipso facto eas pœnas incurrere, vt subditi eorum fidelitate liberati alium sibi dominum possint adsciscere, tamen hoc dominis nihil affert incommodi*. Insulsè tu verò & putidè, & tanquam per ecstasin vel insaniam dicis; quasi dominis nihil sit incommodi eo loco esse, vt subditi eorum fidelitate liberati alium sibi dominum possint adsciscere? At inquis *requiritur declaratio ex expressa sententia iudicis vt pœna executioni mandari posit; quare non ante possunt populi rebellare aut debitam ijs fidelitatem denegare quàm expresse pronuncietur in eos sententia*. Liberaliter tu verò gratificaris Principibus, ne ante sententiam Pontificis subditi quicquam in illos audeant, quod nec sæuissimi quidem tyranni carnificibus suis permittunt. Ac vides, bone Lector, vt semper res eòdem redeat, vt Principibus excommunicatis à sententia Pontificis regnorum ius omne dependeat, vt, illo dicente, rebellent impunè subditi & Principem, velit, nolit, regno suo exuant, & tamen animal hoc vecors & stupidum nihil hìc ait Regibus incommodi esse, nihil Principibus metuendum esse à Canone, *Nos Sanctorum*. Cæterum vt perfidi nebulonis insidiæ clariùs elucescant, operæpretium erit ex Alano Cardinali proditore animaduertere quo vsu sit illis Canon ille *Nos Sanctorum*, à quo Principibus nihil metuendum videri vult. Ille quippe in epistola qua Stanleianam Dauentriæ traditionem defendit post multa quæ ibi satis impiè disseruit, eò tandem venit vt decernat *acta iuris & iustitiæ Elizabethæ authoritate designata, ex quo declaratoriâ Pontificis sententiâ hæretica & hostis Ecclesiæ Dei, sedisq; Apostolicæ denunciata & regali dignitate priuata est, cassa omnia & irrita lege diuina & humana censeri debuisse; bellum nullum quantumuis alioqui legitimum & iustum iustè ab illa indici potuisse; quia prima conditio est iusti belli, vt ab illo indicatur qui indicendi licitam & supremam potestatem obtinet, quam nemo habet excommunicatus, maximè vero vbi à Christi Vicario, supremo in terris Numine, regali dignitate deturbatus est, subditiq; eius non* Pag. 27. 28 &c

 ab

ab obsequio tantùm, & iuramento & homagio, & obedientia absoluti, sed interdicti quoque ne huiusmodi cuiquam canonicè damnato seruiant vel obsequantur. Nos, inquit Gregorius 7. Sanctorum prædecessorum statuta tenentes, &c. vt supra. Ac pro eorũ relaxatione qui in eiusmodi bellis operam præstant, alius est canon expressè positus ab Vrbano 2. Iuratos milites Hugoni Comiti, ne ipsi quamdiu excommunicatus est seruiant, prohibeto; qui si sacramenta prætenderint, moneantur oportere Deo magis obedire quàm hominibus. Pauca hæc assero, inquit, vbi afferre plura possem, vt videatis Ecclesiæ Catholicæ sententiam, quæ vobis qui filij estis Ecclesiæ plena securitas est actionum vestrarum omnium, & dux optima generosis rectèq; informatis conscientijs quæ statuant quomodo se gerere debeant, vbi non modò bella de religione sunt, sed pars altera est Princeps canonicè condemnatus, cui iure nullus seruire potest vel auxilium ferre, vt non ipse quoque in excommunicationis sententiam cadat. Videte verò Principes ex Canone, *Nos Sanctorum*, quo loco per Pontificem sitis; videte quid vobis turpissimi ganeonis, nam haud alius interdum fuit, quid superbi alioqui Latronis vsurpatio ferat, qui lege vobis arbitrio suo data, facit vt excandescente se ad sententiam irriti vobis sint omnes etiam iuris actus, vt nullum à vobis bellum iure denunciatum habeatur, nemo vt seruire vobis, nemo obsequi vel auxiliari possit; qui fecerit eodem excommunicationis fulmine tactus pereat; & tamen suadet veterator iste sceleratus, salua hic vobis omnia & nihil metuendum à Canone *Nos Sanctorum.* Quanquam de *sententia* litem ille hic apud suos facit. *Caietanus*, inquit, *putat non requiri sententiam qua pœna applicetur delinquenti, sed sufficere sententiam Iudicis super crimine ad executionem pœnæ: Simancha verò dissentit qui expressam sententiam necessariam esse docet qua pœna iuris applicetur.* Iam vtrum horum mauis, accipe, Lector; neque enim illorum quicquam interest modò vt vllo modo Reges pereant. Itaque Andreas noster post effutitas pro Simanchæ sententia ineptias suas, vt nihil apud illos hac de re certum intelligas, & omnia potiùs ad fraudem esse composita, concludit tandem; *Ante igitur quàm quicquam subiectis in Principem etiam hæreticum liceat, necesse est vel nominatim eam facultatem expressè ab Ecclesia concedi* (hoc est, à Pontifice) *vel certè sententiam excommunicationis nominatim in eos pronunciari.* Itaque solàne sit excommunicatio, an sententia

sequatur, quid ad rem? alterutra scilicet vobis ad rebellionis occasionem satis est. *Atque hoc demùm est*, inquis, *quod Garnetus dixit, Iacobum Regem nondum esse excommunicatum vt eo Canone teneri possit.* Nempe vt intelligamus, excommunicato Iacobo Rege, mox per Canonem illum absque altera porrò sententia subditos à iuramento fidelitatis absolutos obsequiū illi præstare vetari. Atque hęc expressa est Thomæ definitio cuius vnius apud vos excellit authoritas, [k] *Quàm citò aliquis per sententiā denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto eius subditi sunt absoluti à dominio eius & iuramento fidelitatis quo tenebantur.* Vbi cùm reponit Cokus, Regem vobis *de iure etsi non de facto excommunicatum* censeri, *& de facto* quoque quotannis in Bulla cœnæ excommunicatum intelligi, tu excipis non esse *nominatim* excommunicatum ac proinde pœna Canonis huius non teneri. Verùm hæc nonnisi ludibria vestra sunt quibus vbi Principibus cum Pontifice lis intercedit, scimus Canones omnes *Lesbias esse regulas* fabricatas libitu Pontificum vestrorum & in illorum quęcunque sensum interpretandas, vt quia (*nominatim*) in Canone non habetur, idcirco exceptio illa nullius momenti sit. Atque vt intelligamus meras hic abs te nugas agi, Bellarminus tuus docet [l] *excommunicationem esse quidem instrumentum quo Pontifices plerunque vti solent ad coercendas huius seculi potestates, sed etiam sine illo instrumento non semel Pontifices maximos de temporalibus dignitatibus pro Ecclesiæ vtilitate & animarum salute disposuisse.* Quò pertinet Canon ille alter à Coko citatus, [m] *Alius item Pontifex Romanus, Zacharias scilicet, Regem Francorum (Childericum) non tam pro suis iniquitatibus quàm pro eo quod tantæ potestati erat inutilis, à regno deposuit, & Pipinum Caroli Magni imperatoris patrem in eius locum substituit, omnesq́; Francigenas à iuramento fidelitatis quod illi fecerant absoluit.* Liberum ergò iam Pontifici etiam absque instrumento illo excommunicationis deijcere de throno Principes, & mera, vbi videbitur, sententia potestatem eorum omnem abrogare, ita vt in ventos euanuerit tua omnis pollicitatio nec vllam Principibus securitatem des, & mera ludificatio sit illa capitis huius inscriptio: *Diluitur calumnia de Regibus deponendis.* Quare meritò tu à Principibus explodendus & ad carnifices ablegandus sis, qui offucijs istis & præstigijs ludere sacram Maiestatem, & spe irrita fidelitatis vestræ per argutias istas

k Tho. Aquin. vt supra.

l Bellarm. adu. Barclaium, cap. 4.

m 15. q. 6. c. 3.

ſeducere conaris. Iam qui quæ hactenus à te dicta ſunt, ſatis attentè animaduerterit, planè videbit quo tu animo aggreſſus ſis orationem illam quę à viro nobiliſſimo pariter & doctiſſimo ſub fine Actionis eſt habita, quam vbique tui ſimilis, tanquam canis ad Nilum lambitans, rodis hic illic & vellicas, integram tractare miſer haud auſus es. Quanquam verò ad nullam eius partem iuſtam reſponſionem accommodas, *quia* ſcilicet *honos eſt habendus nobilitati nec operæprecium tibi videtur in ſingulis eius partibus immorari*, tamen per fraudem tibi familiarem apponis ad marginem; *Confutatur oratio quæ in fine libelli poſita eſt*. At ego te, pace tanti viri dictum eſto, laceſſo & prouoco, ne honorem illum nobilitati habeas, neuè vllum Heros inclytiſſimus, quod per ſingularem proteruiam inſolentiſſimè iactitas, *reticentiæ tuæ beneficium ferat*, quin afferas potius arietes & machinas quibus arcem illam expugnes, & tantæ victoriæ palmam habeas; ſpondeo non defuturos qui leonina te pelle exuant & planè aſinum perſonatum in oſtento circumducant. *Noli ex ea nonnihil obitèr proferre*, quod te nunc agere profiteris, ſed in illam te penitus immerge vt prorſus ſuffocatum habeamus, meritamque petulantiæ tuæ atque ſtultitiæ pœnam luas. Quòd ſi in ijs quæ *obitèr profers*, honorem habere nobilitati voluiſſes, certè non debuiſſes in tanta cauſa plumas & atomos perſequi, nec ea carpere quæ vix quiſquam vt defendat operam velit perdere, quæque per lapſum memoriæ fugere vel exercitatiſſimos poſſent; quippe viris magnatibus quorum in grauiſſimis omnium negotijs occupatio plerunque eſt, vt ad muſcam omnem attendere non vacet, minutula illa quæ cauſæ momentum non attingunt, per bonos mores condonanda ſunt. [n] *Pro ſacerdotibus Domini* Comes illuſtriſſimus *Prophetas* dicit à Saule Rege occiſos, hoc eſt enim quod primum vellicas. Quàm verò putidum cauillum, quando *vt Sacerdotes* ex contextu ſubſtituas pari ad rem de qua agitur effectu eſt. Porrò Comes; *Chriſtus*, inquit, *differentiam poſuit inter diſcipulos*, [o] *Magiſtrum ſectantes cui non erat, vt eſt vulpeculæ, fouea vel ſpecus, &* [p] *eos qui in domibus Regum habitant*. Tu reponis; *Antitheſis illa inter diſcipulos non habentes foueam & eos qui in domibus Regum habitant nuſquam in Euangelio fit*. Stultè prorſus, quia non citat ille ſententias ſed ad phraſes alludit; & priorem partem tu ad diſcipulos pertinere poſſe non negas, qui eo ipſo diſparantur ab ijs *qui in domibus*

n 1 Sam. 22. 18. 19.

o Mat. 8. 20.

p Mat. 11. 8. Luc. 7. 25.

mibus Regum habitant. Deinde illud te offendit; *Quamuis Nerone Cæsare nõ poterat esse Princeps deterior vel potiùs monstrũ immanius, Paulus tamen appellauit Cæsarẽ.* Ibi tu; *non ago,* inquis, *de re ipsa; necessitate enim, non conscientia subditus vsus est beneficio appellationis.* Hoc verò quàm ineptè abs te dictum, quando Apostolus ipse de tribunali Cæsaris; [q] *Ibi,* inquit, *me oportet iudicari.* Neque enim *oportere* dixisset quod arbitrij & animi sui esset, non officij & conscientiæ. Sed hoc omisso Chronologiam taxas; *Paulus ipso initio Neroniani imperij Cæsarem appellauit; quis autem,* inquis, *laudatum Neronis quinquennium nescit? Non ergò monstrum, sed Neronem adhuc benè imperantem appellauit.* Atqui quod dixit olim Deus per Prophetam; [r] *Si auerterit se iustus à iustitia sua & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non memorabuntur;* hoc ipsum de Nerone factum est, vt laudati illius quinquennij memoriam sequentis imperij tam incredibilis amentia & furor, Deoque pariter atque hominibus exosa rabies ferè penitùs obliterarit, & mentio eiusdem apud authores rarissima occurrat. Fallere ergò memoriam poterat viri grauissimis alioqui cogitationibus implicati communis illa Neroniani regni de posteriori parte nuncupatio; & facilè poterat derepentè non occurrere, quod ille tamen aliàs in tanta lectione non poterat ignorare. Sed expunge quicquid id est de *monstro immani,* de *Principe deterrimo,* & quid ei, quæso, de causa decedit? Certè enim non Neronem appellauit Paulus, sed Cæsarem; non hominem, sed imperij in illo potestatem, quæ eadem est in monstro & in benè morato; quam idem Apostolus in Claudio Cæsare, illo quoque probroso animali, reueritus, præcepit dicens; [s] *Omnis anima* (nempe [t] *siue Sacerdos, siue Monachus, siue Apostolus, siue Propheta siue Euangelista*) *potestatibus supereminentibus subiecta esto;* quam eandem in Nerone tyranno & monstro, siquidem vsus foret, appellare potuisset. *Huius farinæ,* inquis, *est illud, si pij Christiani qui sub Constantio Ariano vixerunt deficiendo ad Constantem & Gratianum qui Orthodoxi erant, otio suo consulere voluissent, &c.* Tu quid hìc? *At,* inquis, *Gratianus quartus post Constantium Imperator fuit.* Benè habet; deleatur ergò *Gratiani nomen,* sed nihil tamen de argumento deperditur. Cur tu otio tuo abuteris ad nihil? cur scriptor importunus honoratissimum virum de nugis istis appellitas? Nec plus salis est in proxima reprehẽsione tua, vbi Comes *ab Imperatorum*

q *Act.* 25. 10.
r *Ezech.* 18. 24.
s *Rom.* 13. 1.
t *Chrysost. in Rom. hom.* 23. *Theodoret. Theophylact. Oecumen. in Rom. cap.* 13.

peratorum in orientem secessu ad imperij diuisionem plus minùs tercentum annos numerat, quod tu *ridiculum* dicis & *plusquam quingentos annos numerari debuisse.* Verùm vt risus tibi soluatur in stultitiam, primò velim intelligas vitio interpretis cecidisse vt *anni plus minus trecenti* dicerentur, quia Comes *plusquam trecentos* dixerat. Deinde annos illos Comes non ad imperij diuisionem, prout tibi per somnium in mentem venit, sed ad illud tempus refert quo, vniuersalis & vniti imperij Gorgoneo illo capite sublato, Exarchorum & Præsidum Imperialium authoritas vsque ad imperij diuisionem imminuta & labefactata, Pontifici Romano præbuit occasionem amplificandi res suas & temporalis regni sui fundamenta iaciendi. Ac post annos quidem ab illa Imperij translatione non multùm supra trecentos, vexatis & multùm oppressis rebus Italicis, & Imperatoribus in succursum venire non valentibus, Præfectorum potestas inclinari & magis magisque contemni cœpta est, & tandem est prorsus abrogata. Atque hæc Comes illustrissimus pro ea qua est singulari eruditione multis & quidem doctissimè disseruit, & sententiam aliquantulùm obscuram satis explicatam tibi reddidit, vt quantumcunq; dissimules, illam tibi, nisi nimiùm hebes sis, satis intellectam esse dubitari non possit. Sed *ad Scripturas*, inquis, *redeamus.* I præ, sequar. Nempe gradus ostendit Comes, quibus Pontifices ad excelsum illud authoritatis culmen ascenderunt, *qua præmuniti* (*quod de* [u] *Dauide in sacris literis dicitur*) *cum leonibus tanquam cum agnis luderent*, *&* [x] *super Aspidem & basiliscum ambularent.* Vbi tu, *si Caluinianus*, inquis, *est author, qui potest Ecclesiasticum sacris literis annumerare?* Optimè verò, siquidem Caluinianus sit; quomodo veteres Iudæi numerarunt in [y] *hagiographis* libros quosdam, quos tamen secluserunt à [z] *Canonicis*: quomodo Ambrosius [a] *Scripturæ* nomine dignatur & *Prophetam* appellat Esdram illum cuius bini libri ne vobis quidem in Canone numerantur: quomodo Gregorius [b] *Scripturas* appellat libros Macchabæorum, quos tamen mox Canonicos negat. Neq; enim Patres hìc semper ad limam loquuntur, & haud rarum est vt Scripturarum nomine promiscuè designent quæcunque Biblico volumine continentur, quorum tamen multa, vbi iudicio & delectu rem agunt, à Canonicis diuisa esse confirmant vt: nihil hìc aliud Comes illustrissimus faciat quàm in vsu Ecclesiæ sit, & cum Patrum con-

u *Eccles.* 47. 6.
x *Psal.* 91. 13.
y *Hieron. præfat. in Tob. & Iudith.*
z *Ioseph. cont. Appion. lib* 1.
a *Ambros. de bono mort. cap.* 10. & 11.
b *Gregor. Moral. l.* 19. *c.* 13.

consuetudine coniunctissimum, quibus tamen non alius quàm Caluino *Scripturarum* numerus & *Canon* est. Pergis tu verò, & *Posteriora*, inquis, *verba de Dauide non dicuntur, sed de eo qui habitat in adiutorio Altissimi.* At nunquid tibi Dauid non habitauit in adiutorio Altissimi? & nunquid de alijs dixit quod non de se quoque per experientiam dixit? Quanquam verba illa Comes non tanquam de Dauide propriè dicta, sed per appendicem ad sententiam explendam addidit, tacitè ad sacrilegam illam Pontificis & execrabilem superbiam alludens qua pede in ceruicem Imperatoris imposito impius furcifer ad se adsumit quod de electis & fidelibus spiritualitèr dictum est, *Super Aspidem & Basiliscum ambulabis.* Offendit te porrò quòd *Vriam* alibi, alibi *Danielem* pro Dauide substituit. Grande scilicet ab illo piaculum, & tu egregius pro Pontifice confutator, dignus cui in Prytaneo Romano de lacte bubonū sumptu publico victus præbendus sit.

Proximè solutionem aggreditur eorum quæ vir clarissimus ad minuendam præsumptam illam à Pontifice potestatem ex Scripturis affert. Mitto proteruiam qua Cydonium hoc animal nobilissimum heróa *oratorem* contemptim & ludibrio compellat; ad rem ipsam accedo. Vbi excidere illi non debuisset, in longiori rerum tractatione non vbique aculeos & neruos adhiberi, solere; quin potiùs afferri multa quæ suadeant tantùm, non probent, & inducant, non cogant, lucemque potiùs & ornamentum rebus quàm pondus & momentum addant. Id quod optimè seruauit Comes doctissimus vt interspersa rerum varietate oratio gratior esset & pulchrior, nec quicquam tamen ad caussam muniendam deesse pateretur. Huiusmodi illud est quod primo loco reprehendit Aristarchus noster, vbi Comes pro taxanda Pontificum quorundam ferocia atque impudentia, qua tentarunt prætextu clauium Monarchas nonnunquam & Principes, etiam caussa inaudita, tantùmque vt stomacho indulgerent, non expellere tantùm de statu gratiæ, sed & maiestate priuare, diuinum exemplum opponit, & *ante legem*, inquit, *quamuis diuino numini visum esset ob mandatum violatum Adamum è Paradiso, quæ fuit Ecclesiæ typus, exturbare, vt in pœnam culpæ sudore vultus pro eo laborem subiret, quod anteà beneficio Creatoris sponte prouenerat, illi tamen vniuersi orbis terrarum monarchiam reliquit.* Hic verò Dæmon Cretensis oblatrat; *Cùm Adamus planè solus*

tunc esset, monas illa fuit, non monarchia; nisi fortè subigendæ terræ necessitatem monarchiam vocet. Stultè prorsus & ita vt summam rerũ sacratum inscitiam prodat. Vtut enim Adamus in suo genere tunc solus, quis tamen neget monarcham orbis à Deo constitutum? quando de illo dictum est; [c] *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs vniuersæq́ terræ, omniq́ reptili quod mouetur in terra.* Quod & postea repetitum illi, & confirmatum est; [d] *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram.* An verò tibi prælatio illa solius hominis & suprema secundùm Deum rerum omnium dominatio monarchiam non sapit? An monarchia non est in qua summi omnium monarchæ impressa imago & similitudo est? Certè ita Chrysostomo visa est, qui hominem ait [e] *quasi regem & principem aliquem rebus terrenis præfectum, & imaginem Dei* ad quam conditus est homo [f] *non substantiæ dignitatem* interpretatur, sed *dominij similitudinem & principatus rationem.* Mitto reliquos authores, qui ad hanc rem quanto numero adduci possent? tua vt hic cœcitas & ignorantia flagello potiùs quàm responsione digna sit. Comes ergò non Adamum monarcham hominum, quod tu putidè calumniaris, sed hominem in Adamo monarcham orbis facit; quem in Adamo peccantem expulit Deus è Paradiso tanquam excommunicatum ab Ecclesia; nec ei tamen regnum illud & principatum ademit. Tu verò, *An quia Deus*, inquis, *noluit hominem regno suo deturbare, ideò ius pellendi regno nulli concessisse credendus est?* Maximè verò credendus est nulli concessisse in antitypo quod per seipsum non præcessit in typo: Excommunicatio diuina quæ depulit hominem Paradiso, non depulit regno. Respondet ergò, illa quæ per hominem exercetur, vt à regni cœlorum communione secludat, de iure regni terreni nihil minuat. Quam agendi rationem vbi Pontifices excedunt, & Reges principatu spoliatos prætextu excommunicationis deijciunt de throno, haud aliter agunt quàm vrsi & leones & lupi, qui per Dei iudicium fractis natiui timoris & obsequij sui repagulis, insurgunt in homines, dominos suos, & rebus suis simulque vita exuunt, non stato iure aliquo, sed furore belluino. Iam in eo quod adiungis, ego certè planè nescio quid velis.

c *Gen.* 1. 26.

d *Ver.* 28.

e *Chrysost. in Genes. hom.* 8.

f *Ibid. hom.* 9.

lis. *Regibus*, inquis, *plectendi capite sontes potestatem concessit Deus, qua tamen neque in Adamum neque in Cainum vti ipse voluit.* Quid ad rem? Quando enim Comitis ratio omnis à typica comparatione dependeat, in qua cum figura rem figuratam consentire necesse est; Regibus autem in plectendis sontibus cum re figurata, hoc est, excommunicatione, negotij nihil sit, quodque Deus alicubi non fecit, Regibus tamen in præcepto datum sit diligentèr vt fiat, vt nec *vsurpata iniustè potestas illa* nec *aliundè quã à Deo accepta sit*, quid tu otiosè responsum das quod præsenti negotio quadrare non magis potest, quàm si grauē de Lunæ macula historiam narres? Parem excommunicationis figuram notat Comes honoratissimus in [g] *Caino à facie Domini submoto*, quod idem fuisse videtur ac [h] *Satanæ tradi*; & alteram quoque in *Esauo* benedictione cœlesti depriuato, Ecclesia Dei extorri & profugo; quos tamen Deus ita longè abfuit vt terrena ciuitate orbatos esse iuberet, vt potiùs imperio & ditione maximisque opibus locupletandos curaret. Vbi tu iterum ridiculam responsionem adhibes & leuitate tua dignam. *Vrget*, inquis, *quòd Esau bonis in hoc mundo locupletatus fuerit, quasi omnem peccatorem protinùs perdendum quisquam asserat*. Atqui non vrget ille tantùm quòd *Esau filius perditus bonis locupletatus sit*, sed quòd *Esau filius perditus excommunicati personam gerens* bonis locupletatus & regno prouectus sit. Quare vt *omnem peccatorem protinùs perdendum* nemo quisquam vestrûm asserat, redarguimini tamen in hoc typo, qui Pontificiam illam potestatem asseritis qua ille Reges excommunicatos principatu omni & ditione exuendos dat. Iam quod Comes adiunxit, etiam *Iacob fratrem Esau, dominum illum vocasse, & demissè ad pedes eius prostratum iacuisse*, nec propter illam segregationem quicquam de obsequio & obseruantia diminuisse, tu lepidè interpretaris de [i] *subiectione propter iram, non propter conscientiam*, quasi Iacob metu trepidus æquiuocè, Iesuitarum more, & prorsus præter mentem suam hypocrita locutus sit; quippe *constitutus antè Dominus fratrum suorum*; *quod Isaac ipse ratum agnouit cùm Esau alloqueretur: Dominum tuum*, inquit, *illum constitui*. Atqui *dominatum* illum Iacob intellexit probè, non in seipso sed in posteris suis fuisse complendum. Futurum semini suo principatum in Idumæos, non sibi in fratrem futurum sensit, ac proinde spirituali prærogatiua sibi contentus,

[g] Gen. 4. 16.
[h] 1. Cor. 5. 5.
[i] Rom. 13. 5.

cætera Deo tempore suo præstanda committens, temporalis dominij prælaturam fratri suo maiori non inuitus & quidem seriò cessit. Nam quòd tu *iure* fratris sui *dominum* fuisse dicis, certè tuum illud *iure* ita languet in *re*, vt quod ad Iacob ipsum attinet planè ludibrium esse videatur, si de temporali illius principatu dictum putes. Quarè Augustinus; [k] *Dictum est*, inquit, *de Esau & Iacob, Maior seruiet minori; & inuenimus maiorem adoratum à minore, cùm scriptum sit, Maior seruiet minori. Et cum in illis duobus præcedentibus videris non impletum, expectes duos populos in quibus impleatur, quod non mendax Deus polliceri dignatur.* Exponit ille alibi de [l] Synagoga & Ecclesia, sed nihil aduersum nos; quibus ad causam satis est, ne Esau excommunicatus de seculari principatu depulsus sit. At, inquis, *Abraham pater fidei recensitis vernaculis suis irruit in Chodorlahomor & reges qui cum eo erant, ac cæde facta reduxit Lot fratrem suum, mulieresq; & populum.* Et inde quid? *Licet igitur*, inquis, *etiam Patriarchis non tantùm aras ac victimas, sed gladium etiam interdum tractare.* En pro rastris ligones. Esto verò vt liceat: quid ad nos? An quia Patriarchis licuit pro suis è manu hostium vindicandis arma tractare, ideo consentaneum est vt excommunicationem Regum depositio consequatur? Esto quoque quod addis; *Licet viris religiosis vlcisci diuinas iniurias*; an ideo Pontifici Reges deponere licebit? Atqui serram tuam vt te secet per eandem lineam reciprocabimus; spectare scilicet ad Reges diuinas iniurias vlcisci; Pontifices ergò à Regibus deponi posse. O te verò hominem insulsum & stupidum qui cùm acutè disputare videri vis, nonnisi arenas nectis, eaque in vnum per vim cogis quæ per se toto ferè cœlo disiuncta sunt. Bellum pro occasione gerere licere, confirmat ratio tua; nec è nobis quisquam negat; de excommunicatis verò tractandis, quæ res hìc agitur, omninò nihil dicit. Iam ad tempora legis progressus Comes, sacerdotale munus ita constitutum notat vt Regio nihil officeret, neque quicquam fuisse *vel in diplomate sacerdotis expressum, vel intextum in fimbria, vel in Cathedra incisum* quod illi Regem subijceret, *nisi fortè arguat quis*, inquit, *haud minùs debuisse Regem sacerdoti sceptrum submittere quam ab illius manu librū legis accipere.* Hìc tu, *Quasi verò*, inquis, *satis idipsum non sit, quòd dum librum legis de manu sacerdotis accipit, admonetur subiectum se esse legi.* Quid? & quia subiectus est legi

[k] *August. in Psal. 88.*

[l] *Idem. in Psal 78.*

legi, ideonè sacerdoti quoque subiectus est? Quianè [m] *Scripturam tanquam epistolam omnipotentis creatoris* Sacerdos tabellarius defert & in manus dat, ideò superior est eo ad quem defert? Verùm addis; *Legis interpretandæ non Regi sed Sacerdoti ius ita tribuit vt* [n] *qui eius imperio non acquieuerit, moriatur.* Tu verò antiquum obtines, totusque falsarius & mendax es. Primò namque potestatem illam finiendarum litium, de qua ibi agitur, non in Sacerdote vno aliquo, sed in consessu Sacerdotum & Leuitarum constituit; neque debuit ibi Pontifex suam sed communem omnium pronunciare sententiam. Id ex lege ipsa manifestum est, neque tibi non visum fuit; [o] *Venies ad Sacerdotes Leuitici generis & ad Iudicem qui fuerit tempore illo, quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, Et facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus.* Ac de ijsdem non multò post iterum habetur; [p] *Ad verbum Sacerdotum filiorum Leui omne negotium pendet, & quicquid mundum vel immundum est iudicetur.* Iam quod numero multitudinis de pluribus dictum est, tu vt Pontifici tuo gratificeris, tanquam de vno Sacerdote tam aperto mendacio dictum refers? Porrò Iudici nihil minùs quàm Sacerdoti attributum est, *vt qui illius sententiæ non steterit, moriatur*; an ideò Iudici quoque Regem subiectum vis? Atqui de Sacerdote pariter & Iudice, totoque populo mox ibi sequitur, [q] *Eum constitues super te Regem quem elegerit Dominus Deus tuus*, vt Regem, *super omnes* constitutum intelligamus, & planè pateat, priori loco nonnisi forum iudiciale designari, quod sub Regibus finiendi populo lites & controuersias, non in Reges ipsos potestatem haberet. Id quod ex Iehoshaphato forum hoc interlapsum restaurante satis intelligi potest, qui ipse tanquam summus rerum moderator [r] *constituit Leuitas & Sacerdotes & Principes familiarum ex Israel qui iudicium & causam Domini iudicarent, ijsq; Amariam Pontificem præsidere iubet; & in præcepto dat; Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum qui habitant in vrbibus suis, vbicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremonijs, de iustificationibus, ostendite eis vt non peccent in Dominum.* Fratribus ergò sub Regis imperio iudicium facere Sacerdotibus mandatum est, non in Reges ipsos exercere dominium. Atque est quidem vbi summus Sacerdos Regem [s] *Dominum suum*, se Regis *seruum* nuncupat; est vbi Rex [t] summum Sacerdotem de loco deponit; est vbi

m Gregor. lib. 4. epist. 40.
n Deut. 17. 12.
o Ver. 9.
p Deut. 21. 5.
q Deut. 17. 15.
r 2. Chron. 19. 8. 9.
s 1 Sam. 22. 12. 15.
t 1 Reg. 2. 27.

u 2. Reg. 23. 4. [u] summo Pontifici præcepta dat; de illa verò vestra Sacerdotum in Reges potestate nusquam quicquam dictum est. Quæ omnia qui animaduerterit, videbit quàm stultè tu quæras *quid venerit in mentem Britannis Regibus iura sibi Sacerdotum & supremam arrogare in Ecclesia potestatem*; quando non aliam Britanni Reges, quàm olim Iehoshaphatus, sumunt sibi in Ecclesia potestatem, vt in mystica & spiritualia Ecclesiæ authoritatem nullam exerceant, quæ ita esse iubent contra Pontificem vestrum, prout à Deo ipso constituta sunt; personis tamen omnibus, etiam Sacerdotibus & Episcopis imperitent, curentque vt omnes ad normam diuinæ legis officium suum faciant. Hic verò Comes illustrissimus cùm se inuictum stare cerneret, nec habere nebulones istos quod in aduersum vel hiscere vel mutire possint, conglobatis telis & confertim missis acritèr pugnat vt trepidantem hostem obruat & meditantem iam fugam loco suo cedere compellat. Accumulat ille paucis argumenta benè multa quibus mentitam illam & vsurpatam Pontificis potestatem ita destruit, vt meritò erubescant quicunque in causa desperata se defensores & aduocatos præbere non dubitant. Et tamen gloriosulus iste Pygopolynices *qui* scilicet *legiones difflat spiritu quasi ventus folia, eæ*, inquit, *rationes nullo negotio difflantur*, qui tamen vt difflare videri possit, nonnisi perfidè agit, aliasque vel dissimulat omninò vel decurtatas & mutilas producit, alias ita prorsus eludit, vt meritò illum omnes tanquam circulatorem infamem meras præstigias facientem odisse debeant. Ac primùm opponit Comes frustraneas esse denunciationes illas diuinas quibus se narrat[x] *dare reges in ira sua, &* [y] *hypocritam facere regnare propter peccata populi, si liberum nobis sit sub illo onere laborantibus, si impunè liceat, suffragante Pontifice, iugũ excutere quo premimur, & siue modum siue finem pœnæ dare.* Quam sententiã læsit interpres vertendo haud parùm, sed ita vt Iesuitam posterior pars commodè satis de re tota admonere potuisset. Atque admonitum satis non dubitamus, sed quia se vidit fune isto strangulari, transuersum iuit, & tutiùs sibi declinandum periculum quàm experiundum iudicauit. Vide ergò quàm turpitèr aliud pro alio subijciat; pro Comitis argumento leuissimum figmentum suum; *frustra* scilicet *comminaretur Deus Regibus vltionem si ea ad Pontifices spectaret*. Quid habet simile? quàm prorsus aliud & alienum est? vt mihi meritò in illum Augustini verba

x Ose. 13. 11.
y Iob. 34. 30.

illa ſumenda ſint; [z] *Videatis quàm inuictè poſitum ſit, contra quod nihil ille tutius inuenire potuit quàm ſilentium.* Et tamen ſpurium hunc fœtum vide quoque quàm mollitèr tractet: *Minatur Deus vltionem, quia Reges opibus ac potentia elati aſpernantur iuſſa Pontificum.* Nempe iuſſum eſt Pontificis, Rex vt loco ſuo cedat. Renuit ille; non paret. Etiam inuito Pontifice regnat. Non arman illo iubente ſubditi: nemo proditor, nemo ſicarius repertus eſt, qui ſubornari ad cædem velit; propterea Deus vltionem minatur. At illud ſcire velim vbi habeas, *minari Deum Regibus vltionem quòd ſic aſpernentur iuſſa Pontificum*: Exſcrea; dic ſodes vbi habeas: cedò locum, ne tu tibi mendacij dicam ſcribas. Quin verò vnde tibi hoc frontis exterminium, vt orbi Chriſtiano tam audactèr commenta tua venditare non dubites? Quòd ſi *iuſſa Pontificum* ſimplicitèr interpretaris, prorſum otioſè agis, & tuum in te argumentum inſolutum recurrit, quia cauſam dicis *vltionis*; non dicis cur illam Deus minetur, quam ipſe ſanxit ad Pontifices pertinere oportere. Ac multò quidem fœliciùs redibit in te ratio tua, minari Deum Pontificibus vltionem, ſcilicet, quia etiam [a] Apoſtolis, quod ante vidimus, & Prophetis, & Euangeliſtis, ſi iuſſa Regum aſpernentur; nihil ergò hìc impedire quominùs Pontifices à Regibus deponi poſſint. Porrò iam ex Scripturis obſeruat Comes, Deum ſibi vindictam & caſtigationem Regum regali quadam & ſumma prærogatiua ſibi ſumere; proinde poteſtatem illam à Pontificibus ſine ſumma inſolentia & numinis iniuria vendicari non poſſe. Vbi Ieſuita quia nihil habet quod de authoritate Pontificum hac in parte proferre poſſit, ſine ſonitu prætermlabitur, & vltrò ſe ſilendo victum dat. Iterum Comes; *Per Deum Reges regnant; minimè ergò pro Pontificum arbitrio. Regnant*, inquit ille, *per Deum Reges, ſed ita vt Dei beneficiarij ſint; quare perinde ac beneficiarij Ducibus Proregibuſq; à Deo conſtitutis ſubiecti ſunt.* Stultè, quando Reges ipſi beneficiarij, Deo Proreges ijdem ſunt; *vicarij Dei*, vt antè dictum eſt, *quòd* [b] *vicem Dei agant*, vt habet Ambroſius; *vicarius* autem & *Prorex* nulli præterquam ſoli Regi ſubiectus eſt; nec proinde Principes Proreges alteri quàm ſoli Regi Deo. Ac ſciſcitari abs te libet familiaritèr, mi bone Andrea; tu quæſo ex ſinu tuo dicito, Pontifex Romanus vbi tandē *Prorex* omnipotentis Dei conſtitutus ſit: ecquo alio quàm Antichriſti diplomate? ecquis veterum Epiſcoporum tantam

iſtam

z Aug cont. lit. Petil. l 3. c. 57.

a Rom. 13. 1. 2. 3.

b Ambroſ. in Rom. cap. 13.

istam transcendentis imperij sublimitatem somniauit? Subridet ille, & da, inquit, veniam strophis istis quibus rei nostræ consulimus; conspuendi alioqui ab omnibus si absque istis imposturis simus. Alterum Comitis argumentum; *Reges soli Deo accepta referunt diademata & dignitates suas: non ergò tenentur iure diuino vt diademata sua in manus Papales tradant.* Tu verò, *Possunt*, inquis, *soli Deo accepta referre diademata sua Reges, & tamen ab eius Ministris in ius vocari.* Solertèr tu verò acum fugis. *Possunt*, inquis, *in ius vocari*, sed dic ad causam; *quomodo* teneantur Reges Pontifici in ius vocanti regna prodere, quæ de solius Dei dono & dispositione percepta sunt; quæ ab illo solo se commodata tenere profitentur. At Pontifex tuus quia videt si regna soli Deo accepta referantur, penes se esse non posse, longè aliud nobis in voce Draconis obnunciat: [c] *Imperator quod habet, totum habet à nobis. Ecce in potestate nostra est vt demus imperium cui volumus; Propterea constituti sumus super gentes & regna vt destruamus & euellamus, & ædificemus & plantemus.* Quomodo verò tibi cum Pontifice tuo conuenire putemus? Cæterùm qui Reges à Dei *Ministris* posse ais *in ius vocari*, quos tu nobis *Ministros* narras? Nam cùm Rex ipse [d] *Minister Dei* constitutus sit *vindex ad iram ei qui malè facit*, & quidem supremus Minister, quòd in ipso [e] *Dei solio*, quod nulli vnquam alteri attributum est, *sedere dicatur*, quis ille tandem *Minister* qui regem in ius vocet? vtpote de quo legimus; [f] *Omne quodcunque voluerit faciet, & sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest, Quare ita facis?* At inquis, *qui Apostolos audit, Christum audit, Christum spernit, qui eos spernit.* Sycophanta, quid hoc ad Reges in ius vocandos? Itanè vt in quo Christus non auditur, in quo spernitur, quisque mox regnis & dominijs & bonis exuendi potestatem habeat? Apage te, profanum caput, qui tam apertè de verbis Christi ludos facis. Iam verò cadit sponte sua quod proximè respondes, *à Deo solo Reges mandatum quidem accipere; sed Deo vel in se vel in ministris suis rationem reddere teneri*; quia cum Rex ipse supremus minister sit, non habet cui præterquam Deo soli rationem reddat. [g] *Regna constituere, dare, transferre, solius Dei esse* Comes ex Daniele confirmat. Tu contra; *Ius tamen cognoscendi de Regibus, cùm opus est, Sacerdotibus dare potuit.* Itanè, nequam? *potuit*, inquis? An sic illudis nos per tuum *potuit*? Et potuisset te Deus virum bonum

&

[c] Adrian 4. apud Auentin. lib. 6.

[d] Rom 13.4.

[e] 1. Chron. 29. 23. 2. Chron. 9. 8.

[f] Eccles. 8. 3. 4.

[g] Dan. 2. 21. & 5. 21.

& veracem efficere, quem tamen iusto iudicio, quantum videre est, Satanæ mancipium futurum reliquit. Noli nobis occinere tuum, *potuit dare*: dic vbi dederit, aut si non dixeris, impostor sis. Nego Sacerdotibus dedisse vnquam Deum potestatem de Regibus cognoscendi; & illa quam Pontifex tuus præsefert, vsurpata penitùs, & nonnisi per immane sacrilegium arrepta est. Et rectè quidem Comes *arrogantia crimen* esse contendit, *mortalis vt quisquam ab ijs rationem exigat, quos Deus vicem suam in terris gerere constituit.* Vbi tu, *In regendis hominibus*, inquis, *vices suas Regibus tradidit, sed ita vt supremum ius penes se esse voluerit.* Esto, at *supremum illud ius quod penes se esse Deus voluit*, cur Pontifex sibi rapit? cur adyta cœlestia per vim inuadit? cur sibi solium cum Lucifero iuxta æternam Maiestatem in cœlis locat? Nempe hoc ipso Antichristus esse dignoscitur, *extollens se super omne quod dicitur Deus*, supra ipsam augustissimam maiestatem, [h] *quæ Dei habet imaginem, & cui sicut Deo subijcimur*, prout Ambrosio visum est. Qui verò Deum *vices suas Regibus tradidisse* non negas, quî tandem Pontificem simul *Vicarium Dei* facis? Itanè vt vterque vnius *Dei vicarius* citra incommodum esse possit? Atqui si *Rex vicarius Dei*, quod tu negare non audes, certè fabula est quicquid vos de Pontifice *Dei vicario* commenti estis. Enimuerò vt Pontifex *Christi vicarius* dicatur, aliquis vobis prætextus est, & tolerabiliores aliquantulum in eo estis; vt autem *Dei vicarius* dicatur, nulla omninò ratio, nullus vobis prætextus vel fingi potest. Quò illud pertinet Augustini; [i] *Dei imaginem habet Rex, sicut & Episcopus Christi.* Quòd si tantùm *vicarius Christi*, certè quia [k] *Christi caput est Deus*, necesse est vt *Vicarius Dei* caput sit *Vicarij Christi*, Rex vt Sacerdotis caput sit. Cæterum quod concludis *Iudicem à Rege missum, à Prorege nisi læsa Maiestate abijci non posse, nec Reges ergò sine piaculo sacerdotes Dei reijcere*, planè friuolum est; quia Iudex à Rege missus suo loco habendus est, nunquam vt Prorege maior sit, qui Prorex esse desinit si quisquam à Rege maior sit: & nos quoque dicimus Sacerdotes Dei à Regibus sine piaculo reijci non posse, quos tamen stultum est Rege propterea maiores esse dicere. Vrget porrò Comes quanta *obseruantia Mosen principem politicum coluerit sacerdos Aaron, perpetuo exemplo quantum Regibus obsequij à sa-*

h *Ambros. in Rom. cap.* 13.

i *August. quæst ex vet. testam.* 35.

k 1. *Cor.* 11. 3.

sacerdotibus deferendum sit. Tu excipis, *Mosen summo sacerdotio extraordinario præditum, eo Aarone maiorem fuisse*. At exceptio tua vanissima est, quia non vltrà Moses sacerdos postquam Aaron Deo iubente ad sacerdotium consecratus est; qui tamen consecratus, eodem honore Mosen semper prosecutus est. Sacerdotij quoad personas nullus erat antè certus ritus; sed prout quisque erat vel primogenitus vel paterfamilias vel princeps, ita sacrificandi potestatem habuit. In Aarone circumscripta Sacerdotij ratio est; personarum, rerum, locorum, temporum circumstantiæ definitæ, nemo vt fines extra istos egrediatur. Acciuit Aaronem Moses posteà qui sacrificaret & incensum offerret; sacrificasse ipse nunquam repertus est. Quare stat loco suo Comitis argumentum, nec aliud est quàm cauillum quo tu effugere conaris, Mosi Principi Sacerdotem Aaron detulisse obsequium: par ergò esse vt Principibus nostris Sacerdotes quoque omnes subiecti sint. Quòd verò Reges Angliæ dicis, quia Pontifici parere renuunt, ideò *iure Dei & clientela se eximere*, debuisti illud pro stoliditate tua occinere idiotis vestris, certè nobis Deus extra Pontificem & Iesuitas Deus est. Quanquam subijciuntur Reges Angliæ [l] *ministris Dei*, quatenus par & iustum est, vt verbum Dei de ore illorum, Sacramenta de manu percipiant, & edoceantur ab illis magis magisque quæ pietatis & religionis sunt, sed ita vt se quoque [m] *ministros Dei* rescifcant probè, quibus reliqui omnes *ministri* secundùm Deum parere teneantur. Exempla deinde Comes affert exactorum è locis suis à Regibus Sacerdotum.[n] Abiatharum Pontificem summouit Solomon & Pontificatum transtulit ad Zadochum. *Si spiritu prophetico*, inquis, *ductus id fecit, nihil officit causæ nostræ*. Quid ita verò? an quia cum spiritu prophetico nihil vobis negotij est, & spiritus tantùm Pontificius sapit? Atqui vt spiritu prophetico ductus fecisse dicatur, certè authoritate fecit non Prophetica, sed Regia. Maior enim Solomon quà Rex, quàm quà Propheta, quia regem [o] *Propheta dominum suum, se regis seruum* appellitat, & proinde *regem adorat pronus in terram*, vt ineptè totum hoc abs te pariter atque à Bellarmino tuo confictum sit. Et quidem planè confictum est ad subterfugium, quia nihil habet sacra Scriptura ex quo coniectura vlla petenda sit, alia quàm Regia potestate & officio designatum quicquid in Abiathari abdicatione factum est.

l 1. Cor. 4. 1.

m Rom. 13. 4.

n 1 Reg. 2. 27.

o 1. Reg. 1. 11. 23. 26.

est. Quod quia tu optimè vides, aliò refugium paras, & *nihil mirum esse* ais, *si Solomon ante acceptum à Deo spiritum sapientiæ, vel humano aliquo errore, vel vltionis studio, vel insidiarum metu in fraudem inductus sit.* Ita semper incerta est, & infida sui mendaciorum conscientia, nec aliquid ferè habet vbi secura sibi stationem figat. Atqui Solomon iam antè sapientia commendatus est; [p] *Vir sapiens tu, & nosti quæ facias ei.* Si verò Shimeio, (hic est enim de quo loquitur) qui tandem minùs Abiatharo? vt nec *humano errore*, nec *vltionis studio*, nec *insidiarum metu*, sed iusto iudicio, & quidem [q] *iuxta sapientiam suam* hoc quoque statuisse censendus sit. De Zacharia Ioiadæ filio verum est quod ais, curatum à Ioas Rege vt [r] lapidibus obrueretur, quòd Spiritu Dei plenus sacrilegia eius insectaretur, sed vbi interim Pontificum illa potestas abdicandi Reges, quam hic maximè in tantis illis sacrilegijs adhiberi oportuisset? cui vtut vires defuisse dixeris, saltem aliquid ex officio fecisse debuerat quo ius illud vestrum Pontificale sartum tectum præstari posset. Sed nihil ille fecit; non dixit in Regem Exrex vt esset sententiam; non populum in seditionem conciuit; non conduxit sicarium, nec verò alter quisquam in simili causa Pontifex Iudæorum, Regi omnes obnoxij & illius arbitrio, siue secundi, siue nulli. Quod de Dauide & Ezechia refert Comes in eo positum est, quòd vterque [s] Sacerdotum & Leuitarum vices constituerint, quia penes quos erat vt vices illorum certa lege describerent, penes eosdem esse creditur, aliquorum vbi occasio postularet, nullæ vt vices essent. Quod in Iosia quem vltimum affert manifestum est, qui Sacerdotes idololatricis ritibus & *excelsorum sacrificijs* & superstitionibus inquinatos exclusit è Sanctuario, & [t] *ab altari Domini* extorres esse iussit; tantùm permisit *vt comederent azyma in medio fratrum suorum.* Quare nihil tu minus quàm Eudæmon, qui tam miseram causam agis, cui desunt præcepta, desunt exempla, deest quicquid tuendæ veritati præstò esse, & solet & debet.

Qui tamen ne quicquam impudentiæ suæ deesse patiatur, exempla nimirùm afferre videri vult Principum à Sacerdotibus depositorum. Ac primo loco Athaliam nominat *regno deturbatam à Ioiada Pontifice*; sed quam ipse recognoscit animo suo haud magis Reginam fuisse quàm Petrum de Luna Pontificem Romanum, de quo Bernardus; [u] *Bestia*, inquit, *illa de Apocalypsi*, cui

p 1. Reg. 2. 9.
q Ver. 6.
r 2. Chro. 24. 21
s 1. Chron. 24. 3 & c. 2. Chron. 31. 2.
t 2. Reg. 23. 9.
u Bernard. ep. 125.

cui datum est os loquens blasphemias, & bellum gerere cum Sanctis, Petri cathedram occupat tanquam leo paratus ad prædam. Nempe x Athalia filio rege mortuo, postquam regiam sobolem propè vniuersam horribili parricidio & proditione sustulerat, Ioa tantùm per amitæ suæ solertiam & pietatem ex illa laniena conseruato, regnum occupauit illa quidem & tenuit nullo iure, nullo titulo, sed latrocinio tantùm & raptura, vtrobique rea lege capitali supplicio, nec propria Sacerdotum potestate aliqua, sed communi & debito subditorum in Principem officio, & fide deturbanda regno & morte plectenda. An verò miser argumentum hinc tibi suppetere visum est pro veris Regibus deponendis, qui nonnisi iure suo & legitima successione regna sibi peculiaria capessunt? Sed & huic tam crassæ perfidiæ addis alteram haud minùs execrandam. y *Mathathias*, inquis, *regno Israel Antiochum eiusq; duces propter idololatriam deturbauit.* Vbi, vt nihil excipiam de libris Machabæorum, Gregorio vestro Pontifici z *non Canonicis*; cur tu iterum pro Rege natiuo peregrinum hostem & prædatorem substituis; qui bello regnum non suum inuaserat, & populum non suum per tyrannidem oppressit, quos esse potuisse vindices suos nemo dubitat & gentem suam quoad possent in pristinam libertatem asserere debuisse? Mathathias certè quicquid fecit, fecit in hostem officio boni ciuis, non fecit in regem authoritate Pontificis. Neque enim aliud quicquam fecit quàm quod quiuis è populo siquidem animo & ope esset, ad liberationem gentis suæ contra communem hostem facere potuisset; quo nomine homines nonnunquam haud magno loco nati maximorum honorum mercede donati sunt. Nihil ergò hìc ad rem tuam, & cecidisti, calumniator improbe, causa tua, & stat immotum quod Comes honoratissimus asseruit, neminē vnquam in populo Dei Pontificem sibi sumpsisse, vt Regem suum quacunque de causa abdicare tentaret. Veruntamen quod in Sacerdotibus non potes, in Prophetis proculdubio effectum dabis. Atqui miseret me insaniæ tuæ; nisi quòd spontè insanienti, quod tibi hìc cecidit, misericordia nulla tribuenda sit. Quæ namque hac in parte per Prophetas egit Deus, quia extra ordinem & nonnisi certo atque expresso Dei nutu atque mandato facta cernuntur, neque officio Prophetarum sed certis duntaxat personis per occasionem data sunt, nonnisi improbè à te, & citra consci-

entiam

x 2 Reg. 11. 1. &c. 2. Chron. 22. 10. &c.

y 1. Machab. 2. 19. &c.

z Greg. Moral. l. 19. c. 23.

ſcientiam ad ordinariam Pontificis tui iuriſdictionem aſſerendam afferri manifeſtum eſt. Si Pontifici par negotium cum Deo, ſi diuini Spiritus illuminatio rebus gerendis pariter conſtans & certa ſit, ſi certa ab illo & certo cum effectu mandata percepta ſint, enimuerò habes aliquid quod de Prophetarum exemplo gloriari poſſis. Quòd ſi hæc omnia tibi deficiant, neque quicquam habeas quo dotes illas Prophetarum Pontifici tuo vindicare queas, næ tu profundis in ventum conatus tuos, caſſumque eſt & irritum quicquid in nos ex aceruo Propheticæ hiſtoriæ iaciendum putas. Quare fruſtra Moſen obtendis, qui nihil egit in Pharaonem poteſtate ſua, ſed edixit tantùm, atque ipſo Dei nomine, quid in illum Deus miraculo facturus eſſet. Quòd ſi ſimilem Moſi Pontificem velis, fac tu vt in Angliam ad nos applicet Paulus quintus, & regi noſtro renuntiet ita placere Numini, vt integra omnia Catacatholicis veſtris eſſe iubeat; fore alioqui vt grauiſſima calamitate pœnam luat. Det ille nobis aquas in ſanguinem conuerſas, grandines & tonitrua & tenebras horrendas eſſe iubeat; diſpertiat vndas marinas & faxit viam fugæ popularibus ſuis, noſtriſque per temeritatem inſequentibus gurgitem virgâ remittat. Denique ſtatuat ſibi Canaanem aliquam quam exactis indigenis ſedem paret dilectis ſuis. Si ad hæc nullus ſit, quanta ſtupiditas tua qui argumenta pro poteſtate Pontificis ab illis aſſers quorum ille prorſus nihil poteſt, & quibuſcum nihil illi commune eſt? Eadem de reliquis ſententia tenenda eſt. *Ieroboam*, inquis, *acceptis decem ſciſſuris pallij ab Ahia decem tribuum Rex conſtitutus eſt.* Itanè verò, nequam, *ab Ahia?* Immò aliud Ahia: [a] *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, Ecce ego ſcindam regnum de manu Solomonis & dabo tibi decem tribus.* Denunciauit ille ſententiam Dominicam, ſuam verò dedit nullam. Nec alitèr ſiue Elizeus ipſe, ſiue anonymus ille quiſquis fuit *vnus è filijs Prophetarum*, à quo Iehu regiam, vt tu ais, vnctionem accepit; [b] *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, vnxi te Regem ſuper Iſrael, &c.* Effundat nobis talia oracula Balaamus veſter; nihil ſuum decernat; tantummodò mentem Domini reportet nobis. Sortietur tunc effectum ſententia, nec erit cur illum tam miſere excuſes, [c] *Exitum Deus ſibi retinuit, vt & conatus impij interdum fortunam habeant, & pij non procedant.* Vbi verò Eliam commemoras, quàm infœlicitèr tibi ipſi iugulum feris? *Elias*, inquis, *quid non poteſta-*

a 1.Reg.11.32.
b 2.Reg.9.3.6
c Pag. 82.

tis in impios Reges eorumq; sectatores exercuit? At tu seriò nobis edicas quid in Ahabum potestatis exercuit? Nunquid illum regno exuit, hominem idololatram, *impium,* [d] *qui venundatus est vt faceret malum in conspectu Domini, & abhominabilis præ alijs factus est?* Nunquid in Ahabum, nunquid in Ahaziam ipse statuit, aut quicquam aliud quàm decretas à Deo vltiones, iubente ipso, denunciat? Cur ergò Pontifex plùs sibi potestatis sumit quàm Elias, tantus Propheta? Cur exemplo Eliæ se munit vt faciat in deponendis Regibus quòd Elias non fecit? Enimuerò si vlla vnquam Prophetarum esset abdicandi Reges authoritas, hic maximè gladium illum explicari oportuisset vbi tam infamis apostasia, tanta scelerum licentia tam iustam sententiæ causam daret. Quia verò nihil hic à Propheta tentatum videmus in Regem, execramur iure optimo Pontificem vestrum, qui sacrilega vsurpatione, nullo iure, nullo exemplo subnixus, pedes suos in Regum ceruices immittit, seque illis in ordinem cogendis præfectum mentitur. Quòd verò [e] *prece* siccitatem triennalem, & [f] ignes de cœlo vindices impij Regis emissarijs imprecatus obtinuit; quòd [g] Baalitas (vide tu hic qui Comitem tam leuitèr accusas, qua fide *lucorum Prophetas* accenses) comprehendi suffragante miraculo, iussit, & lege ita præcipiente, [h] occidi, quorsum à te afferuntur, nisi fortè vt ridiculum facias Pontificem, cui, cùm Eliæ nec vel simia vel vmbra sit, potestatem tamen Eliæ nimis insulsa temeritate vindicare videri vis. Ac pari fide Ieremias à te adducitur, constitutus nimirum [i] *super gentes & regna vt euellat & destruat, & ædificet & plantet.* Nunquid verò vt Reges deponat? Atqui dic nobis vbi vel lacessitus hoc in animum induxerit: qui scilicet per summam iniuriam malè mulctatus à Rege, nunquam in illum vel mutire repertus est. Itanè verò vt otiosa perpetuò potestas illa iacuerit, inclusa tantùm in tabulis & ideis, nec vnquam in actum emancipata est? Atqui verba illa quæ Ieremiæ dicta referuntur, caruisse prorsus effectu quis credat? Quando ergò Regem nullum ab illo, solio suo depulsum intelligimus, necesse est longè alio sensu verba illa dicta esse quàm quo à Sycophantis istis & impostoribus adducta sunt. Sensum illum optimè nobis expediet Theodoretus, qui rationem verborum reddens, [k] *Prophetauit enim,* inquit, *non solùm Iudæorum captiuitatem, sed etiam à Cyro præstitam libertatem. Prophetauit item alijs plerisque nationibus*

d 1.Reg. 21. 25. 26.
e 1.Reg. 17. 1. Iac. 5. 17. 18.
f 2.Reg. 1. 10. &c.
g 1.Reg. 18. 40.
h Deut. 13. 1. 2. &c.
i Ierem. 1. 10.
k Theodoret. in Ierem. c. 1.

tionibus

tionibus non tantùm calamitates omnimodas, sed & salutem per incarnationem Christi Domini donatam. Facere ergò dicitur Propheta quod à Deo faciendum vaticinatur, *euellere* quos euellendos prophetat, *ædificare & plantare* quos prædicit ædificandos & plantandos; & ideò *siue euellere, siue plantare* ipse dicitur, vt Propheticarum denunciationum certitudo monstretur quasi simul dictum factum sit, quicquid illi, Deo iubente, futurum prædicunt. Propterea Deus, [l] *Dolaui*, inquit, *in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei*, vt vim inesse verbis ostendat, *nec* [m] *irritum redire aut* [n] *cadere quicquam in terram ex sermonibus eorum* quos ille decretorum suorum prænuncios fecit. Quare ad illud [o] Hieronymus sententiam refert quod alibi Prophetæ dicitur, [p] *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & bibendum dato omnibus gentibus ad quas ego mittam te, & bibent & turbabuntur & insanient à facie gladij*; quod postea dicitur apertiùs, [q] *Tu prophetabis ad eos omnia verba hæc, & dices ad illos, Dominus de excelso rugiet, &c. Hæc dicit Dominus exercituum, Ecce afflictio egredietur de gente in gentem.* Quanquam ad illam expositionem accurrunt veteres plerique omnes quam Bernardus breuissimam dedit; [r] *Rusticani sudoris schemate quodam labor spiritualis expressus est.* Ita sæpiusculè [s] Origenes, ita quoque [t] Hieronymus, [u] Augustinus, [x] Ambrosius, [y] Gregorius, de vitiorum & peruersorum dogmatum extirpanda prauitate, de plantatione virtutum & veræ doctrinæ structura interpretati sunt. Tua verò expositio de imperio Prophetarum in Reges, tanquam illorum arbitrio & sententia principatus & regna distribuenda sint, nobis nonnisi bubo est inter auiculas, quam miramur in lucem prodire audere; ita prorsus tenebras olet & ab omni veterum fide aliena est. Restat vt de Saule dicamus & Dauide, vtroque inuncto à Samuele, qui tamen Saulem postea præcepto diuino minùs obtemperantem, reprobatum à Deo, Dauidemque in locum eius suffectum testatus est. Quo exemplo torsit te doctissimus Comes & propè intercepto spiritu suffocauit; tantùm intrito ad funem digitulo, gulæ tibi aliquantula potestas etsi frustra quidem illa relicta est. Saulem ait quanquam grauissimorum scelerum reatu constrictum, etiam postquam Dauid vnctionem regalem à Samuele percepisset, tamen ex solo illo indelebili vnctionis charactere tanto priuilegio munitum vt *Christus Domini* à Dauide ipso diceretur, nec illum desig-

[l] *Ose. 6. 5.*
[m] *Esa. 55.11.*
[n] *1.Sam.3.19.*
[o] *Hieron. in Ierem.cap.1.*
[p] *Ierem.25.15.*
[q] *Ver. 30. 31.*
[r] *Bernard. de Considerat. l. 2.*
[s] *Origen. in Ierem. hom. 1. & in Ezech. hom. 1. & cont. Cels. lib. 4.*
[t] *Hieron. in Ierem. cap. 1.*
[u] *August. in psal. 50.*
[x] *Ambros. in psal. 43.*
[y] *Gregor. Pastoral. part. 3. admon. 35.*

designatus idem regni successor & hæres vllo modo, quacunque data opportunitate, lædendum, addo, ne vel [z] pallij quidem scissura violandum putaret, quem tamen si nonnisi iniuria & vsurpatione regnum tenuisset, nec lex diuina, nec humana perimere vetuisset. Hic iam vide, bone lector, bipes iste asinus quale clarissimo viro responsum, siue spectrum potiùs responsi fingat. *Fuit hoc, inquit, in eo viro religionis atque modestiæ, qui non maiestatem regiam sed religiosè fusum à Samuele in eius inauguratione oleum verebatur, nam alioqui regia dignitas Iehu ab inferenda Ioramo morte nihil deterruit post acceptum mandatum Domini per puerum Elizei.* Potuisset ergò Saulem occidere haud minùs quàm Iehu Ioramum, sed oleo à Samuele fuso honorem deferens & religiosa quadam modestia retentus, temperare sibi voluit ab eo quod liberè potuisset. At dic, Andrea, oleum quod tam multis antè annis exaruerat & in vacuas auras abierat, cur tantoperè veretur? Dic ab oleo illo quid superfuisse credas, vt frustratam, si tibi credimus, vnctionem sibi adhuc vir sanctus venerandam censeret? An tu oleum à Regia Maiestate disiungis, quo ille symbolo & tanquam mystico sacramento ad Regiam maiestatem inunctus & consecratus est? Abnegata ergò Regia maiestate, quid illi tandem de oleo in mentem venit? Abi verò ad Anticyras, insane, & purga ibi elleboro caput tuum, & renuncia post nobis an etiamnum tua ista deliramenta tibi probata sint? Admonuerat te Comes quod res est, & tu, credo, non nescis, Saulem à Dauide iam tum *Christum Domini* recognitum; & quisquam tam excors est vt quem *Christum Domini* fateri cogitur, in eo maiestatem Regiam non reuerendam fateatur? An verò ludit tibi Dauid vbi toties illud inculcat, [a] *Dominus meus Rex*? aut tu tam effrons es vt dicas non vereri in eo Regiam maiestatem quem *Dominum suum Regem* appellitat? Iam verò ab vnctione illa qua Rex consueto ritu initiatus est, vide Dauid ipse quid sibi inferendum putet, qui suadentibus seruis vt vindictæ occasionem, Saule in spelunca versante, tam opportunam arriperet, [b] *Surrexit* quidem *& præscidit oram chlamydis Saul silentèr. Post hæc verò percussit Dauid cor suum, eò quod abscidisset oram chlamydis Saul, dixitque ad viros suos; Propitius sit mihi Dominus ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Quod cùm postea Abishai se facturum reciperet &

[z] 1. Sam. 24. 5. 6.

[a] 1. Sam. 26. 17. 18. 19.

[b] 1. Sam. 24. 5. 6. &c.

& [c] *lancea* Saulem *perfossurum*, iterum ei Dauid; *Ne interficias eum; quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? Propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam* in Christum Domini. Vide iam oleum illud & inauguratio quo priuilegio donet Reges, ne quisquam crimine immunis sit, qui *in Christum Domini manum extensurus sit.* Dic iam iterum, si videtur, Andrea, quod hic dicis, licuisse Dauidi vt Saulem occideret, tantummodò per modestiam noluisse; vt proficere te impudentia sciamus, statuméque esse tibi Scripturis sacris & sanctorum virorum probatissimis exemplis, & quibuscunque documentis superba malitiæ pertinacia contraire. Hìc verò prætereundum non videtur, quod Augustinus hac de re animaduertit. [d] *Si non habebat Saul*, inquit, *sacramenti sanctitatem, quid in eo Dauid venerabatur? Nam eum propter sacrosanctam vnctionem & honorauit viuum, & vindicauit occisum, & quia vel panniculum ex eius veste præscidit percusso corde trepidauit. Ecce Saul non habebat innocentiam, & tamen habebat sanctitatem, non vitæ suæ sed vnctionis.* En verò quam vim pristinæ vnctioni attribuat, vt per eam Saulē etiamnum sacram personam agnoscat, quam quocunque modo violare nefas esset, cuius Dauid quòd pallij oram inconsultus minuerat, intremuit; cuius ille fusum ab Amalechita sanguinem, qui eo se illi gratificaturum speraret, præsentissima morte vltus est, [e] *quod non timuisset mittere manum suam vt occideret Christum Domini.* Atque idem alibi, si tamen idem, quærens *qua ratione Dauid Saul postquā Dominus ab eo recessit Christum Domini vocat & defert ei honorē*, ita rem expedit, [f] *Non nescius Dauid diuinā esse traditionem in officia ordinis regalis, idcirco Saul in eadem adhuc traditione positum honorificat ne Deo iniuriam facere videretur, qui hu ordinibus honorem decreuit. Dei enim imaginem habet Rex. Quādiu ergò in ea traditione est, honorandus est, si non propter se, vel propter ordinem.* Attende hìc, Andrea, Saulem etiam post Dauidis vnctionem, & Domini ab illo discessum adhuc tamen in officio regali positum, Deique gerentem imaginem, cui Dauid ipse nisi honorem deferat, iniuriam Deo faciat, à quo constitutus est. Rectè namque in eo Mariana vester, siquidem sibi constitisset, mox enim improbè ad te diuertit, [g] *iura regni in Dauidem translata esse quidem vt defuncto Sauli succederat, non tamen vt viuo imperium, vitamq́, eriperet.* Abi iam verò & nega iterum in Saule re-

c 1. Sam. 26. 9.

d August. cont lit. Petil. l. 2. c. 48.

e 2. Reg. 1. 14.

f August. quæst ex vet. testam. 35.

g Mariana de Rege & reg. instit. l. 1. c. 6.

regiam maiestatem quam Dauid sibi verendam putaret; dic ita regno exutum vt illum occidendi libera Dauidi potestas esset. Quàm libentèr aspicerem durum illud os tuum quo vultu componas, qui tam turpi commento tibi suffugium facis. At inquis, *regia dignitas Iehu ab inferenda Ioramo morte nihil deterruit post acceptum mandatum Domini.* At quid ad te? neque enim deterrere debuit, siue dignitas regalis, siue vnctio quam Deus ipse mandato expresso dederat in exterminium: [h] *Tu percuties*, inquit, *domum Ahab Domini tui, & vlciscar sanguinem seruorum meorum Prophetarum, &c.* An verò propterea integrum erit, iubente Romano Pontifice, Principibus tollendis siue struere insidias, siue apertam vim afferre, & idem vobis videtur quod non ita pridem Rauillaco vestro, *Papa est Deus & Deus est Papa?* Certè aut hoc dicis, aut nihil omninò ad causam dicis. Animaduertite verò Christiani Principes, & cogitate apud vos, an ferendam vobis putetis Romam illam quæ balatrones istos in vos emittit, quisquilias hominum, despectas pecudes, homines corio mulctandos & flagris; quibus tamen de iure vestro, de fortunis, de capite decernendi potestas sit? Quin agite vt per vos glorificetur Deus, & iustificetur in sermonibus suis qui dixit de vobis; [i] *Decem cornua quæ vidisti in bestia, hi odio habebunt fornicariam, & desolatam facient illam & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* Superest quod ex Ieremia Comes adducit quo meritò præfatur contradictioni omni os obstrui, & nodos illorum omnes vel Gordianos facilè solui; Deum scilicet populo suo apud Babylonios exulanti dedisse in mandato, [k] *vt quærerent pacem ciuitatis illius ad quam transmigrare fecisset eos, & orarent pro ea ad Dominum, quia*, inquit, *in pace illius erit pax vobis.* Hic tu, *septuaginta*, inquis, *annos ibi detinendo denunciat Deus; quare ita animum componant vt bona malavè sibi cum Babylonijs communia futura ne dubitent; proinde pro pace ac tranquillitate gentis orarent quam cum sua scirent esse coniunctam: quid autem hoc*, inquis, *ad præsentem disputationem facit?* Certè nihil per te facit, qui ad veræ doctrinæ vsum omnem vbique surdus & cæcus es; qui verò attendunt [l] *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse*, optimè animaduertunt perpetuum hic patientiæ speculum populo Dei statutum esse, vt sub tyrannorum iugo gementes calamitatum suarum tempora Deo præfinito & decretos

h 2. Reg. 9.7.

i Apoc. 17.16.

k Ierem 29.7.

l Rom. 15.4.

exitus esse meminerint, quare illi se interim obedientèr & placidè committant, ferantque onera quæ nonnisi per illius prouidentiam incumbant; neque agant proditione, perfidia, rebellione vt suam sibi fortunam fingant, nevè vnquam scelere otia sua redimant, aut ex aliorum ruinis sibi statum ædificent, sed prece magis etiam inimicis suis impetrent bona, ex quorum bonis ipsi quoque, si Deo videbitur, percipiant sua bona. Quod si à me discere nolis, disce saltem ab Hieronymo; [m] *Quod intulit, Quærite pacem ciuitatis siue terræ, & iterum, Quia in pace illius erit pax vobis, illud Apostolicum comprobatur in quo iubet; Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & cunctis qui sunt in sublimitate, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Et iterum post pauca: *Simul consideranda clementia Domini; Orare præcepit pro inimicis nostris & benefacere his qui persequuntur nos, vt non simus nostra tantùm salute contenti, sed inimicorum quoque quæramus salutem.* Disce porrò à Theodoreto; [*] *Huic sermoni congruit lex ab Apostolo lata quæ denuntiat vt fiant obsecrationes & orationes pro Regibus, &c. Hæc siquidem Dominus omnium fieri mandauit vt instrueret eos ne crederent pseudoprophetis, sed præfinitum tempus expectarent.* Disce post istos ab Augustino qui commemorata illa Ieremiæ concione qua [n] *iussi sunt orare pro eis à quibus captiui tenebantur, & in eorum pace pacem sperare, post septuaginta autem annos monet promissam eis ab illa captiuitate liberationem,* subiungit, *Hoc autem totum figuratè significabat Ecclesiam Christi in omnibus Sanctis eius, qui sunt ciues Hierusalem cælestis, seruituram fuisse sub Regibus huius seculi. Dicit enim & Apostolica doctrina, Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Omnibus præcipitur seruire humanis potestatibus atque terrenis quousque post tempus præfinitum quod significant septuaginta anni ab istius seculi confusione tanquam de captiuitate Babyloniæ sicut Hierusalem liberetur Ecclesia, &c. Pro quibus (terrenis Regibus) Apostolus Paulus iubet orari etiam cùm persequerentur Ecclesiam.* Doctrinam habes nobis paritèr communem atque illis; vide verò apud priscam Ecclesiam nostram praxin eius. Sic enim Tertullianus: [o] *Qui putas nihil nos de salute Cæsarum curare, inspice Dei voces, literas nostras quas neque ipsi supprimimus & pleriq; casus ad extraneos transferunt; scitote ex illis præceptum esse nobis ad redundan-*

m Hieron. in Ierem. cap. 29. lib. 5.

* Theodoret. in Ierem. c. 29. tom. 6.

n August. de Catechizand. rudib. cap. 21.

o Tertul. Apologet. cap. 31.

dantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & persecutoribus nostris bona precari. Qui magis inimici & persecutores Christianorum, quàm de quorum maiestate conuenimur in crimen? Sed etiam nominatim atque manifestè; Orate, inquit, *pro regibus & pro Principibus & potestatibus, vt omnia tranquilla sint. Vobiscum enim concutitur imperium; concussis etiam cæteris membris eius. Vtique & nos, licet extranei à turbis censemur, in aliquo loco casus inuenimur.* Nihilnè verò ista ad vos? Credo planè, quia nihil vobis cum antiqua pietate commune est. Quòd si antiqua fide Christiani sitis, multum ista ad vos, ne proditores, ne perduelles sitis, ne in [p] Nabuchodonosoros quidem idololatriam lege iubentes, ne in Seueros & Diocletianos, ne in persecutores vestros; ne pugiones & gladios, ne venena & veneficia, ne ignes flammiuomosque pulueres & tormenta meditemini, ne quicquam in quenquam perniciosè, nedum in Reges statuendum putetis, [q] (*Ijdem enim sumus,* inquit ille, *Imperatoribus qui & vicinis nostris; malè enim velle, malè facere, malè dicere, malè cogitare de quoquam ex æquo vetamur: quodcunque non licet in Imperatorem, id nec in quenquam; quod in neminem, eò forsitan magis, nec in ipsum qui per Deum tantus est*) sed feratis patientèr incommoda vestra, præstitutos à Deo malorum exitus præstolemini, pro Regibus interim pia citra noxæ aut vindictæ animum vota mittatis; tranquilla omnia & prospera etiam inimicis vestris esse curetis. Contra apud vos omnia; Nabuchonosor est? Diocletianus aut Seuerus est? hæreticus aut infidelis est? Deponatur à Pontifice; profligetur à subditis suis; Circumcellionum agmina vagentur passim; seditiones, direptiones, incendia dominentur; Tartarearum exufflationum fragores & tonitrua cœlum terra misceant, vt ne vobis duram seruitutem seruire contingat. Deponatur, inquam, [r] *etiamsi non conetur populum auertere à fide, quia Thomæ authoritas meritò præualet;* sic enim recognouit rem Bellarminus, ne non verum sit quod habet Apostolus; [s] *Mali homines & seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes.* Nihil mirum quòd nihil illa per te ad præsentem disputationem, quia per illa vestris istis esse non licet.

p Dan. 3.1.2. &c.

q Tertul. Apologet. cap. 36.

r Bellarm. Recognit. lib. de Rom. Pont. pag. 44.

s 2. Tim. 3.13.

Delapsus tandem Comes honoratissimus ad Christum & Apostolos, multa ibi doctissimè disseruit de regno Christi, de illius in Cæsarem obseruantia, edocta verbis, factis præstita; de inter-

dicto

dicto Apostolis ac Ministris dominatu; de obedientia ex Apostolorum doctrina Principibus à Christianis omnibus exhibenda, de consentiente cum illorum institutis veteris Ecclesiæ disciplina, quibus Apologistam nostrum ita percelluit vt lectorem sibi ad Bellarminum remittendum censeret, quòd ipsi ad refellendum nihil animi aut opis esset. Quanquam mentitur illa à Bellarmino confutata esse, qui nimirum postquam Pontificiam monarchiam & imperij potestatem argumentis nostris veris & proprijs ad fundamenta vsque subuertit, indirectam illam suam, qua Pontifici reluctante cõscientia gratificatur, nonnisi ex insanis sophismatis suis & temulentis Scholasticorum & Canonistarum insomnijs extructam dat, telis interim suis confossus miser, nec sibi persuasum habens, quod tamen alijs nonnisi mero & impio ludibrio persuasum vult. Tu verò, mi homo, *satis*, inquis, *ex ijs quæ nunc vsque refellimus huius orationis grauitas atque argumentorum pondus perspici potest; quid illi fidei haberi possit liquet ex ijs quæ supra diximus.* Et perspecta quidem est hactenus, quod tu vides, in oratione viri clarissimi grauitas & argumentorum pondus; perspecta fides est; tua vt interim mendacissimi nebulonis perfidia, inscitia, vecordia, stupiditas simul perspecta sit. Itanè vt tu, vix dignus qui tanti viri vel excrementum sis, fidem in illo desiderandam dicas? quo quid in nobilitatem contumeliosius, quid tanto honore magis indignum dici potest? Verùm illud te offendit quòd Sacerdotes & Monachos seditionum tam frequentes authores facit, quanquam illud tabulis & testimonijs satis testatum facit, vt tua te offensio cruciet gratis, nec occurrat quo lenire dolorem possis. Quòd autem Goodmannum & Knoxum & Buchananum Principibus parùm propitios annumerat, nihil alienum à proposito suo facit, quos vtut ad nostras partes accessisse dixeris, in eo tamen constat haustam à doctrina vestra prauitatem retinuisse, quia nullus hìc nobis cum illis sententiæ consensus est. Nec verò reputanda nobis sunt quæcunque illis per temeritatem exciderunt, quia neque vos vobis Marianæ sententiam vultis de Regibus occidendis, cui Cottonus vester nomine vestro, si tamen credimus, nuncium mittit; aut eandem Caroli Scribanij cuius te dicta tueri [t] nolle profiteris, & de quo Richeomus vt ante vidimus, *Hoc tale est vt vniuersum Societatis corpus non attingat.* Iam in ijs quæ obitèr affers de Luthero, Zwinglio,

[t] *Anticotton. Confutat. c. 3. pag. 98.*

Caluino, Beza, alijsque Gallicanæ Ecclesiæ Ministris, haud aliud quàm putridum maledicentiæ virus effundis, eæque calumniæ ita iam obsoletæ, ita sæpe protritæ sunt, vt nullam illis infamiæ maculam, præsertim à te homine verè Cretensi, at tibi potiùs summæ & statæ impudentiæ notam inurant. Ac testes quidem tui Alanus Cardinalis, & Gulielmus Rainoldus, homines in nos fide Punica, quorum tibi manibus de mendacio parentare sacrũ, scio, & magna quædam pars religionis est. Cæterum nihil fecisses nisi Wiclefo quoque litem mouisses, qui quò est in cœlo excelsior & beatior, eò malitiosiùs & infestiùs à furijs vestris infernalibus oppugnatur. Ab illo dicis hausta dogmata de rebellione in Principes, regibusque si opus est coercendis atque occidendis. Dixisse illum ais *nullum in peccato mortali existentem esse dominum alicuius rei, & nullum esse Dominum ciuilem, nullum Episcopum aut prælatum dum est in peccato mortali; & populares posse ad arbitrium suum Dominos delinquentes corrigere.* At vnde patet dixisse? Scilicet *ex Concilio*, inquis, *Constantiensi. sess. 8. & 15.* At abi tu, pessime; quid Concilium Constantiense nobis narras? Vbi tot ab infestis hostibus excogitata mendacia & corrasæ vndiq; caluminæ referuntur? Vbi Ioannes Hussius in quęstione habitus quòd Wiclefi dogmata sequeretur, de articulis postulatur, [u]*qui*, inquit, *per falsos testes in attestationibus suis produsti sunt contra me, quia Deo teste, non prædicaui, nec asserui, nec eos defendi, sicut eos me dixerunt defendisse, prædicasse & asseruisse.* Da verò vbi dixerit in libris suis, quos ille scripsit tã multos, tam eruditos; quibus explicuit mentem suam & obtrectatorum ora compescuit; ibi nisi dederis, nugas egeris, nec quisquam tibi cordatus fidem habiturus est. Atque vt constet hominem te esse perfidum & scelerata calumniandi libidine nimis importunè prurientem, animaduersum lectori esse cupio quomodo Wiclefo sententiam affingas quam ipse non ignoras à vestris hominibus profectam esse. *Quilibet tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi per quemlibet vasallum & subditum suum, etiam per clanculares insidias & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocunque præstito iuramento, vel confæderatione facta cum eo, non expectata sententia vel mandato iudicis cuiuscunque. Hæc*, inquis, *Wiclefus vester.* At vbi tandem fides tua qui non vereris tam apertè, tam sponte mentiri? Certè qui mox Ioannem Gersonem citas ex Alphonso, nescire non

u Concil. Constantiens. sess. 15.

non potes quem ille ibidem huius impij dogmatis authorem dicat. [x] *Huius hæresis author fuit (vt testatur Ioannes Gerson) quidam Ioannes Parui.* Fuit autem Ioannes Parui Theologus Parisiensis è Sorbona, quod confirmat Ioannes vester Mariana, & illum ait [y] *Ludouici Aurelianensis cædem à Ioanne Burgundo Lutetiæ factam eo commento excusare voluisse.* Quî tu ergò ausus es Wiclefum sententiæ illius authorem & assertorem dicere, nisi quòd certum tibi est exterminata fronte audere omnia & nihil non dicere, fas sit an nefas pari loco est, quodcunque putas ad impiæ causæ prætextum valere posse. Nec verò maiorem fidem habet quod de coniuratione narras tot millium Wiclefistarum Henrico quinto nostro penè exitium afferentium, cuius rei confictam tragœdiam nonnisi ab inuidiosis Episcoporum cæterorumque hostium calumnijs haustam historici quidam odio religionis magis quàm rerum veritate amplificatam tradiderunt; quæ si prudentèr ex ipsis circumstantijs examinetur & expendatur, quod non est nunc operæ nostræ vt fiat, facilè probatur habere aliquid quo candido & æquo vtrinque lectori meritò suspecta sit. Hîc tu verò, *At vide*, inquis, *quàm Regum regnorumq; tranquillitati melùs consulat Ecclesia catholica?* Et quî tandem? Nempe *non priuatorum tantùm scriptis ea sententia confutatur, posse tyrannum à quoquam priuata authoritate interfici, sed Concilium ipsum Constantiense aduersus eam Canonem edidit.* Egregiè verò consultum ab Ecclesia, nemo vt absque Pontifice Romano Principis sui parricida esse præsumat; illo verò iubente vel suffragante, in diuorum se numerum referendum confidat, qui petendo caput Regis capitis sui periculum facit. Scilicet ita consultum esse oportuit, ne tantum; tam atrox peccatum quisquam absque [z] *homine illo peccati* vllo modo tentandum putet. Videte verò, Principes, Cretensis iste veterator quàm bellè *calumniam* scilicet *diluat* de Regibus deponendis, qui vos ad vnum omnes de dignitate, de incolumitate & vita Pontifici Romano beneficiarios esse statuit, cuius arbitrio & sententia cadat principatus vester omnis, vobisque trucidandis cuilibet è plebe sicario potestas sit. Et tamen Canon ille Constantiensis quanti illis sit attendite quæso, de quo Ioannes Mariana Iesuita, [a] *Decretum id Romano Pontifici Martino quinto probatum non inuenio, non Eugenio aut successoribus quorum consensu Conciliorum Ecclesiasticorum sanctitas stat; eius præsertim quod non*

x Alphons. de Castro. adu. hæres. l.14. titulo, Tyrannus

y Marian. de reg. & regn. institut. lib.1. cap.6.

z 2. Thess. 2.3.

a Marian. de Rege & reg. institut. l.1. c.6

non

non sine Ecclesiæ motu, tricipiti Pontificum dißidio de summo Pontificatu contendentium celebratum fuisse scimus. Itaque neque ibi consultum vobis; & nugatur fabulator iste, nugantur & reliqui qui vos falsò securos esse iubent, quorum omnium cum Mariana, quantumcunque rem dissimulent, coniuncta sententia & sensus est.

Hic verò Iesuita, nominata tantùm à Comite *Goodmanni & Knoxi contra duas illustrißimas Marias Scotorum Reginas, alteram regentem, alteram regnantem nostris diebus, incursatione*, arrepta tam facilè occasione furores suos euomit, & quicquid malitia præceps vel fingere ad conflandam inuidiam possit, hoc ille de rebus sibi nullo modo compertis tanquam oraculo certissimo edoctus effundit. *Satis mirari se non posse ait quòd vir consultus tragœdiam temporis illius in memoriam reuocare voluerit*, qui tamen quam tandem illius memoriæ repetendæ causam dat, cui priuatā tantummodo duorum hominum temeritatem & amentiam taxare animus fuit? *Tragœdia*, inquit, *quæ Anglorum Consiliariorum scelere acta ac tandem peracta est.* Ita nebulo vesanus & importunus in omnes ordines, summos, imos, viuos, mortuos furiosè debacchatur, natus tantùm obtrectationi & mendacio, & ad illam naturæ prauitatem cum studio & voluptate se accommodans. Mentiris tu verò, scelus, qui *Anglorum Consiliariorum scelere* tragœdiam illam actam turbisque omnia ac seditionibus mista dicis, quos decernente ita Elizabetha Regina, ad salutem regni illius inuigilasse, sartamque ac tectam regni Angliæ hæreditatem Iacobo Regi summa fide conseruandam curasse, progressus rerum & exitus ita confirmant, vt mihi de re illa dicendi labor omnis supersedendus sit. Cæterùm quæ Reginæ matri eius in regno suo contigerunt aduersa, omnia sat scitum est à popularium suorum intemperantia & furore profecta esse; in Anglia quicquid cecidit, vestris solicitationibus & consilijs, vestræ perfidiæ, vestris incantationum & veneficiorum allectamentis & artibus deputandum est, vt hoc ipso vos nomine Rex inclytissimus meritò exosos habere debeat. Atque erit aliquando, nihil dubito, *vt pro eo quo est pietatis & humanitatis sensu* recidat in vos fabam hanc, postquam expertus quàm nihil apud gentem improbam, vos intelligo Iesuitas & administros vestros, bonitate proficiat; quámq; omnes ad seditiosa cōsilia & omnes proditionum immanitates

nitates indurati sitis, distringendum sibi gladium intellexerit, & in viscera vestra recondendum. Standenus ille tuus quis qualisvè vir fuerit nescio; de quo tamen exulem agente nihil dubito quin meritam exilio pœnam luat, & eo peiorem iudico quò te amiciorem habet, qui nonnisi sceleratorum hominum aduocatus esse soles. Esto verò quod ab illo pro conseruando Rege factum dicis, quod mihi tamen abs te profectum vehementer suspectum est; meminisse ille certè debuisset præstita Regibus officia ad malefaciendi licentiam diplomata non esse; qui in bonitate perseuerant, eos ad præmium peruenire; qui verò iustitiam suam euertunt, exuere se mercede quam alioqui cum gratia reportaturi sint.

CAP. IIII.

Garneti responsio de perdendis innocentibus immanis & impia demonstratur, eaq; de re Comitis inclytissimi argumenta comprobantur.

QVocum homine res ista agatur, ita hactenus intellectum est, vt preter inscitiam & singularem mentiendi & maledicendi libidinem atque impudentiam, nihil sibi quisquam in reliquis expectandum putet. Quarum rerum cùm vbique vestigia cernuntur impressa, tum in quarto illius capite haud leuia apparent, vbi duos porrò accusationis articulos pro Martyre suo vindicandos adsumit. Ac primò illud vellicat quòd *Winterus & cæteri conspiratores Iesuitarum persuasionibus & consilijs ad proditionem illam obeundam acquieuisse assensumq; suum præbuisse dicuntur*, quod inde falsum videri vult, quòd à Coko ipso Aduocato Regio commemoratum sit & expositum, *Garnetum à Catesbeio de re illa tanquam ignota & quidem per ambages interrogatum, quod neutiquam facturus creditur, siquidem illi Garnetus author consilij vel certè conscius extitisset.* Atqui quòd cogitatum antè à Catesbeio facinus & animo conceptum est, nihil dat impedimenti quo minus Garnetus & Iesuitæ teterrimæ coniurationis illius authores dicendi sint. Confirmandus quippe erat ipse Catesbeius in incœpto suo, & plures alij priusquam quicquam designari posset in confœderationem asciscendi, qui certè prodigiosam illam ima-

manitatem plerique abhorruissent, nisi suasores illis & consultores adfuissent, quorum authoritate & existimatione ac fide ad exuendam humanitatem omnem, & sumendos sibi tigridum & ferarum animos adduci possent. Hoc factũ à Iesuitis est, & ita factum est vt Garnetus ipse vbi retectam coniurationem intelligeret, mox Societati metuerit, mox [a] *actum de Societate esse* dixerit. Id postea viderimus; interim quod dicis, rem à Catesbeio, quo tempore quæstionem illam moueret, non communicatam Garneto, videtur mihi cum illa quærendi ratione cohærere non posse. Nam cui tandem probabile esse poterit de insontibus paritèr cum sontibus tollendis quæstionem derepentè absque vlla rerum occasione præmissa moueri potuisse? cui verò non statim occurrit de sontibus tollendis antea conuentum & conclusum esse? Est ergò quo suspicemur rem totam Garneto tum expositam à Catesbeio, cui quòd in Comitiorum loco paritèr omnes siue qui è nostris siue qui è Pontificijs, quos ibi per tempus adesse oporteret, communi exitu suffulminandi essent, scrupulus quidam de suis incesserat, quem sibi ex animo à tantæ authoritatis viro euulsum voluit, cuius vel ipso nomine minuere alijs atrocitatem infandi consilij, animosque ad exterminium conscientiæ obdurare posset. Atque hoc mihi quidem videtur ex ipsa Catesbeij relatione constare optimè, qui cùm Rookwodus audita re attonitus & consternatione quadam propè oppressus, salua diceret conscientia tantum sanguinem effundi non posse, respondit, [b] *confirmatum sibi esse idq; authoritate optima, vtique à Iesuitarum superiore, hoc per conscientiam fieri posse, & quidem innocentum multorum perniciem potiùs admittendam quàm ab incæpto desistendum esse.* Vide verò hìc annon rem integram ex Garneti responso referat; vide an celatum ibi quicquam credi possit, vbi ad totius negotij summam, teste ipso Catesbeio, tam expressa sententia data est. Quòd si Catesbeius inauspicatò cæsus euulgandis arcanis istis superstes mansisset, si vel Garnetus ipse fidiculis adhibitis pectoris sui latebras coactus aperuisset, haud dubium quin rem ab initio rescisse compertus esset, qui iam ad spontaneam confessionem dimissus, celauit, quantum ingenio consequi posset, infamiam suam, neque quicquam ferè ad reatum edidit, de quo *non nube testium* & manifestis indicijs conuictus est. Hìc verò proditor-Apologista, quia se in illa quæstione perplexum

a *Act. pag.* 85.

b *Act. pag.* 27.

xum

xum hærere sentit, vt vim eius aliquantulùm eludat, eam ex Garneti verbis pro tribunali habitis repetendam vult, vbi *meminisse se* ait, *Catesbeium ab ipso in genere quæsiuisse, vtrùm insontes cum sontibus trucidare liceret; quam ego quæstionem,* inquit, *primò putaui otiosam.* Et quidem quid hoc quæstionis est? Ecquis tam insanus est, vt hoc nudè quæsitum credat, *vtrùm insontes cum sontibus liceret occidere*; aut quisquam à communi sensu tam alienus est, vt sibi hac de re dubitandum putet? Immò ad quæstionem emolliendam causas impellentes adiunctas fuisse nemo dubitet, vt quod alioqui prima fronte barbarum & immane resugeret extra controuersiam animus, omniq́ue modo abhorrendum iudicaret, videretur tamen non ingratis *in tali casu* cum difficultate coniunctum esse. Quare Cokus ex ipsa Garneti confessione quæstionē ita conceptā refert, & ita circumstantiæ omnes illam dant; [c] *An ad Catholicorum causam aduersus hæreticos promouendam, ita exigente & temporis & occasionis necessitate, fas sit inter multos sontes insontes etiam nonnullos vnà perdere & è medio tollere?* c Act. pag. 99. Vbi quòd causatur Iesuita verba illa *ad causam Catholicorum aduersus hæreticos promouendam à Coko ad accusationem condiendam fuisse addita*, quia scilicet in illo Garneti breuiculo non habentur, parùm probata ratione dictum est, quia præter propter *Catholicorum causam eo modo promouendam*, nullus ad tam infandam interrogationem vel prætextus esset, & ipse agnoscit [d] *Catesbeium inconsulto quodam restituendæ Catholicæ* (veriùs Papisticæ) *religionis studio incitatum* tantum facinus aggressum esse. d Pag. 4. Nam quòd *insontes* ibi nostros intellectos vult, qui *quanquam ab Ecclesia Romana alieni essent, tamen in Romano-Catholicos non sæuiebant, nec in hæreticos sed in persecutores coniurationem fuisse initam*, ridiculum & puerile commentum est: quia in Regem serenissimum & inclytissimum Principem Henricum coniuratio est inita, qui vtut vobis hæretici, certè persecutores nulla ratione dici poterant, & satis exploratum Catesbeio erat multos in Comitijs Romano-Catholicos adfuturos quorum habitam ab illo rationem constat, neque tu non dixeris, immò [e] alibi apertè dicis; reliquorum habuisse neque Garnetus aut quisquam alius vnquam e Pag. 240. dixit, & ne vlla quidem leuissima coniectura vel fingi potest. Atqui Cokus, inquis, *in posteriore actione huius immanis placiti mentionem facere non est ausus.* Stulte, vide iterum an pagina illa 79.

quam describis, in posterioris actionis historia reperta sit. Salisburiensis & Northamptonius, qui, te teste, *de Garneti responsione ad Catesbeianam quæstionem grauissimè conqueruntur, quòd ea confirmatam & corroboratam coniurationem fuisse dicant*, quomodo à te dicuntur non meminisse quæstionem illam, nisi per ludum dicere velis totidem ibi verbis expressam non legi? Salisburiensis nonnisi digitum ad rem intendit; [f] *Quid quæso Garnete animum addidit Catesbeio vt in incœpto pergeret, nisi tua primæ propositionis confirmatio?* Dic iam quæ & cuius confirmatio. Northamptoniensis verò expostulatio cum Garneto te apertè conuincit, qui responsionem illius tam doctè, tam vehementer exagitat; ad quam verò quæstionem? certè ad illam de Romano-Catholicis quicunque Comitijs adessent, simul cum nostris è medio tollendis: quod vel vna sententia manifestum facit, vbi [g] *Christum lætitia perfusum animaduertit quòd ex ouibus quas in curam suam tradiderat Pater ne vel vnam amisisset, & in mundum venisse vt saluum faceret, non vt perderet; tu autem,* inquiebat Garneto, *æquum censebas omnes eodem fatalis exitij sepulchro confundendos.* Nam qui Garnetum reprehendit quòd contra Christi exemplum *oues suas* pariter cum hœdis, quos putauit, alienis vnà perdendas decerneret, satis apertè demonstrat Catesbeianam quæstionem de *insontibus*, nonnisi de Garneti ouibus, id est, Romano-Catholicis intellectum esse. Quod porrò vrges ex Salisburiensis testimonio, *ex colloquio Garneti cum Hallo lucis aliquid & probationis aduersus Garnetum oblatum esse*, vt doceas priore Actione, in qua accusationis capita illa denunciata sunt, nihil tamen in illum constitisse, supra de eo responsum est, iam ante ad fidem satis in illum explorata fuisse omnia, quando coniurati ferè omnes haustam ab illo atrocissimæ sententiæ disciplinam vna voce testati sunt, cuius tamen mentem quia nonnisi internuncio Catesbeio ante mortuo perceperant, alia in illum probatione, qua directè peteretur, opus fuit, quam illa cum Hallo interlocutio commodissimam dedit. Nihil ergò hìc hians, nihil incongruum affertur, omnia cum veritate & inter se consentiunt; neque Cokum tu mendacem, sed te improbum veteratorem esse confirmas. Benè verò quòd hìc Martyr tuus tibi non probatur, cuius doctrinam illam (vtique velis nolis illius est) *falsam, perniciosam reip. atque ab vsu sensuq; Ecclesiæ alienam* dicis, idque lege cautum ostendis, *ne vel magistratibus*

[f] Act. pag. 106

[g] Act. pag. 119. 120.

stratibus in hæreticos animaduertendi potestas, priusquam ecclesiastico iudicio hæreseos ritè damnati ijs puniendi tradantur. Sed dæmoni fidem adhibeat qui volet; mihi certè non alius erit quàm à Cypriano describitur; [h] *Blanditur vt fallat, arridet vt noceat, illicit vt occidat.* Quid mentis Ecclesiæ vestræ in hac causa fuerit Baldwino nobis authore satis constat; ad euentum proditionis illius paratum nobis à Roma & in procinctu depositum triplicatum anathematis fulmen, in tribus primarijs regni locis mox ab illo fulmine effulminandum, quo exitio deuouendi essent quicunque se placitis vestris non protinus accommodarent. Nempe gens estis Pœno-Scythica, perfidiosa, proditoria, crudelis, quorum consilijs nulla limitem figunt legum repagula, nulla fides impedimento est; quibus in rem vestram nihil non probatur flagitiosum & immane, modò perpetratum actu sit. Apagesis homo nequissime, quid de Ecclesia vestra nobis obgannis, quæ nonnisi cloaca proditionum & sceleratorum consiliorum, prout vsui vobis videbitur, sentina est?

h *Cypr. de habit. virgin.*

In altero articulo haud minùs impudentèr Garneti Catesbeio datam responsionem probas, homo ad impias defensiones dura fronte comparatus. Garnetus scilicet interrogatus, vt ante dictum est, an ad causam Catholicam promouendam, re ita exigente, liceret innocentes quosdam simul cum nocentibus è medio tollere, respondet confidenter, *modò maiori Catholicorum lucro esset illa quorundam innocentum cum multis nocentibus confusio, extra controuersiam licitum fore paritèr omnes & promiscuè trucidare;* *quemadmodum,* inquit, *in recuperanda ab hostibus ciuitate, in qua nonnulli forsitan amici sunt, vna omnibus belli alea subeunda est.* Videlicet [i] Herodianæ crudelitatis oraculum, qui vt vnum Christum regno suo vt putat infestum tollat, pueros omnes *à bimatu & infrà* totius gentis occidit: & cum Manichæorum disciplina consentiens [k] *furiosa sententia; Pereant amici, dum inimici vnà intercidant.* Hoc responsum tam atrox, tam inhumanum Comes illustrissimus Northamptonius, prout par erat grauissimè perstrinxit, & negat se ea de re sine horrore aliquo cogitare posse. Rhetorculus verò Iesuita pro sua petulantia satis lepidè reponit, *Eum illi scrupulum eximam, si prius rem ipsam, ita vt gesta est amicorum literis ad nos perlatam breuitèr exposuero.* At quos tu tandem amicos narras quorum literis ad vos res perferatur ita vt gesta est?

i *Mat. 2. 16.*

k *August. cont. Faust. Manicha. l. 21. c. 16.*

An vlli vestro res meliùs intellecta quàm Comiti? Cur ab illo rem non accipiendam putas ita vt gesta est? Expedi verò nobis quid hoc arcani est, quòd tenebrionum vestrorum susurris & rumusculis plùs fidendum velitis quàm honoratissimorum virorum testimonijs, qui auribus, qui oculis hauserunt omnia? plùs quàm Actis publicis? plùs quàm reorum & quidem Garneti ipsius indicijs, voce, manu firmatis? Quis credat ad amiculos illos tuos lucifugas rerum notitiam certiori fide peruenire potuisse? Verùm in hoc apparet qui homines sitis, quibus ita certum est meris figmentis eludere veritatem & impudentissimè contra clarissimam rerum lucem mentiri omnia. Atqui quid id est quod ad te perferunt amici tui? Scilicet hùc summa redit, *Catesbeium tantùm de bello quæstionem mouisse, fasnè sit, bello alioqui iusto, quòd hostes alia ratione cadi ac victoria obtineri non possit, cum multis in quos iure belli sæuire liceat, nonnullos etiam insontes occidere; Garnetum verò quòd Catesbeium rei militaris studiosum non ignoraret, nihil fraudis suspicatum apertè ac simpliciter respondisse; Catesbeium qui eo consilio venerat vt quicquid Garnetus de re, vt sibi videbatur omninò simili statuisset id ad rem suam accommodaret, satis tutum se in conscientia ratum, socios etiam in sententia confirmasse.* At ô te dignum qui inter nebulones & perditos regnum & palmam habeas. Garnetus ipse confitetur & confessionem scriptam manu

l Act. pag. 120. subsignat, [l] *sibi ab illa quæstione tam expedita de nocentibus & innocentibus subijsse animo suspicionem & metum magni alicuius mali à popularibus suis designandi.* Quin & pro tribunali vbi minuendi odij causa de scelere suo tenuiùs & parciùs dicit, omniaq; quantum potest emollit & mitigat, tamen non dissimulat, [m] *etsi quæstionem illam primò putaret otiosam, postea tamen malum aliquod ab illa suspectum habuisse.* Qua tu ergò fronte, qua fide nihil illum inde mali suspicantem facis? Et quidem ab illa quam tu ponis interrogatione causa suspitionis quæ fuit, esse multa potuit; quo manifestum est deprauatè à te & præter Garneti mentem omnia referri. Et quidem Catesbeio meliùs rescita Garneti responsio quàm amicis tuis, quam ille de re ipsa ad suos refert, vt ante vidimus, vir [n] *tam egregijs* per te *animi & ingenij dotibus, tam incredibili morum suauitate, tanto in religionem studio,* vt ei mendacij, spero, dicam impingere haud velis. Illud verò miror ni te confodiat, quòd [o] Catesbeio post acceptam Garneti responsionem

m Act. pag. 110.

n pag. 4.

o Act. pag. 110.

edicere

edicere ei volente quid illud esset facinoris, quod animo meditatus esset, renuisse credi voluit Garnetus & audire noluisse, porrò etiam monuisse ne absque Papæ conscientia & voluntate procederet. Edicito quæso nobis; quem audis ista confitentem, nihil tu illum suspicatum dicis? dic cur [p] literas Pontificias mox ab illo tempore acceptas, quibus Romano-Catholicis interdicta seditio est omnis, Catesbeio se communicasse prætendit quò illum ab incœpto reprimeret, si illum tantummodò de bellica occasione percunctantem cogitasset? Imminuit ille omnia & quoad potest nonnisi leniter tangit vlcus suum, sed tamen quod dicit, contra te dicit & mendacium tuum apertè conuincit. Accedit quoque quòd post detectum ei pleniùs & certiùs totum proditionis consilium, & [q] habitum ea de re colloquium cum Catesbeio, Batesius & Rookwodus & Keyus eadē Garneti authoritate & sententia, nunquam illo detrectante responsionem suam, eamque Greenewello suo suffragio comprobante, ad coniuratorum societatem adscripti sunt. Denique iam antè [r] Garneto mentem suam proditoriam aperuerat Catesbeius, vnde de fine interrogationis illius probè ei coniectum, immò certissimè persuasum esse poterat, vbi conquestus est fidem Romano-Catholico datam (cuius illi prætextum perfidè in Regem mentiri sunt) præter spem eorum violatam esse, ac proinde futurum breui vt turbæ in Anglia haud leues expectandæ sint. Certè quoquò te vertas, Andrea, nunquam effeceris vt Garneto tuo Catesbeij mens non optimè perspecta sit. Iam verò postquam ad confictam à te quæstionem Garneti responsionem accommodatam ponis, vt eam defendas mirum est quàm tu ingeniolum illud tuum in casibus ostentes; quanto cum despectu stultitiæ tuæ vmbras & auras verberando labores. Ecquid ad nos quòd improbatam à nobis vno modo sententiam, tu altero defendis? Quanquam ad defensionem istam operæpretium est, videre sub nomine *nobilissimorum scriptorum* quàm ridiculam authorum vestrorum turbam adducas, *Syluestrum*, *Franciscum de Victoria*, *Bannes*, *Petrum de Aragon*, *Michaelem Salon*, *Nauarrum*, *Cordubam*, *Dominicum à Soto*, *Gregorium de Valentia*, *Satyrum*, *Molinam*, & *Couarruuiam*. Quidnì addas etiam *epistolas obscurorum virorum*, & Burgundum de Vindemijs, & Ioannem de Rupe scissâ, & reliqua illa scholæ vestræ lumina, quorum tantus ad latrinas vsus est? Et quid tandem illi

[p] Act. ibid.

[q] Act. pag. 80.

[r] Act. pag. 77.

illi tui *nobilissimi scriptores?* *Si ius tuum*, inquis, *sine cuiusquam iniuria persequare, per accidens ac præter intentionem fas esse aiunt aliquando innocentem etiam tollere.* Aliquando, inquis, sed quando? Nempe hoc tibi suspensum hæret in nubibus, & vt sepia se atramento suo, ita tenebris generalitatum abscondis te ne tua tibi sententia damno sit. Nulla hic distinctio priuatarum rerum & publicarum; voluntarij & necessarij, communis & indiuisa ratio est. Atqui in iure publico fas est quod nefas est in priuato, & plerunque licet in necessarijs quod in voluntarijs non licet. Certè casus tui omnes necessitate definiuntur, & vel patriæ salus agitur pro qua nemini vita sua non libentissimè profundenda est, vel ita in priuato res habet vt ex duobus vel alteri vel vtriq; pereundum sit. Esto vt mulier prægnans vbi de vita periclitatur, vt sibi consulat vel fugæ celeritate vel sanguinis missione, abortum infantuli sui citra noxam faciat, quippe quem alioqui cum matre simul perire necesse sit. Esto vt in discrimine reip. hostium nauibus propter captiuos nostros parcendum non sit, quibus in illorum potestate positis nihil alioqui aliud quàm mors certissima expectanda est. Garneto tuo causa agitur longè alia, vbi in arbitrio & potestate sunt omnia, nemini vt necessariò pereundum aut periclitandum sit. Hoc ergò doce, si illum tueri velis, licere extra casum periculi sui vbi in optione est & arbitrio ne quisquam pereat, pro religione promouenda nocentes hostes & innocentes suos paritèr exitio dare. Ni hoc agas, cadit tota defensio tua & manifestum facis quàm execrabili sacrilegio de carnifice scelerato diuũ Martyrem effingas, & impium latronem orbi Christiano sacra memoria colendum obtrudas. Hoc illud est barbarum & immane placitum quod meritò Comes abhorret, quod appositissimis argumentis eruditè oppugnat; quibus quòd imparem te vides, malitiosè causam peruertis ne cerni possit quàm accommodata sint. Et tamen qui sententiam illam ita truculentam defendere non audes, ne Martyrem tuum prorsus destituere videare, pro singulari prudentia tua respondes argumentis quibus à Comite destructa est. Affert ille primo loco exemplum ipsius Dei qui [f] Sodomæ propter decem iustos sibi parcendum censuit, siquidem tot in illa ciuitate reperti essent. Tu reponis *combustos ibi multos pueros & infantes, insontes eorum scelerum pro quibus Sodoma conflagrauit.* Itanè verò vt tu *insontes* dicas, quos

f Gen. 18. 32.

Deus

Deus non dixit? quos paternorum scelerum reatus ad supplicium inuoluit, quòd matura iam iniquitate & corruptis ad venenum vsque seminibus haud melior fruges expectanda sit? Vide ne *insontes* putes quos tam horribilis vindicta complexa est, quam non infligit insontibus ille qui ipsa originali impuritate qua scelerum omnium stigmata in ipsa natura ingenerata & inusta sunt, potestatem habet vltionis in omnem carnem; quam parentum lacessitus iniquitate, nonnunquam per iustitiæ seueritatem in filios eorum, lactentes etiam adhuc & infantulos, exercet. Atqui nihil hoc tibi ad exemplum est, quod iudiciorum diuinorum adytis reclusum absque periculo temerariæ in Deum præsumptionis tentari non potest. Misericordiæ tibi diuinæ peruia ratio; non occulta consilij recessio petenda est, qui cùm propter iustos decem Lothos tanto Sodomitarum populo condonatum esse voluisset, ne vnum quidem Lothum cum illa impiorum multitudine perire permisit. Quin attende vocem Angeli; [t] *Non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc.* Angelus impios perdere non potest nisi vt vel vnus ille iustus in saluo sit. Garnetus contrà plures pios suos absque scrupulo perdendos decernit, modò vt perdantur quos impios putat. Et tu tamen *spectandum esse* ais, *non quid fecerit Deus, sed quid iustè facere posset*, oblitus scilicet illud Abrahami, quo Dei manus quasi compeditas tenet; [u] *Absit à te vt hoc facias & perdas iustum cum impio; fiatq́; iustus sicut impius: non est hoc tuum qui iudicas omnem terram; nequaquam facies iudicium hoc.* Quanquam falsum est quod ais, *spectandum non esse quid Deus fecerit*; immò propter imitationem nostram spectandum est maximè quid in misericordia fecerit Deus, non quid iustè posset facere, quia poterit iustè omnes perdere, & [x] *misericordia eius est quòd non omnes consumpti sumus.* Iam ergò impiè Garnetus tuus ab exemplo Dei recessit, homo hominibus non Deus sed lupus, qui ne Romano-Catholicis vestris, ne nostris, quos habetis æquiores, teipso teste, insontibus pepercit, sed omnes eodem exitio plectendos decreuit. Vrget porrò Comes [y] *patremfamilias* apud Mathæum *zizanijs eradicandis siue euellendis abstineri à famulis suis voluisse ne simul triticum eradicarent.* Tu contra, *quid si triticum ipsum perire necesse sit nisi eradicentur zizania? etiam ne vna aut altera tritici planta fortè eradicetur zizanijs parcendum erit?* Et quid si cœlum ruat? annon Pontificio diade-

t Gen. 18.22.

u Gen. 18.25.

x Lamen. 3.22

y Mat. 13.27. 28.

mati metuendum putas? Itanè verò, miser; an eò iam venisti vt ex *quid si* responsio tibi fabricanda sit? Nempe ne tritico Romano pereundum sit, sufflanda puluere tormentario regni Comitia; Rex & proles regia, Proceres, Episcopi, Iudices cum ingenti populo tanquam vna ceruice succidendi; resp. dulcissima, ipsa patria, cuius vel vnica aura indignus est qui eam vita sua chariorem non habet, in æternas calamitates præcipitanda est. At vt perierit vestrum illud, vobis triticum, verè lolium & zizanium, eò ager Domini feracior tritici sui, eò area, eò frumenti massa purior & fœlicior futura est. Cæterùm verò tu perperàm facis qui domino tuo consultior & cautior videri vis, & vacat, si Chrysostomo credimus, tuum illud *quid si*, quandoquidem [z] *zizania frumentis nocere non poterunt*, nec cadit vnquam vt *bonum semen*, hoc est, [a] *filij regni* perire possint, quos certum est ad salutem Deo custode seruari, [b] *qui nec quæ illuminauit obcæcat, nec quæ ædificauit destruit, nec quæ plantauit euellit, quia sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio, id est,* [c] *sine mutatione stabilitèr fixa sunt*. Esto vt palea triticum vincat; vt per zizania vix bono semini locus relictus sit; vt pij impiorum multitudine ambiantur, immò etiam obruantur quodammodo & opprimantur, non desinit tamen Deus in medijs apostatarum furoribus prospicere frumento suo cuius vnumquodque granulum in horreo suo reconditurus est. Quod enim ad illos attinet qui in zizania degenerant, stat in illos Gregorij sententia; [d] *Aurum quod prauis diaboli persuasionibus quasi lutum sterni potuerit, aurum ante oculos Dei nunquam fuit; qui enim seduci quandoque non reuersuri possunt, quasi habitam sanctitatem ante oculos Dei videntur amittere, sed eam ante oculos Dei nunquam habuerunt*. Atqui iam contrà fit vt illa tua eradicatione zizaniorũ triticũ multò magis periclitetur, nõ quod est sed quod futurum sit, quia in zizanio præoccupatur, [e] *quia ab ipsis zizanijs multa commutata*, inquit Chrysostomus, *in frumenti conditionem seipsa conuerterent: si ergò præuenientes euelletis, ea frumenta deperibunt quæ à commutatis zizanijs prouenirent*. Qua de re monet Augustinus, [f] *Non ita hominem constitutum esse in hac vita vt certus esse possit qualis quisque futurus sit postea, cuius in præsentia cernit errorem; proinde non esse tales auferendos de hac vita, ne cum malos conatur interficere, bonos interficiat quod fortè futuri sunt*. Quod prospicere Garnetus tuus animo debuisset, siquidem rectus stetisset

z Chrysost. in Math. hom. 47.
a Mat. 13. 38.
b August. ad artic. sibi falsò impositos, art. 12.
c Idem de prædest. sanct. cap. 16.
d Greg. Moral. l. 34. c. 13.
e Chrysost. vt supra.
f August. quæst. in Math. 12.

tisset in causa, eoque probatur exuisse pietatem omnem, quòd non prospexerit, multos eorum quos in libro suo pyriopuluereo ad necem conscriptos habuit, ad fidem, puta rectam, conuertendos sperari potuisse; non aliud ergò se quàm præueniendo triticum excludere, conuersionem & gratiam anticipare, & animarum salutem, quantum quidem in ipso esset, impedire. Denique ne multa dicam quæ hìc opportunè dici possent, meminisse illum oportuisset quod Augustinus in hac causa monet; [g] *Cũ idẽ morbus*, inquit, *plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat quàm dolor & gemitus, vt per illud signũ quod Ezechieli sancto reuelatur, illæsi euadere ab illorũ vastatione mereantur. Ad eum enim qui errare non potest clamant, Ne perdas cum impijs Deus animã meã, cũ viris sanguinũ vitã meã; ne cum colligere voluerint Zizania eradicẽt simul & triticũ, nec per diligentiam segetem Dominicam purgent, sed per temeritatem potiùs inter purgamenta numerentur.* Quantò ille seciùs animatus, & porrò quàm non bonus qui in communi gentis suæ morbo (sic enim illi visum est) de gemitu & dolore nihil solicitus, vindices flammas & seditiones, & parricidia & bella ciuilia sibi ad remedium restare voluit, quibus promiscuè frumenta cum zizanijs perdenda essent? Non occurrerat illi scilicet quod discipulis animo ad vindictam prurientibus, & ignes de coelo in Samaritanos petentibus, per increpationem respondit Seruator Christus, [h] *Nescitis cuius spiritus estis; filius enim hominis non venit animas hominum perdere sed saluare.* Sequitur de Priscillianistis, *in quos decretam sententiam*, vt refert Comes honoratissimus, *pij Episcopi suspendendam curarunt*, [i] *ne Catholici vnà cum illis perirent.* Ibi tu, *Nonnè posteà*, inquis, *passi sunt lege in Priscillianistas agi?* Certè quidem lege in illos actum est ad capitale vsque supplicium, sed quanta cum inuidia sint habiti, quorum opera effectum est vt ageretur, ex eo manifestum est, quòd [k] *Ithacius & Vrsacius Episcopi*, teste Prospero, *ob necem Priscilliani cuius accusatores* ad Maximum tyrannum *fuerant, Ecclesiæ communione priuati sunt*, & illud [l] *pessimo exemplo* factum ex Martini Turonensis, & aliorum Episcoporum sententia Sulpicius refert, ita vt reliqua tua fabula prorsus inanis sit. Postremò introducitur Theodosius ab Ecclesia Mediolanensi reprehensus & sacris interdictus [m] *quòd ira præceps in Thessalonicenses propter cædem ab illis seditiosè factam, exercitum illis immitteret, qui promiscuè illos sontes*

g *August. cont. ep. Parmen. l. 3. c. 2.*

h *Luc. 9. 55.*

i *Leodiens. ad Paschal. 2. epist apud Bochell. lib. 5. tit. 5. cap. 6. ex Concil. tom. 2.*

k *Prosp. in append. Chronic. Hieronym.*

l *Sulpit. Seueri hist. lib. 2.*

m *Sozom. hist. l. 5. c. 16. 17.*

tes pariter, atque insontes certo numero trucidaret. Tu hoc in illum iure statutum narras; *Quid enim coegit Theodosium,* inquis *exercitum in vrbem immittere, qui sine discrimine bonos malosvè trucidaret, cum facilè posset quæstionem per Iudices in authores sceleris exercere?* Atqui annon in vos pari iure statutum est? ecquid coegit vos inaudita illa immanitate in homines siue sontes siue insontes insanire? An actum de animabus vestris est, nisi per vos animæ periclitentur alienæ? An vlla Garneto, vlla popularibus illius necessitas incubuit, vt nisi pereunte Rege, pereunte tanto omnium Ordinum consentu, pereunte in æternum patria necessariò sibi pereundum putarent? Tu necessitatem à Catesbeio memoratam refers; at dic quam vel fingas necessitatem hominibus quibus tanta rerum suarum potestas, quibus tam libera vsura vitæ suæ, tanta in ipsa luce otij & colloquij, tanta commeandi & remeandi tantique facinoris adornandi facultas fuit? Enimuerò læsit pietatem grauissimè Theodosius, qui cædem insontium inconsultus per iram mandauit; at Garnetus tuus planè impius qui deliberatus per sententiam consuluit. Quem vtut tu sceleratus sceleratum excuses, nec suspicatum dicas quid animo Catesbeius agitaret, tamen ipse [n] se agnoscit *plus fecisse quàm excusare possit,* & ab interrogatione Catesbeij [o] subortam sibi grandis alicuius mali suspicionem apertè fatetur, prout ante ostensum est. Quanquam detur si voles, quòd initio mentem Catesbeij non intellexerit, cur illum postquam intellexit ab incœpto non deterruit? Qui Catesbeio vertit crimini quòd [p] *ex verbis ipsius prauum sensum elicuit,* dum tanto post tempore tam frequenter agitant inter se consilia, cur illum sibi tam amicum, tam intimum non affatur & monet, Intelligo iam, Catesbeie, quid quæstione illa tua volueris? Atqui absit nefas; absit à pectore Christiano tanta luporum feritas, tam immanis dæmonum sæuitia, tanta blasphemandæ religionis occasio. Immò cur prodigiosi consilij successum orat? cur euentum illi certissimum ominatur? cur ex quo primùm intellexit nusquam vnquam dicto vel facto, quod quidem reorum quisquam rescisse compertus sit, rem sibi displicere testatus est? Frustra sudas, Andrea, & nonnisi Æthiopem lauas; quia illa Garneto tuo macula sic impressa atque inusta est, vt in æternum nomen eius infame futurum sit. Pro fine capitis huius, quo scilicet *diluitur calumnia de Regibus deponendis,* Comitem

n *Act. pag.* 127.
o *Act. pag.* 100. 120.
p *Act. pag.* 106.

mitem affaris; *fidem hoc loco tuam prudentiamq́, conuenio vir clarißime.* Benè verò quòd Orator tibi tandem in *virum clarißimum* exijt; interim tu immodestus & petulans cui de *viro clarißimo* non aliud quàm Oratoris nomen occurrit. At quid id est de quo clarissimi viri fidem prudentiamque conuentam cupis? Nempe *quam tandem istam*, inquis, *rempublicam habetis?* Vin' scire, mi homo? Nempe remp. habemus per Dei benignitatem ita legibus & disciplina constitutam & munitam, ita ordinum omnium inter se & cum Regia maiestate coniunctione gratissima confirmatam, ita consilij prudentia & circumspectione administratam, ita ad cultum religionis & Principum obsequia, & omnia humanitatis ac vitæ ciuilis officia confirmatam, ita iudiciorum & iurisdictionum diligentia & integritate compactam, vt quòd nullus ad illam vobis aditus, nulla in illam consilia vestra, nullæ vires, insidiæ nullæ quicquam valeant, per inuidiam atque iram rodantur propè vobis linguę & ilia rumpantur. Vin' scire qualem remp. habeamus? sciscitare à vestris illis qui huc ad nos siue negotiandi siue animi & otiandi causa commeant, qui plerunque declamitant in perfidiam vestram qua priùs adducti sunt vt perperam de rep. nostra statuerint, quam ex orbe propè Christiano genere omni laudis florentissimam ipsis oculis persentiunt. Immò tu te interroga qui, conscientia tua teste, tantùm ex composito fabulas fingis, & reip. nostræ nonnisi risu Sardonio calumnias struis. *At illam*, inquis, *vestrorum ciuium optimi ac religiosissimi perditam cupiunt.* O te verò orbis terræ monstrum informe; dic ex omni hominum memoria, vbi bonos, vbi religiosos, legeris, audieris, qui remp. qui patriam suam, qualemcunque illam dixeris, perditam velint. Moses pro suis, gente pessima, [q] *deleri de libro vitæ*, Paulus, [r] *à Christo anathema* esse precatur, tantùm vt illis indultum sit; tu bonos, tu religiosos dicis qui perditos cupiunt? Nempe ista bonitas vestra; Iesuitica religio, qui per antiphrasin à Iesu Iesuitæ, quòd discipuli [s] Ἀπολλύοντος, & verè destructores istis. Eo fit vt nemo remp. nostram perditam velit, præterquam qui à vobis sunt, homines reprobi, immorigeri, factiosi, ambitiosi, sacrilegi, plerunque etiam expeculiati & desperati, quos per speciem religionis ad scelerum indolentiam effascinauit perfidia vestra. *Horrorem*, inquis, *tanti facinoris vna denunciatio excussit, quod per diuinas leges liceret.* At quis denunciauit nisi Martyr videlicet

[q] Exod. 32. 32.
[r] Rom. 9. 3.
[s] Apoc. 9. 11.

delicet tuus, homo eo nomine perpetuis diris & execratione deuouendus? Et quid ille tandem ex diuina lege proposuit, quibus præceptis, quibus exemplis ad persuadendum vsus est, vt dicas *dolorem quem non vxorum & liberûm orbitas, non imminentis periculi magnitudo, non patria charitas mitigare potuit*, à proditoribus illis *diuinæ legi condonatum*? Immo tu nequam homo es qui diuinam legem tam audactèr ementiris. Nihil illi dederunt diuinæ legi; dederunt furori suo, dederunt ambitioni atque malitiæ, dederunt insanæ temulenti hominis sententiæ, immò dæmonum consilijs & seductionibus dederunt omnia. Atqui ne tu dubites quin Anglia quamplurimos, etiam innumerabiles alat (cuius rei Mariana tibi tempora nostris non conferenda fidem faciant) qui vxorum & liberorum, qui vitæ, qui patriæ charitati diuinam legem anteponant, quorum nemo tamen vllo prætextu Cethegus aut Catilina est vt patriam suam extinctam velit. *Malè tuta est*, inquis, *Resp. quæ adeò ciuibus suis odiosa est; salus publica charitate ciuium magis quàm exercitibus continetur, &c.* Verùm apage te otiosum declamatorem; abi ad coruos quò dignus es; mitte nobis remp. nostram, & noli amplius mentitis vocibus viscera tua torquere; remp. inquam, nostram, quam boni omnes diligunt, admirantur sapientes, formidant hostes, stultis tantùm & improbis exosam, eoque inuisam vobis quòd Antichristi vestri rationibus obstet, & ignes, spero, aliquando Lateranensi palatio subiectura sit.

CAP. V.

Recusantibus causam nullam fuisse vel esse refugiendi Ecclesias nostras. Contra obiectionem hæresis doctrina Ecclesiæ Anglicanæ ex veterũ monumentis breuissima complexione describitur. Sententia Gregorij de Capite fidei excutitur. Blasphemia Pontificis expenditur in assumenda sibi diuinitate.



RECUSANTES vocamus in Anglia quos Antichristi calix sic inebriauit & excerebratos fecit, vt sacris nostris, precibus, concionibus, sacramentis, quanquam simpliciter & apertè ad diuinarum Scripturarum normam conformatis, tantum vt Romano Pontifici placitisque illius obsequentes sint, interesse recusant. Hoc ab Attornato Regio in iudicio Garneti plenius animaduersum

sum est, vbi narrat [a] Papistas ad annum circiter vndecimum Reginæ Elizabethæ ad Ecclesias precesque nostras propè omnes absque scrupulo conuenisse; quo verò tempore Bulla Pij quinti excommunicatoria in Reginam publicata est, mox refugisse omnes & communionem nostram abhorruisse, vt non tam conscientia pietatis quàm seditiosa cum Pontifice confœderatione factum constare possit. Hic verò Cretensis noster Andreas, vt mendacij Cokum arguat, longam sibi operam frustra fecessit, & pluribus agit ne propter bullam illam excommunicationis Papistæ videantur Ecclesias nostras adire recusasse, quòd iam nunc quoque communionem nostram auersentur, cùm tamen Iacobus Rex nondum illo fulmine tactus sit. At vno verbo, nugator, intellige, Bulla illa non tantùm excommunicationem Reginæ, sed interdictum quoque subditis contineri, [b] *ne illi eiusque monitis, mandatis & legibus audeant obedire.* Quando ergò easdem leges Rex Iacobus ratas & sacras esse iubet, eadem se bulla teneri sentiunt ne illis obedientiam præstent, quantumuis ille anathematis adhuc sententia liber sit. Neque verò ad rem est quod à Coko dictum ais, [c] *indultum esse à Pontifice vt ad redimendam vexationem rebus sic stantibus & donec publica bullæ executio fieri posset Reginæ obsequerentur*, vt inde concludas *eos nisi alia religione impedirentur, Elizabethæ in sacris nostris adeundis morem gerere voluisse*, quia indulgentia illa non in causa religionis sed tantùm in negotijs politicis intellecta est, teste ipso Parsonio facultatis illius internuncio, [d] qui illa indulgentia non obstante communicationē sacrorum nostrorum haud minus quàm peccatum in Spiritum sanctum interpretatus est. Porrò falsum est quod ais, *magno cum fortunarum ac vitæ periculo præcepta Ecclesiæ non tenere*, quia si non tenuerit præceptum illud, quorsum rogata indulgentia ne teneret, *ne obligaret?* immò quia periculi causa facultas impetrata est ne teneret, tenuisse antè, non obstante periculo, necessariò censenda est. Eo fit vt rectè Cokus, vtcunque te inuito, dixerit, [e] *miserrimam fuisse sub illo tempore Recusantium conditionem* quibus vtrinque laqueus paratus est, *vt aut læsæ Maiestatis ferenda pœna esset si Principi detrectarent obsequium, aut Pontificiū anathema subeundum si præstarent.* Et per Pontificem quidem hoc, qui eò se suis carnificem prębuit, quòd placito suo tantam illis calamitatem importare non dubitaret. *At*, inquis, *non illi magis miseri quàm olim*

[a] Act. pag. 30. 67.

[b] Bulla Pij 5. apud Sander. de schism. Anglic. pag. 184.

[c] Act. pag. 68.

[d] Parson. Howlet.

[e] Act. pag. 67.

olim Nerone aut Domitiano Principibus Christiani, quibus aut à religione Christiana recedendum, aut moriendum esset. Immò [f] *beati illi quòd persecutionem paterentur propter iustitiam*, pro Christi præcepto & nomine; isti verò planè miserrimi qui Antichristo per conscientiam mancipati, præcepto illius contra Christi præceptũ obligati sunt, quibus non pro Christi fide sed pro insani hominis temeritate atque insolentia moriendum fuit. O nos beatos quibus ab illo animarum tyranno & tortore libertas est. Interim animaduerto blasphemiam qua tu reprobum animal, Elizabethæ Magnæ contumeliam facis, quam excogitauit Sanderus vester, infamis ille mendaciorum architectus & gentis suæ propudium, quam luit ille iam sepultus merito suo in inferno, quam tibi quoque rependet Deus, homini omnium impudentissimo, quem non piget fabulam tam inuisam & explosam noua scena donare; qui præcipitato malitiæ furore percitus, colligis vndiquaque tuorũ stercora, & arripis ad bacchandum & maledicendum omnia, etiam quæ tibijpsi (mentem ipsam tuam appello) suspecta sunt.

f Mat. 5. 10.

Iam etsi veram causam attigimus qua Papistæ nostrates ad *recusationem* Ecclesiarum nostrarum adducti sunt, tu tamen vt aliam causam fingas, rem agis totis vndecim paginis otiosam & vanam, vt doceas quod haud opus sit, Orthodoxos cum hæreticis & idololatris in sacrorum & rituum communicatione ne specie quidem consociari oportere. Nihil hìc impedimus; habe tibi quod cupis, quia ludere operam non placet; atqui manet adhuc in lite, definitio ista quos feriat, & quorum, nostramnè an vestram magis communionem interdicat. Tu stolidè rem petis quę pendet adhud in foro, in qua interim propè iam totus in te orbis Christianus sententiam dicit. Hæreticos nos accusas, benè quòd non idololatras, quales vos esse [g] Valentianus vester, scito distinctionis ludibrio, non inuitus fatetur. At quo arbitio hæreticos? Teipso scilicet atque Pontifice tuo. Apagete verò, insani homines: quid ad rem quòd vobis hominum omnium hæreticissimis hæretici sumus? Atqui & nobis vos hæretici; nobis inquam quibus haud impar ius Ecclesiæ, Episcoporum prout [h] Cyprianus de Africa sua sensit, haud minor authoritas; quibus par gratiæ diuinæ, par donorum & doctrinarum omnium facultas & vsus est. Immò, inquis, *vos nouam vobis religionem arbitratu*

g Gregor. de Valent. de idololat. l. 2. c. 7.

h Cyprian. lib. 1. epist. 3.

vestro architectati veteres omnes ritus ac ceremonias eo consilio abiecistis, vt quàm longissimè fieri posset ab Ecclesia Catholica ac maiorum institutis recederetis; quare nisi qui deserta Catholica religionis sacrilegio obstringi velit, vestra sacra ac ceremonias obire non potest. Immò tu in eo improbè Cretizas, quia nulla nobis noua religio, non ritus, non ceremonia, non altera Liturgia quàm quæ ante centum annos in vsu fuit; tantùm Anglicè redditam habemus, & corruptelis multis, quibus contaminauerat illam superstitio vestra, repurgatam. Prouoco te, Andrea; cedò in sacris nostris, cedò in Liturgia quid nouum sit? Iterum te prouoco; cedò, quid id est quod nouum dicis? Immo dic in fidei doctrina, quid Ecclesia nostra nouum habeat? Rectè quidem Cokus, scientia rerum diuinarum, vtut tu reclamites, cum vestris plerisque Tridentinis Episcopis meritò conferendus, immò iniuriam homini facio qui illum cum tam indocto (de omnibus non dico) porcorum grege comparo; rectè inquam ille, *Catholicorum cum Arianis in ijsdem vtrinque sacris communicationem nullam esse potuisse, quòd horribilis blasphemiæ dogmate Christum impiè lacerarent & prescinderent; Romano-Catholicis vestris eiusmodi causam non esse, qui blasphemiam nullam, nullam idololatriam in Ecclesia nostra vel comminisci possunt.* Tu reponis, *veterem Ecclesiam nullam vnquam hæreticorum sectam vel leui argumento à iudicio Catholicæ religionis dissidentem ad communionem admisisse.* Atqui regerere tibi poterimus Christum & Apostolos & reliquos pios qui [i] *expectabant redemptionem & consolationem Israelis*, haud eo animo fuisse qui publicam Ecclesiæ communionem propter Pharisæorum hæreses & traditiones in illo populo inoletas & pertinaciùs inhærentes minimè tamen desertendam censuerunt, nostro id quidem exemplo, ne propter stipulas quaslibet & quisquilias & fermenta, siue rituum siue dogmatum, à quibus absit impietas & idololatria, ab illius in qua viuimus Ecclesiæ societate discedendum putemus. Cæterùm vt condonemus tibi temeritatem hanc quæ propria schismatis & lædendæ in Ecclesia charitatis radix & origo est, dic tu tandem quas illas hæreses nostras animaduertas, propter quas Ecclesiæ nostræ communicatio & vsura refugienda sit? Gratificabor tibi hîc, Andrea; referam tibi breuiter vt quærendi labore supersedeas, referam per te orbi Christiano, quæ fides, quæ doctrina

i Luc. 2. 25. 38.

ctrina nostra sit; tu illam ad normam exige, & dic quid in illa hæreticum, quid nouum, quid non ex antiqua pietate petitum sit.

k *Gregor. lib. 4 epist. 40.*
l *Idem Moral. l. 16. cap. 16.*
m *Idem in Ezech. hom. 15.*
n *Idem in Cantic. cap. 5.*
o *August. de doct. Christ. l. 2. c. 9.*
p *Idem cont. lit. Petil. l. 3. c. 6.*

1 Scripturam sacram [k] *Epistolam quandam* esse dicimus *omnipotentis Dei ad creaturam suam*, [l] *per quam loquitur Deus omne quod vult*; qua [m] *cuncta quæ ædificant, omnia quæ erudiunt scripto* complexus est; [n] *sancti vt viri se consilijs Scripturæ ex toto addicant, vt videlicet nihil agant nisi quod ex responso Scripturarum audiant, quæ fluenta plenissima dicuntur, quia de quibuscunque scrupulis in Scripturis consilium quæritur, sine minoratione de omnibus ad plenum inuenitur,* [o] *inq; illis quæ apertè ibi posita sunt inueniuntur illa omnia quæ continent fidem moresq; viuendi*; vt nobis [p] *siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunque alia re quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, siquis, immo vel si Angelus de cælo nobis annunciauerit præterquàm quod in Scripturis legalibus & Euangelicis accepisse* docemur, *anathema sit.*

q *Ioseph. cont. Appion. lib. 1.*
r *Rom. 3. 2.*
s *August. cont. secundã Gaudent. epist. cap 23.*
t *Luc. 24. 41.*
u *August. de ciu. Dei, l. 17. c. 20.*
x *Hieronym. in prolog. galeato.*
y *Hieron. præfat. in lib. Baruch.*
z *Greg. Moral. l. 19. c. 13.*
a *Hieron. præfat. in lib. Salomon.*

2 *Scripturæ sacræ* vocabulo certos quosdam libros complectimur veteris videlicet & noui Testamenti, quos vulgò *Canonicos* dicimus, quòd fidei nobis & morum canonem & regulam figant. Ac de noui Testamenti libris controuersia omninò nulla est; veteris autem Testamenti libros Canonicos haud alios agnoscimus, quàm [q] Iudæorum vetus Ecclesia recepit, [r] *quibus tradita sunt eloquia Dei; legem nempe Mosis & Prophetas & Psalmos,* [s] *quibus testimonium perhibet Dominus tanquam* [t] *testibus suis.* Nam [u] *aduersus contradictores non tanta firmitate proferuntur quæ scripta non sunt in Canone Iudæorum.* Quare [x] *quicquid extra Hebræos libros est inter Apocrypha est ponendum*, ex quo *Sapientia quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Iesu filij Syrach liber, & Iudith, & Tobias, &* [y] *Baruch, &* [z] *Machabæorum libri, non sunt in Canone;* [a] *quos legit quidem Ecclesia ad ædificationem plebis, non ad authoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Quo eodem modo Canonem texuerunt [b] Laodiceni Concilij Patres, etiam [c] Origenes, & [d] Melito Sardicensis, & [e] Athanasius, & [f] Amphilochius, & [g] Epiphanius, & [h] Hilarius, & denique [i] Ruffinus *ex monumentis Patrum, & secundum maiorum traditionem.*

b *Concil. Laodic. cap. 59.* c *Euseb. hist. l. 6. c. 24.* d *Idem l. 4. c. 25.* e *Athanas. in Synopsi.* f *Amphiloch. in Iambis.* g *Epiphan. de mensur. & ponderib.* h *Hilar. prolog. in Psalm.* i *Ruffin. in exposit. Symb.*

3 Sacras

3 Sacras literas [k] *tam stylo quàm doctrina ad vulgarem captum attemperatas esse* docemus, [l] *non vt pauci sed vt omnes* (etsi non omnia) *intelligant,* [m] *idq; tantò magis quantò quis plus eis impendit operæ ac studij,* [n] *vt nemo inde haurire non possit quod sibi satis est, si modò ad hauriendum deuotè ac piè vt vera religio poscit accedat.* Quare hortamur [o] *omnes vt faciant quod scriptum est, scrutamini Scripturas,* eoque [p] *Biblia sibi comparent, continuos ac sedulos doctores;* [q] *quibus etiam in domibus suis exerceantur & meditentur in lege Domini die ac nocte;* quia vult Apostolus *verbum Christi etiam* [r] *Laicos non sufficienter sed abundantèr etiam habere debere,* [s] *vt ex vsu & frequenti lectione sanctarum Scripturarum sensus habeant exercitatos ad discretionem boni & mali.*

4 Symbola fidei probamus omnia quæ primitiuæ Ecclesiæ probata sunt, nominatim verò Apostolicum quod dicitur & Nicenum & Athanasianum; quin & Concilia quoque prima illa quatuor suspicimus & veneramur, quæ Gregorius tanquam [t] *quatuor Euangelia* propter defensam in illis Euangelij fidem complexus est.

5 Deum agnoscimus simplicitèr & infinitè sapientem & iustum & bonum, [u] *qui malitiam non fecit, & tamen cùm possit ab alijs inuentum prohibere, non prohibet, sed cum ipsis à quibus habetur, ad causas necessarias vtitur, & malorum mentes secundum propositum eorum prouidentiæ suæ iusta & ineffabili quadam ratione dispensat;* [x] *qui etsi fons non sit vnde turbulenti scelerum torrentes manant, est tamen mirabilis artifex, qui ad vsum suum torrentes illos per se fluentes contorquet, & mirabili potentia regit corda etiam impiorum, & impedit ne aliud perficiant, conentur, velint, cogitent quàm quod ipse permittit; malasq; eorum voluntates, ita mirabilitèr torquet, regit, ordinat, vt ex eis bonum eliciat, & faciat, vt etiam inuitæ ac nolentes sibi seruiant, & hoc ipso quod libentèr faciunt, iusto Dei iudicio grauissimè puniantur.* Ita fit vt si peccati vitium & malitiam spectemus, longè absit vt Deus siue author siue actor sit; sin ordinem & vsum, omnia ibi ad Dei non modò permissionem, sed voluntatem & potentiam referenda sint; quo nihil vnquam amplius Caluinus dixit.

6 Christum Dei Filium quo sensu [y] Valentinus Gentilis negauit, nos αὐτόθεον esse decernimus, vt essentiam qua Christus est Deus non aliunde, sed ex seipsa esse dicamus, quam ille tamen

k Origen cont. Cels. lib. 6.
l Hieronym in Psal. 86.
m Origen. cont Cels. lib. 7.
n August. de vtilit. credendi, cap. 6.
o Origen. in Esa. hom. 2.
p Chrysost. in Coloss. hom 9.
q Origen. in Leuit. hom 9.
r Hieron. in Coloss. cap. 3. & Chrysost. ibid. hom. 9.
s Ambros. in Heb. cap. 5.
t Gregor. l. 1. epist. 24. & lib. 2. indict. 11. ep. 11.
u Origen. in Num. hom. 14.
x Bellarm. de Amiss. grat. & statu peccati, lib. 2. cap. 16.
y Bellarm. de Christo, lib. 2. cap. 19.

 men

men habet communicatam à Patre, vt sit [z] *Deus de Deo, lumen de lumine,* [a] *quoad essentiam* (*absolutè* vt dicamus) *Deus absque principio, in persona autem Filij principium habens à Patre,* hac ratione nullo modo dicendus αὐτόθεος.

7 Christus Dei Filius, Deus & homo, [b] *ex vtroque Mediator est,* [c] *homo totus & Deus, verbum, anima, caro, vnus Christus.* Quare [d] *siquis Pontificem & Apostolum nostrum factum dicit, non ipsum quod ex Deo est, verbum & caro & homo nobis similis est factum, anathema sit.* [e] *Quomodo enim vnitum quis dicat ei qui ex semine Dauid est ipsum quod ex Deo est verbum, qui soli qui ex semine Dauid est Pontificatum attribuit?* Quippe *si vera est vnio, non duo vtique sed vnus & solus ex ambobus intelligitur Christus, & ipsi omnia tribuimus tanquam vni, vt* [f] *verbum Dei carne esse passum, carne crucifixum & mortem carne gustasse, primogenitum ex mortuis factum, quemadmodum vita est & viuificans sicut Deus, quisquis inficiatur anathema* nobis sit. Vbi [g] *si dixeris parùm & indignum esse Deo Verbo plorare, mortem timere, poculum deprecari, Pontificem esse, vtique & nos dixerimus quòd eminentiæ diuinæ naturæ ac gloriæ parua sunt hæc, sed in his contemplabimur paupertatem quam pro nobis sponte tulit: quando molesta videtur ignobilitas exinanitionis admirare magis dilectionem Filij erga nos, qui quod tu parùm esse dicis, hoc sponte fecit propter te.* Nec tamen propterea filius Ariano delirio minor aut inferior Patre, quia tantùm officij ratione humiliatio ista est, non naturæ; [h] *Subiectio verò pietatis, non est essentiæ diminutio, nec religionis officium degeneratio naturæ est.*

8 Credimus Christum Mediatorem quò redemptionem nobis perficeret, [i] *dedisse animam suam pro animis nostris, & carnem suam pro carnibus nostris.* [k] *Neque enim potuit aliud pro alio in redemptionem præstari, sed corpus pro corpore, anima pro anima, & integrum aliquid pro integro homine.* [l] *Ex quo perspicuum est, sicut corpus flagellatum & laceratum signa iniuriæ in vibicibus & liuore portabat, ita & animam verè doluisse pro nobis, ne ex parte veritas, ex parte mendacium credatur in Christo,* & [m] *vt mærorem animæ nostræ, suæ animæ mærore aboleret.* [n] *Totus* quippe *in illum terror descæuientis in nos tempestatis incubuit* & [o] *amaritudinem iræ ex præuaricatione legis obortam, quæ omnes detinebat, accipiens, in se sustinuit,* eoque ad Patrem

[z] Symbol. Nicen.
[a] Caluin opusc. explicat. perfid. Valent. Gentil. ex Actis & Institut. l. 1 cap. 13 cap. 25.
[b] Ambros in 1. Tim. cap. 2.
[c] August. orat. cont. Iudæos, Pagan. & Arian. cap. 8.
[d] Cyril. in Concil. Ephes. aduers. Nestor. anathem. 10
[e] Ibid. respons. ad Theodoret. pro anathē. 11.
[f] Ibid. anathē. 12.
[g] Ibid. respons. ad Theodoret. pro anathē. 11.
[h] Hilar. de Synod.
[i] Theodoret. dial. 3. ex Iren. adu. hær. lib. 5.
[k] Athanas. de incarnat. Christi.
[l] Hieron in Esai. 53 lib. 14
[m] Ambros. in Luc. cap. 22. lib. 10.
[n] Hilar in Psal 68.
[o] Athanas. de pass. & cruce Domini, & de interpret. Psal.

[p] clamat ex Psalmo; *Iram & procellam maxellationis furoris tui quis in gentibus effusurus eras, in me induxisti qui peccata eorum suscepi;* [q] *sicut aqua tangit intrantem ipsam circumquaque, ita punitiones tuæ tetigerunt me animâ & corpore.*

9 *Christi* animam à corpore solutam mox ad inferos penetrasse defendimus, non vt ibi passionem vllam obiret, non vt ibi triduum hæreret ([r] *quenquamnè enim tam impium credimus qui dicere audeat, quoniam anima Saluatoris triduo illo corporea mortis apud inferos custodiæ mancipetur?*) Sed vt inter vltimum illud humiliationis opprobrium, in ipso Satanæ regno victoriam & triumphos æternos inchoaret & ostentaret, mox ad Paradisum egressa vbi Latronis animam secum [s] *eodem ipso die* futuram promisit.

10 Ecclesia Catholica quæ [t] *Corpus Christi est, non est hæc aut illa, sed toto orbe diffusa, nec ea quæ nunc est in hominibus qui præsentem vitam agunt, sed ad eam pertinentibus etiam his qui fuerunt ante nos & his qui futuri sunt post nos vsque in finem seculi tota ex fidelibus constans;* [u] *iustis* scilicet *illis qui in occulto Iudæi sunt circumcisione cordis, in quibus est certus numerus sanctorum prædestinatus ante mundi constitutionem.* [x] *Sanctam quippe Ecclesiam Christus secundum præscientiæ suæ gratiam de in æternum permansuris sanctis constituxit,* [y] *cuius intra mensuras reprobi non sunt,* *quippe qui tantum* [z] *specietenus ad fidem regni ueniunt*, nec vnquam membra sunt corporis Christi, sed perinde vt [a] *in corpore humores mali, neque grana tritici* in area Dominica, sed tantum *paleæ* ventilabro tentationis & iudicij suo tempore separandæ.

11 Huic Ecclesiæ propria sunt dona internæ sanctificationis & gratiæ, quia [b] *non alios sed quos prædestinauit, ipsos & vocauit,* vocatione scilicet *secundum propositum; nec alios sed quos ita vocauit, ipsos & iustificauit, nec alios sed quos prædestinauit, vocauit, iustificauit, ipsos & glorificauit:* Nam [c] *reproborum neminem adducit ad pœnitentiam salubrem & spiritualem qua homo in Christo reconciliatur Deo, siue longiorem illis patientiam* (quàm electis) *siue haud imparem præbeat.* Quin & [*] *donum sp. sancti, donum charitatis, proprium est eorum tantum qui cum Christo regnabunt in æternum; fons est unde nemo communicat alienus, id est, ex ijs qui non sunt possessuri regnum Christi, ex omnibus malignis & gehennæ filijs etiamsi Christi baptismo baptizatis.* [d] Neque verò iustificat

p Hieron. in psal. 87.

q Lyra in eund. psal.

r August. cont. Felicium Arian. cap. 15.

s August. vt supra. Ambros. ser. 45. Hilar. de Trinit. l. 10.

t August. in psal. 56.

u Idem cont. Donatist. lib. 5. cap. 27.

x Gregor. in Cantic. cap. 3.

y Idem Moral. l. 28. c. 6.

z Ibid. l. 25. c. 8

a August. in Ioan. tract. 3.

b August. de prædest. sanct. cap. 17.

c Idem cont. Iulian. pelag. l. 5. cap. 3.

* Idẽ de vnit. ecclesiæ. cap. 19.

d Idem epist. 50.

Christus nisi corpus suum.[e] Non est autem *reuerà Christi corpus quod cum illo non erit in æternum.* Reprobi cum Christo non erunt in æternum; nec ergò Christi corpus neque iustificationis capaces sunt. Deniq;[f] *non omnium Deus, sed eorum quos præsciuit & prædestinauit delicta dimittit.*

12 Ecclesiam hanc, qua talis est, inuisibilem esse defendimus; [g] *hoc enim veraciter dicitur credi quod non potest videri, quod autem iam videri potest, credi non potest.* Quia ergò fidei res Ecclesia Catholica, certè oculorum obtutui non patet, vtpote [h] *cuius caput separatum est à visione,* pars corporis [i] *cum eo iam regnat in cœlis,* altera in nascituris nondum existit, tertia pars versatur quidem in terris, ita tamen vt oculis dijudicari non possit, quia [k] *regnum Dei intra nos est,* & [l] *id quod in Ecclesia dicitur intus & foris, in corde non in corpore cogitandum est;* [m] *solus* autem *Deus nouit cor omnium filiorum hominum,* ac proinde solus [n] *cognouit qui sunt eius.* Quanquam Ecclesiam alioqui visibilem non abnuimus, eamque, quòd in Catholica sit, toto orbe propagatam, [o] *inuocantem in omni loco nomen Domini nostri Iesu Christi,* & religionis exercendæ causa cætus vbique agitantem in nomine Christi. Quæ tamen [p] *temporales aliquando in suis frumentis patitur tempestates vt in quibusdam locis non cognoscantur, sed tamen illic latent,* & [q] *obscuratur aliquando & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores intendunt arcum vt sagittent in obscura luna rectos corde,* quo [r] *videtur* quidem *sicut luna deficere sed non deficit,* quia *obumbrari potest, deficere non potest,* ne Antichristi quidem tempore, quando [s] *non apparebit,* inquit Augustinus, *impijs sunt persecutoribus vltra modū sæuientibus,* & tamen habitura est præter [t] *firmissimos in quibus eminet,* nec dubitamus quin habuerit nō minus quam olim *quosdam suos* [u] *toto orbe latitantes.*

13 Pontificem Romanum ipsum illum magnum Antichristum esse decernimus; quem prouexit in magnitudinem suam [x] *abscessio Romani imperij in decem Reges diuisa quæ superducere* debuit *Antichristum,* [y] *Regem* scilicet *septimum eoq; vltimum qui teneret Romanum Imperium, tamen sine nomine Romani Imperatoris,* quod Pontifex fecit qui collapso Imperatore Rege sexto, septimus in [z] *regnum Latinum* siue Romanorum successit, imperij locum inuadens, [a] *ciuitatem septicollem, magnam illam quæ*

regnum

e Idem de doct. Christia. l. 3. c. 32.
f Idem cont. Aduersar. leg. & prophet. l. 2. c. 11.
g Gregor. Dialog. l. 4. cap. 4.
h August. in psal. 56.
i Gregor. in psal. pœnitent. 5.
k Luc. 17. 21.
l August. de bapt. cont. Donat. l. 5. 28.
m 1. Reg. 8. 39.
n 2. Tim. 2. 19.
o 1. Cor. 1. 2.
p August. de vnit. eccles. cap. 20.
q Idem. epist. 48.
r Ambros. Hexaemer. lib. 3. cap. 4.
s August. epist. 80.
t August. epist. 48.
u Ibid.
x Tertul. de Resurrect. carnis.
y Bellarm. de Antichristo, cap. 15.
z Turrian. de eccles. & ordinat. minister. l. 1. cap. 2. Nauar. Manual. confessar. in epist. dedic. ad Gregor. 13.
a Apoc. 17. 9. 10.

regnum habuit super Reges terrae; & [b] *spiritualis imperij* titulo potestatem denuò summam supra Reges prouinciasque omnes olim Romanas occupans; quo haud maior expectandus sit, vtpote qui sibi Petri nomine [c] *caelestis simul ac terrestris*, addo etiam infernalis *imperij iura & Principatum* arripuit, nec deterior qui magis [d] *homo ille peccati* dicendus sit, vtpote in quem & quo authore in regnum illius, teste ipsa eius historia, immanis & infanda scelerum omnium sentina confluxit.

14 Regem docemus [e] *colendum & hominem à Deo secundum, post illum ante omnes primum & solo Deo minorem*, cui [f] *religio est quae indicat ad curam suam pertinere ne in res diuinas impunè peccetur*; [g] *quem vel per se vel per quos miserit de religione dicere haud nefas est*, vel [h] *Episcopis ea praescribere quae ad Ecclesiarum Dei commodum spectant*; qui in causa religionis [i] *appellatus, iudices dare poterit* arbitrio suo siue Episcopos, vt Constantinus olim [k] *Melciadem Romanum cum collegis suis* in causa Caeciliani, siue Proconsules & Tribunos suos, vt in prouocatione Donatistarum Honorius & Theodosius Marcellum, [l] *quem principe loco iudicem inter Episcopos sedere voluerunt*; qui ab Episcopis [m] *rerum gestarum rationem reposcat*, & [n] *deleget qui regia authoritate* contumaces illos & repugnantes coerceat; qui denique vt [o] *extra Ecclesiam Episcopus à Deo constitutus est*, vt excepta sacrorum administratione, curam summam ad se rerum Ecclesiasticarum pertinere cognoscat.

15 [p] *Imaginum consecrationem idololatriam esse* defendimus, & earum [q] *adorationem omnibus modis deuitandam* docemus, ita populum instituentes [r] *vt in adoratione solius omnipotentis sanctae Trinitatis humiliter prosternantur; manufactum verò quicquam adorare non licere*, [s] *quoniam scriptum est; Dominum Deum tuum adorabis & illum solum coles.* [t] *Eam quippe solummodo naturam quae increata est, colere ac venerari didicimus;* [t] *imaginem verò Dei nullam coli debere nisi quae hoc est quod ipse*; neque probari Deo [u] *imagines quae effigiem eius vel significationem repraesentent aliquam*, vel [x] *per quarum contemplationem tanquam signi conspicui conetur quis animum erigere ad numinis intelligibilis imaginationem.* Quòd si Christum [y] *creatitium Deum* cum Arianis, vel [z] seorsim à diuinitate hominem cum Nestorianis adorare, meritò

b Tho. Aquin. in 2. Thess. cap. 2. lect. 1.
c Dist. 22. c. Omnes siue.
d 1. Thess. 2. 3.
e Tertul. ad Scapul. & Apologet. c. 30.
f August. cont. Gaudent. lib. 3. art. 17.
g Idem cont. epist. Parmen. lib. 1. cap. 7.
h Euseb. de vita Constantin. l. 3. cap. 23.
i August. cont. lit. Petil. l. 3. c. 25.
k Idem epist. 162.
l Collat. Carthag. 1. cap. 4.
m Socrat. hist. lib. 1. cap. 33.
n Euseb. de vita Constant. l. 4. c. 42.
o Ibid. cap. 24.
p Tertull. de Idololatria.
q Gregor. l. 9.
r Ibid.
s Gregor. Nissen apud Anton. Meliss. l. 1. ser. 1
t August. epist. 119. cap. 11.
u Origen. cont. Cels. l. 3.
x Ibid. l. 7.
y Athanas. cont. Arianos orat. 4. et ad Adelph.

z Sinod. Nicen. 2. act. 7. epist. ad Constant. et Iren. Cyril de rect. fide ad regin. l. 1. ex. 1. cor. cap. 2.

ido-

idololatriæ nomine damnatum sit; multò magis idololatræ sunt qui statuis & imaginibus ad Christum referendum confictis procumbunt & sacros illis religionum honores deferunt. Porro [a] *Petrus adorare volentem Cornelium inhibuit, dicens, quoniam & ego homo sum. Angelus quoque Ioannem in Apocalypsi se adorare volentem non admisit, dicens, Vide ne feceris; &c. Deum adora; quo agnoscant solius numinis esse adorari, se verò creaturas esse, neq; in classibus adorandorum sed adorantium computari debere.* Quòd si Sancti ne sibi quidem ipsis viuentibus honorem illum haberi voluerunt, certè [b] *mortuorum imagines adorandas introducere*, &c. *adulteratio mentis à Deo* & crassa nimis inscitia & stupor est.

16 Sententiam illam Ioannis, vt omnia, vtrisque vlnis amplectimur, [c] *Siquis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Vbi [d] *si ita diceret, siquis peccauerit, mediatorem me habetis apud Patrem & ego exoro pro peccatis vestris, quis eum ferret bonorum ac fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi & non sicut Antichristum intueretur?* Quia nempe [e] *Christus sacerdos est qui nunc ingressus in interiora veli, solus ibi ex his qui carnem gustauerunt interpellat pro nobis;* vt [f] *huic soli vnigenito Dei verbo primogenito totius creaturæ preces nostræ offerendæ sint, qui eas vt Pontifex ad Deum suum & Deum nostrum perferat.* Quare ita populum docemus [g] *ne quis audeat offerre preces nisi soli Domino Deo, qui vnus omnibus abunde sufficit, per seruatorum nostrum Dei Filium,* [h] *rogantes vt ipse qui propitiator est pro peccatis nostris dignetur tanquam Pontifex preces nostras & sacrificia & intercessiones offerre Deo.* Quòd [i] *siquis vult præter Deum placari etiam alios, cogitet quòd sicut moto corpore, vmbra quoque ipsius mouetur, ita cùm aliquis Deum habet propitium, sequitur vt amicos habeat omnes eius Angelos, animas & spiritus,* vt illorum inuocatione, quæ cum iniuria Dei coniuncta est, haud opus sit.

17 Pro mortuis orare superfluum esse statuimus, quia [k] *si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* [l] *In die etenim mortis suæ iustus ad Austrum cadit, peccator ad Aquilonem, quia & iustus per feruorem spiritus ad gaudia ducitur, & peccator cum apostata Angelo in frigido suo corde reprobatur.* [m] *Cùm verò humani casus tempore siue sanctus siue malignus spiritus egredientem animam claustra carnis acceperit, in æternum* secum

a Athanas. cont. Arian. orat. 3.

b Epiphan. hær. 76. Collyridian.

c 1 Ioan. 2. 2.

d August. cont. epist. Parmen. l. 2. c. 8.

e Idem. in psal. 64.

f Origen. cont. Cels. l. 8.

g Ibid. lib. 5.

h Ibid. lib. 8.

i Ibid.

k Eccles. 11. 3.

l Gregor. moral. l. 12. cap. 4.

m Ibid. l. 8. c. 8. et Olympiodor. in Ecclesiast. cap. 11.

secum sine vlla permutatione retinebit vt nec exaltata ad supplicium proruat, nec mersa æternis supplicijs vltra ad remedium ereptionis ascendat. Ad Purgatorium quod attinet hoc ipsum profitemur quod olim Augustinus, qui commentum illud populare conuellens, & locum exponens ad Corinthios, quo, vt nunc Papistæ, ita tunc illi subnixi sunt, [n] *Non accipio,* inquit, *nisi ignem æternum, de quo alio loco Scriptura dicit, Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur.* Quò illa quoque pertinent quæ alibi habet, [o] *Tertium locum penitus ignoramus, immo nec esse in Scripturis inuenimus;* [p] *nec est vllus vlli medius locus, vt possit esse nisi cum diabolo qui non est cum Christo.*

n August. in Psal. 80.
o Idem Hypognost. lib. 5.
p Idem de peccator. merit. & remiss. l. 1. c. 28

18 [q] *Mortuo Christo lancea percutitur latus, vt profluant Sacramenta quibus formetur Ecclesia,* [r] *quæ ex latere Christi manante sanguine & aqua sacramentum redemptionis & regenerationis accepit.* Quia verò haud plura de Christi latere profecta sunt, duo tantùm sacramenta, regenerationis alterum in Baptismo, alterum redemptionis in Cœna Domini, esse contendimus, nec [s] Apostolus in Ecclesiarum comparatione, veteris & nouæ, plura recensuit, nec ad mille annos & amplius ratio Sacramentorum ad septenarium numerum vnquam subducta est.

q August. in Ioan. tract. 9.
r Leo ep. 22.
s 1. Cor. 10. 2, 3 &c.

19 [t] *Tales sunt effectus Sacramentorum ipsis accipientibus, quali corde & conscientia accipiuntur.* [u] *Non enim ablutio sordium carnis saluat nos, sed interrogatio bonæ conscientiæ ad Deum;* [x] *nec aqua, sed verbum in aqua mundat, non quia dicitur, sed quia creditur;* & [y] *quantum fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.*

t Prouin. Linwood. l. 1. tit. de sacra vnct. cap. sacerdotes.
u 1. Pet. 3. 21.
x August. in Ioan. tract. 80.
y Cyprian. lib. 2. ep. 2.

20 [z] *Sacramenta quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, diuina res est; propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini.* [a] *Christus* enim *symbola & signa quæ videntur appellatione corporis & sanguinis honorauit, non naturam mutans* ([b] *manent enim in priore substantia & figura & forma*) *sed naturæ gratiam adijciens;* vt [c] *sint quæ erant & in aliud commutentur,* quo [d] *quod videtur & nomine & virtute Christi corpus censetur.* Siquidem [e] *nisi Sacramenta quandam similitudinem haberent earum rerum quarum Sacramenta sunt, omninò sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam rerum ipsarum nomina accipiunt.* Quare

z Gelas. de duab. in Christo natur. cont. Eutyc. & Nest.
a Theodoret. dialog. 1. Immutabilis.
b Idem dialog 2. Inconfusus.
c Ambros. de sacram. l. 4. c. 4.
d Cyprian. de resurr. Christi.
e August. ep. 23.

f Hieron. in Math. 26. g Tertul. cont. Marcion. lib 4. h Cyprian. lib. 2. ep. 3. i Ioan. 6. 53. k Aug. de doct. Christ. l. 3. c. 6. l Ioan. 6. 63. m August. in Psal. 98.

re Christus[f] *pane & vino veritatem corporis & sanguinis sui repræsentans*, [g] *panem corpus suum appellat*, & [h] *vinum fuisse* ostendit *quod sanguinem suum dixit*.

21 Quod Christus de [i] *manducanda carne sua & sanguine* bibendo loquitur, [k] *figura est præcipiens passione Domini communicandum esse, & suauitèr atque vtilitèr recondendum in memoria quòd caro eius pro nobis crucifixa & vulnerata sit.* [l] *Verba enim*, inquit, *quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt, hoc est*, [m] *spiritualiter intelligite quod locutus sum; non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, nec bibituri sanguinem illum quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendaui vobis quod spiritualitèr intellectum viuificabit vos.* [n] *Hoc ergò quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide syncera panem sanctum frangimus.* [o] *Credere* namque *in Christum, hoc est manducare panem viuum; qui credit, manducat.* Manducauerunt enim carnem Filij hominis, & sanguinem biberunt etiam veteres Israelitæ, [p] *qui eundem*, [q] *quem nos, cibum spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt; biberunt enim de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus*, [r] *quod vtique non ad diuinitatem eius sed ad carnem relatum est, quæ sitientium corda populorum perenni riuo sui sanguinis inundauit*, quibus tamen nondum incarnatus Christus, vt carnem eius alitèr quàm credendo manducarent. Quare pessimè agunt qui [s] *Sacramentum nostrum anthropophagiam quandam esse pronunciant*, [t] *quasi Christus verè carnem suam nobis edendam determinasset*, eoq; *irreligiosè ad crassas cogitationes vrgent credentium mentes, & attentant humanis cogitationibus ea tractare quæ sola pura fide accipienda sunt.*

n Cyprian. de Cœna Domini. o Aug. in Ioan. tract. 26. p 1. Cor. 10. 3. q Aug. in Ioan. tract. 26. & de vtilit. pœnit. cap. 1. r Ambros. de Spir. sanct. l. 1. in prologo. s Cyril respons. ad Theodor. reprehens. anathem. 11. t Tertull. de resurrect. carnis.

22 [u] *Dominica cœna omnibus debet esse communis, quia ille omnibus discipulis suis qui aderant æqualitèr tradidit Sacramenta. Cùm ergò* [x] *tremendus calix pari cunctis conditione sit traditus*, par est vt [y] *aut integra cuncti Sacramenta percipiant aut ab integris arceantur, quia diuisio vnius eiusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.* Sacrilegam ergò denunciamus Ecclesiam Romanam, quæ [z] *non obstante* Christi tum præcepto tum exemplo, ita populum instituit vt sibi calice Dominico interdictum putet, & mutilato sacramento à communione sanguinis Christi exsors sit.

u Hieron. in 1. Cor. cap. 11. x Theoph. in 1. Cor. cap. 11. y Gelas. de consecrat. dist. 2. Comperimus. z Concil. Constantiē. sess. 13.

23 [a] *Singulari & solo vero sacrificio Christi pro nobis sanguis effusus*

a Aug. contra aduers. leg. & Prophet. l. 1. c. 18.

effusus est, sanguis innocens, [b] *quo nocentium omnia peccata deleuit.* [c] *Vbi* verò *remissio peccatorum est, non est amplius oblatio pro peccato.* Quare [d] *vnum verum Sacerdotem* agnoscimus, *Mediatorem Dei & hominum,* [e] *qui altare Dei vero sacrificio solus impleuit,* [f] *nec praeter ipsum alteri cuipiam homini siue sacerdotij nomen, siue rem ipsam ascribimus.* Tale est enim Christi sacerdotium, vt [g] *ad alium transire non poßit;* tale sacrificium vt repetitione non egeat, quia [h] *vna oblatio corporis Christi perfectos facit sanctificatos, quae remissionem peccatorum integram facit, vt non sit necesse quotidiè quotidianis sacrificijs purgare sicut in veteri lege.* Blasphemia est ergò quod sacrificium Missae nuncupatur, & coena Domini non propriè sacrificium, sed [i] *magis recordatio sacrificij* interpretanda est, nec verè ibi Christus offertur, [k] *magis autem oblationis illius memoriam facimus, perinde ac esset* (reipsa ergò non est) *hoc tempore immolatus.* [l] *Passio est* enim *Christi sacrificium quod offerimus.* Qualis ergò ibi passio, tale sacrificium: passio tantummodò figurata est; non aliud ergò sacrificium. [m] *Verum namque & reale sacrificium veram & realem mortem aut destructionem rei immolatae desiderat.* Quia ergò in Eucharistia vera & realis mors vel destructio Christi esse non potest, (quo nodo soluendo Bellarminus se planè ridendum dat) idcircò in Eucharistia verum & reale Christi sacrificium affirmari non debet. [n] *Supplicationes* ergò *& gratiarum actiones sole nunc Deo chara victima, & has solas Christiani facere didicerunt, etiam in illa quae alimento sicco & humido* (panis & vini) *perficitur commemoratione, in qua paßionis Filij Dei memoria seruatur.*

[b] *Idem in Psal* 129.
[c] *Heb.*10.18.
[d] *Aug. contra Faust.lib.*22.17
[e] *Ibid l.*20. *c.*18.
[f] *Cyril.epi.*10. *ad Nestor.*
[g] *Heb.*7.24.
[h] *Ambros.in Heb.*10.
[i] *Chrys. & Ambros.in Heb.*10 *Theod. in Heb.* 8. *Euseb. de demonstr. Euang. l.*1.*cap.*10.
[k] *Theophylact. in Heb.*10.
[l] *Cyprian.lib.*2 *ep.*3.
[m] *Bellarm.de Missa, l.*1.*c.*27
[n] *Iustin. Mart dialog. cum Tryphon.*

24. [o] *Quis ita sit imprudens atque impudens, ita insanus ac demens qui cùm peccata mala esse fateatur, malam esse neget concupiscentiam peccatorum, etiamsi aduersus eam concupiscente spiritu, peccata concipere ac parere non sinatur? Tale porrò ac tam magnum malum tantùm quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in vltimam mortem, nisi vinculum eius* (reatus qui nos obstrinxerat) *in illa quae fit in baptismo peccatorum omnium remissione solueretur?* Quanquam ergò concupiscentia, quod ad [p] *reatum* attinet, peccati naturam & conditionem in regeneratis amittit, *vitiositate* tamen & *malitia communis originis* [q] *qua malos facit,* quod nonnisi peccatum potest, peccatum esse manifestum est. [r] *Hoc ipsum enim de peccato tentari, peccatum est,* & [s] *praua ipsa cogitare,*

[o] *Aug. contra Iulian. Pelag. l.*6.*c.*5.
[p] *Idē de nupt. & concupis. l.*1 *c.*26 *& contra duas epist. Pelag. l.*1.*c.*13.
[q] *Augu.ep.*54. *& cont. Iulian l.*2. *ex Hilario in Psal.*118. *lit Samech.*
[r] *Greg. Moral. l.*21.*cap.*3.
[s] *Ibid.l.*18.*c.*5

peccare est, etiam cum antè reparat mens quàm per consensum cadat. Tentari verò de peccato & praua cogitare, nihil est aliud quàm concupiscere; ipsum ergò per se concupiscere peccare est. Ex quo ipso concupiscere [t] memores & conscij esse debemus, corpora nostra vitiorum omnium esse materiam, pro qua polluti & sordidi nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus; [u] ac nisi glorificato in naturam spiritus corpore vita vera in nobis non potest esse natura. Quia enim vbique corruptionis labem ex carnis consortio mutuamur, certè [x] mala nostra pura mala sunt, bona verò quæ nos habere credimus pura bona esse non possunt. Immundos autem & impuros nihil facit nisi peccatum; concupiscentia ergò carnis, [y] macula illa & contagio & contaminatio, & pestis, quià immundos facit, interq; nos & Deum intercludit, quod solius peccati proprium est, peccatum esse conuincitur, vt illud, [z] nihil esse in renatis quod odit Deus, nihil quod ab ingressu cæli remoretur, impiè à Concilio Tridentino decretum sciamus.

2 [a] Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum cum vitijs peccatisq; non seruit. Tale datũ est homini à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Vnde veritas dicit, [b] Si vos Filius liberauit, verè liberi eritis. Alioqui [c] quid est homo de suo nisi de pecato suo? & [d] liberum arbitrium captiuatum nonnisi ad peccatum valet; ad iustitiam verò nisi diuinitus liberatum adiutumq; non valet. Nam [e] vt conuertatur homo sola efficitur Dei gratia, [f] cuius solo munere agitur vt verba prædicationis ab auribus ad corda descendant; quæque [g] sine nobis operatur vt velimus, & [h] liberum nobis arbitrium facit in bono, vt deinceps libero abitrio eandem gratiam subsequamur in opere. Siquidem [i] post casum hominis nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere vt homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere vt homo non recedat ab eo. Quò illud pertinet Apostoli, [k] Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. [l] Quomodo verò non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, nisi quia & ipsa voluntas à Domino præparatur? Alioquin si propterea dictum est, Non volentis neque currentis sed miserentis est Dei, quia ex vtroque fit, id est, ex voluntate hominis & misercordia Dei, vt sic dictũ accipiamus, Non est volentis neq; currentis sed miserentis Dei, tanquam diceretur, non sufficit sola volũtas hominis, si non sit etiam misericordia Dei; non sufficit ergo sola misericordia Dei si non sit etiam voluntas hominis; ac per hoc si rectè dictũ est,

Non

t Hilar. apud Augus. contra Iulian. lib. 2.
u Idem in psal 118 dit. Gimel.
x Greg Moral lib. 35. cap 16.
y Bernard. de sex tribulat.
z Concil. Trid. sess. 5.
a Aug. de ciu. Dei, l. 14. c. 11.
b Ioan. 6. 36.
c Aug in Ioan tract. 49.
d Idem cont. 2. epi. Pelag. l. 3. c. 8.
e Idem de grat & lib. arb. c. 5.
f Greg. Moral. l. 29. c. 13.
g Aug. de grat. et lib arb. c. 17.
h Gregor. in Ezech. hom. 9.
i Aug de bono perseuer. c. 7.
k Rom 9. 16.
l Aug. Enchir. cap. 32.

Non volentis hominis sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet, cur non & è contrario rectè dicitur, Non miserentis Dei sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si nullus Christianus dicere audebit, Non miserentis Dei sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat, restat vt propterea rectè dictum intelligatur, Non volentis neque currentis sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, & sentiamus [t] *de nullo nobis gloriandum esse quia nostrum nihil est.* Propterea [u] *nullatenus sinimus, immò salubritèr prohibemus tam in nostra fide quàm in nostro opere tanquã nostrũ nobis aliquid vendicare.* [x] *Nos quidem ambulamus, verũ est, nos obseruamus, nos facimus, sed ille facit vt ambulemus, vt obseruemus, vt faciamus;* [y] *facit* inquam *vt faciamus quecunq; iubet vt fiant.* [z] *Tutiores* deniq; *viuimus si totũ Deo damus, nõ autẽ nos illi ex parte & nobis ex parte cõmittimus.*

26 [a] *Ipsa iustitia nostra tanta est in hac vita vt potiùs remissione peccatorum constet quàm perfectione virtutum.* Enimuero [b] *iusti se perituros absque ambiguitate præsciunt si remota pietate iudicentur, quia hoc ipsum quòd iustè videmur viuere culpa est, si vitã nostram cum iudicat, hanc apud se diuina misericordia non excusat.* Quare [c] *cùm dies iudicij vel dormitionis aduenerit, dissoluentur omnes manus, quia nullum opus dignum Dei iustitia reperietur & non iustificabitur in conspectu eius omnis viuens.* Doctrinam ergò de meritis superbam & stultam esse ducimus & in Ecclesia Dei nullo modo audiendam. Quin potius, [d] *Coronat te,* inquit, *in miseratione & misericordia,* [e] *vt intelligamus non meritis nostris Deum nos ad vitam æternam sed miseratione sua perducere,* [f] *iustos* inquam *ipsos, quos pro nihilo saluos facies,* inquit, *quia non proprijs meritis sed Dei clementia saluantur.* [g] *Quicquid enim promisit, indignis promisit, vt non quasi merces operibus promitteretur sed gratia à nomine suo gratis daretur, quia hoc ipsum iustè viuere, inquantum homo potest iustè viuere, non meriti humani sed beneficij diuini est.* Neque obstat quòd dicitur Deus *reddere cuique secundum opera sua,* quia [h] *non dicimus* Deo in bonis operibus, *Redde quod accepisti, sed Redde quod promisisti,* & [i] *aliud est reddere secundum opera, aliud propter ipsa opera reddere. In eo enim quod secundum opera dicitur ipsa operum qualitas intelligitur, vt cuius apparuerint bona opera, eius sit & retributio gloriosa. Illi namque beatæ vitæ in qua cum Deo & de Deo viuitur, nullus potest æquari*

t Cyprian. in orat. dominic.
u Fulgent. ad Monim. lib. 1.
x August. cont. 2. epist. Pelag. l. 1. c. 6.
y Idem de præd. sanct. c. 11
z Idem de bono perseuer. cap. 6.
a August. de ciu. Dei. lib. 19. cap. 27.
b Gregor. Moral. lib. 8 c. 9.
c Hieron. in Esai. c. 13. l. 6.
d Psal. 103. 4.
e August. de grat. & lib. arbit. cap. 9.
f Hieron. adu. Pelag. lib. 2.
g August. in psal. 109.
h August. in psal. 32 conc. 1.
i Gregor. in psal. vlt. pœnitent.

labor, nulla opera comparari, præsertim cum dicat Apostolus, Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Ergo [k] *non talia sunt hominum merita vt vita æterna propter ea debeatur ex iure, aut Deus iniuriam faceret nisi eam donaret.* [l] *Reposita est* quidem *æterna quies legitimè certantibus huius vitæ certamen, non tamen pro merito operum reddenda, sed ex gratia munificentissimi Dei omnibus in illum sperantibus exhibenda.*

27 [m] *Credenti in eum qui iustificat impium, fides eius reputatur ad iustitiam,* Deo vbi peccata remittit, eo ipso [n] *imputante iustitiam absque operibus.* Nam [o] *in via fidei pro non peccantibus habentur, quibus peccata non imputantur.* [p] *Quicquid enim ille non imputare decreuit, sic est quasi non fuerit.* Quin quod maius est, [q] *omnia Dei mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoscitur.* Quod quia *absque operibus*, eoque sola fide contingit, iustificationem necesse est sola fide constare. Atque [r] *hæc quidem perfecta est & omnimoda gloriatio in Deo, quando non propter suam ipsius quis iustitiam extollitur, sed agnoscit se quidem vera destitui iustitia, verùm sola in Christum fide iustificatum esse.* [s] *Iustus enim Aduocatus noster iustos nos defendet in iudicio, quia nosmetipsos cognoscimus & accusamus iniustos; ergò non in fletibus, non in actibus nostris, sed in Aduocati nostri allegatione confidamus,* [t] *qui factus est peccatum vt nos iustitia, nec nostra sed Dei simus, nec in nobis sed in illo, sicut ille peccatum non suum sed nostrum, nec in se sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati in qua crucifixus erat demonstrauit.*

28 *Fides* etsi sola iustificet, tamen sola non est in homine iustificato, perinde vt oculus qui solus videt & tamen non est in corpore solus. Fides enim & charitas [u] *vbi non simul fuerint, simul desunt, quia inuicem sibi & iuuamen & lumen sunt.* Immò [x] *fidem, spem, charitatem, atque operationem, quamdiu in hac vita viuimus, æquales sibi esse apud nosmetipsos inuenimus. Nam & quantum credimus, tantum amamus, & quantum amamus, tantum de spe præsumimus. De fide quoque & operatione Ioannes Apostolus fatetur dicens, Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Notitia quippe Dei ad fidem pertinet, mandatorum custodia ad operationem. Cùm ergò virtus, tempus & locus operandi suppetit, tantò quis operatur quantò Deum nouerat, & tantùm*

[k] Bernard. in Annunciat. ser. 1.
[l] Basil. in psal. 114.
[m] Rom. 4. 5.
[n] Ver. 6.
[o] August. in psal. 118. conc. 3.
[p] Bernard. in Cantic. ser. 23.
[q] August. Retract. l. 1. c. 19.
[r] Basil. serm. de humilit.
[s] Gregor. in Ezech. hom. 7.
[t] August. Enchirid. cap. 41.
[u] Leo de Quadragis. ser. 7.
[x] Gregor. in Ezech. hom. 22.

tùm se nosse Deum indicat, quantùm pro Deo bona operatur. Vnusquisque qui in hoc vitæ exercitio versatur tantùm credit, quantùm sperat & amat; & tantùm operatur, quantùm credit, amat & sperat. [y] *Vbicunque verò fidei fructus non est, illic quoque nec ipsa fides esse credenda est. Quis prudens addubitet vbi fides est, illic esse & timorem, & vbi timor sit, illic esse & obedientiam, & vbi obedientia sit, illic esse & iustitiam? Sicut è contrario vbi iustitia non sit, illic nec obedientiam nec timorem esse nec fidem. Ita enim hæc sibi inuicem sociata atque connexa sunt, vt diuisa penitùs esse non possint.*

29 Virginitatem & cœlibatum non ex ijs bonis esse statuimus [z] *quæ faciunt bonum*, sed *vnde facias bene*, & perinde esse vt est animus eius qui ijsdem vtitur, nec magis à matrimonio quàm libertatem à seruitute distare, quarum illa [a] *potior* quòd potestatem sui concedat quam altera negat, cùm tamen Apostolo nihil intersit aliàs [b] *liber quis an seruus, quia vnum*, inquit, *omnes estis in Christo Iesu.* Idem ergò nobis animus qui fuit olim Ecclesiæ Romanæ, non populo solùm sed *Clericis, Monachis, Continentibus*, quibus non obstante Syricij decreto visum est [c] *idipsum esse Deo maritas quod virgines*; quibus explosum illud Hieronymi; [d] *Virginitatem mundiorem esse quàm nuptias*, non quòd cœlibatus continentiæ dono munitus ad negotia [e] *regni cælorum* non opportunior, eoque nomine præferendus sit, sed quòd nuptiæ si sic adhibeantur vt pari in Deum studio & pietate sint, pari apud Deum loco & mercede futuræ sint. Damnamus ergò Cataphrygas & Montanistas sanctitatem in ipso cœlibatu constituentes, quorum illa vox est: [f] *Non accedas ad me, quia mundus sum; non enim accipio vxorem, sed sum Nazareus Dei.* Quo nomine Papistas quoque hodie damnandos esse decernimus, qui edocti à [g] *Dracone*, matrimonio, in [h] *omnibus, etiam* [i] *Episcopis* & [k] *Presbyteris honorabili*, [l] *infandum concubitum* & [m] *pollutionem* ascribunt quæ Ministris Ecclesiæ indigna sit; immo quod ex abysso inferni profectum est: [n] *grauiùs* aiunt *peccare sacerdotem si contrahat matrimonium, quàm si fornicetur aut domi concubinam foueat*, quin [o] *si plurimas domi meretrices alat.* [p] *Quid agis stulta persuasio? peccata interdixit Deus, non matrimonia*, [q] *quam ita preciosam rem esse voluit vt cum ipsa possit quis ad sanctum Episcopatus solium euehi.*

y Sixt. 3. epist. de malis doctorib. & oper. fidei. Biblioth. sanct. tom. 5. 1589.
z August. de Temp. ser. 236.
a 1. Cor. 7. 21.
b Gal 4 28.
c Hieron. Apolog. pro libr. adu. Iouian. sub initio.
d Ibid. sub finem.
e Mat. 19. 12.
f Origen. in Pamphil. Apolog.
g Ignat. ad Philadelph.
h Heb. 13. 4.
i Canon. Apostol. 6. & Socrat. hist. l. 5. c. 21.
k Sexta synod. in Trull. can. 13.
l Campiā. Rat. 4.
m Bellarm. de cleric. cap. 19.
n Coster. Enchirid. cap. 15. de cœlib. sacerdot. propos. 9.
o Cāpeg. Cardinal. apud Sleidan. Comment. lib. 4.
p Saluian. de prouident. l. 5.
q Chrysost. in Tit. hom. 2.

30 Ieiunium

30 Ieiunium in Scripturis commendatum & præceptum agnoscimus,[r] *quibus verò diebus non oporteat ieiunare vel quibus oporteat, non inuenimus Domini vel Apostolorum præcepto definitum.* Et[s] *quia nemo ea de re præceptum literarum monumentis proditum potest ostendere, perspicuum est Apostolos liberam in ea potestatem cuiusque menti & arbitrio permisisse, vt quisque nec metu nec necessitate inductus quod bonum sit faceret, &*[t] *abstineat quisque quanto magis vel minus* (prout ad pietatem sibi esse viderit) *seu voluerit seu potuerit.* [u] *Indifferentèr* ergo *ieiunandam* statuimus, *non ex imperio* (nisi fortè contingentèr per occasionem, vbi ceciderit, causæ publicæ) *sed ex arbitrio pro temporibus & causis vniuscuiusque. Sic enim Apostoli obseruarunt, nullum aliud iugum imponentes certorum & in commune omnibus obeundorum ieiuniorum.* Ieiunium verò dierum & ciborum delectu definire vt qui piscium & vinorum delicias, qui orizam, tubera, placentas, pistacia, piper, laser & exquisitissimas condituras & confectiones sibi ad satietatem indulserit, haud excidere putetur à sanctitate; hæreticus verò sit & violatę religionis reus qui se fessum suilla carne [x] cum Spiridione recreauerit, proximè hoc ad [y] Manichæorum insaniam accedit, nec aliundè quàm à [z] *doctrina dæmoniorum* profectum est.

r August. epist. 86.
s Socrat. hist. l. 5. cap. 21.
t August. cont. faust. Manich. l. 30. c. 5.
u Tertull. de ieiun. ex Ecclesiæ sententia.
x Sosomē hist. l. 1. cap. 11.
y August. de morib. Manich l. 2. c. 13.
z 1. Tim. 4. 1. 3.

Habes à me, Andrea, fidem Ecclesiæ nostræ, ipsis Patrum syllabis & sententijs & sensibus expressam; dic tu iam, miser, nouitates; dic hæreses nostras, ob quas Ecclesiæ nostræ communio refugienda sit. Gestit verò mihi animus descendere tecum in arenam hanc, experiamur, in hoc genere quid possis, quia tempus iam est vt amentia vestra patefiat orbi Christiano magis ac magis. An tu hic dixeris, quod propè dicere soletis, antiquos illos nostris verbis sensus vestros exposuisse? An illud Bellamini narrabis nobis; [a] *Omnium Conciliorum authoritas, & omnium dogmatum firmitas à præsentis Ecclesiæ testimonio dependet?* An illud Valentiani obtrudes; [b] *In Romano Pontifice residere authoritatem de quæstionibus fidei omnibus infallibilitèr statuendi?* Apagete verò vos, temulenti homines & insani, cum deliramentis istis vestris: occinite ista idiotis vestris, quibus fundendis oraculis Apollines estis; nobis certè tam phreneticis esse non vacat. Et quidem porrò cœpit orbis Christianus aperire oculos & vestram illam tam insolentem in procudendis dogmatibus audaciam atque

a Bellarm. de sacrament. l. 2. c. 25.
b Gregor. de Valent. Analys. fidei. lib. 7. c. 11. et passim.

que impudentiam animaduertere. Iam verò cum in Liturgia nostra nihil non sanum, in doctrina nihil non orthodoxum, nihil non cum sacris Scripturis & puriore antiquitate coniunctissimum reperiatur, sequitur rectè à Coko dictum esse; *Recusantes non religione adductos Ecclesias nostras abhorrere cœpisse, sed animi contumacia hoc fecisse & facere, vt Papæ potentiam in omnes Principes ea re contestentur.* Atque hoc tu, lepidus Apologista, non multum abnuis; tantùm ais, *summo Pontifici in totam Ecclesiam eiusq; singulas partes diuinitùs traditam potestatem rem esse ad religionem maximè spectantem, & eiusmodi in qua controuersiarum omnium cardo versatur, idq; notius esse quàm vt probatione vlla indigeat.* Optimè tu verò flagellum tuis paras, quod veternum illis & stuporem illum excutiat, quo bruta planè negligentia & supinitate commento merè vestro, quodque nullum primæ antiquitatis testimonium vel firmamentum habet, tanta in Principem peruicacia fidem adhibent. *Potestatem*, inquis, *diuinitùs traditam?* At à quo Deo, nisi fortè [c] *deo huius seculi*, cuius illa vox est, quam imitatur ad apicem vsque Pontifex vester; [d] *Mihi tradita sunt hæc omnia, & cui volo do illa; tu ergò si procidens adoraueris coram me, erunt tua omnia. In hoc*, inquis, *controuersiarum omnium cardo versatur.* Vestrarum nempe, & pro vobis, qui Pontifici Romano datis operam, vt verè Antichristus sit, qui [e] *cunctam religionem suæ subijciat potestati. Notius est*, inquis, *quàm vt probatione vlla indigeat.* Scilicet quia nulla tibi probatio legitima vel in speciem quidem occurrit. Et cui notum quod tanto consensu reclamitantem iam habet totum ferè orbem Christianum? *Disputauit autem ea de re Bellarminus in libris de Romano Pontifice, & in epistola ad Archipresbyterum Angliæ*, adde *& in libris aduersus Barclaium*. Conclamatum est ergò; disputauit videlicet ea de re Bellarminus. At quid in illa disputatione lucratus præter infamiam & publicam operis sui damnationem? vt nihil dicam in reliquis scriptionibus multò magis suspectum iam esse cœpisse, quia qui in causa grauissima tam apertè veteratorem agit & impostorem, meritò creditur in cæteris non bona conscientia esse versatus. At hìc verba quoque ipsa Bellarmini transcribis admonentis Archipresbyterum *non esse rem paruam quæ ob iuramentum fidelitatis in discrimen adducitur, sed vnum ex præcipuis*, inquit, *fidei nostræ capitibus, & religionis Catholicæ fun-*

c 2. Cor. 4. 4.

d Luc. 4. 6.

e Hieron. in Daniel. cap. 7.

damentis. At ô illum hominem nequissimum qui populum sic instituit, Pontificiam illam in Principes Potestatem *vnum esse ex præcipuis fidei fundamentis*, de qua tamen ad mille annos & amplius nihil in Ecclesia receptum est. Expostulat Hieronymus *cum assertore nouorum dogmatum*: [f] *Cur post quadringentos annos docere nos niteris quod antè nesciuimus? cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vsque ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit.* Itidem & nos cum Bellarmino, Cur docere nos niteris *præcipuum fidei caput* quod ad mille annos & vltra Ecclesia nesciuit? cur profers in medium quod Petrus & Paulus, & primitiui Ecclesiæ Patres vniuersi, & Concilia tacuerunt? Tam multis annorum centurijs absque ista doctrina mundus Christianus fuit, & tu illam iam *vnum ex præcipuis fidei capitibus* nobis narras? Benè verò quòd *vestræ fidei* dicis, eoque *religionis Catholicæ vestræ*, hoc est, Romano-Catholicæ, non verè Christianæ. Verè tu dicis esse *fidei vestræ præcipuum caput*, *vestræ religionis Catholicæ fundamentum*, absque quo reliquum corpus fidei vestræ compaginatum & coniunctum stare non potest, quia nihil ad rem vobis quàm vera fides vestra, sed quàm Pontifici asserta sit. Atqui Bellarminus ne huic nostro opus sit, Gregorium Episcopum Romanum, Apostolum, si placet, nostrum, sententiæ suæ testem adfert. [g] *Apostolicæ sedis reuerentia*, inquit, *nullius præsumptione turbetur; tunc enim status membrorum integer perseuerat, si caput fidei nulla pulsetur iniuria.* Et quid tandem hinc? *Sancto Gregorio* scilicet *teste cum de primatu sedis Apostolicæ vel turbando vel minuendo vel tollendo satagitur, de ipso capite fidei amputando, ac de totius corporis omniumq; membrorum statu dissipando satagitur.* Atqui *sedes Apostolica*, eodem Sancto Gregorio teste, [h] *in tribus locis vnius & vna est, cui*, inquit, *ex authoritate diuina tres nunc Episcopi præsident*, non Romanus solùm, sed Antiochenus quoque & Alexandrinus. Quare de Alexandrino dicit quòd [i] *Petri cathedram teneat*, & de Antiocheno quòd [k] *Apostolicam sedem regat*; has omnes sedes ab Apostolo Petro constitutas docens, & æquo omnes Patriarchatus iure, vt *iubendi illis* potestatem se nullam habere fateatur, & attributam sibi haud patientèr ferat. Nempe Eulogium Alexandrinum sic affatur; [l] *Beatitudo vestra mihi loquitur dicens; sicut iussistis, quod verbum iussionis peto à meo auditu remouete, quia scio quis sum, qui estis. Loco enim mihi*

f Hieron. ad Pammach. & Ocean. de error. Origen.

g Greg. lib. 11. epist. 41.

h Gregor. l. 6. ep. 37.

i Ibid.

k Idem lib. 4. ep. 37.

l Idē l. 7. ep. 30

hi fratres estis, moribus patres. Non ergo iussi, sed quæ vtilia sunt indicare curaui. Haud alitèr ergò Romanus *caput fidei*, quàm Alexandrinus, quàm Antiochenus; quisque per Canones in sua ditione primatum habens Episcoporum, ad quem maximè procurandæ ibi fidei & regendæ secundùm Canones Ecclesiæ ratio spectaret, cui nisi iustum obsequium & reuerentia præbeatur, necesse est in turbas & tumultus abire omnia, vt integer Ecclesiæ status consistere non possit. Quod cùm ingeniosè Rex serenissimus animaduertisset, & facta inde paululùm mutatione, non Gregorij mentem interpretans, sed è proximo & quidem à minori argumenti occasionem petens ad se in regno suo simpliciter, vt inter homines, *fidei caput & defensorem supremum* accommodasset, personatus Dauus, Mathæus Tortus, rabula malè feriatus & proteruus (parcat in causa Principis ingenuitati nostræ) *audaciam* illi simul *& impudentiam* obiectat, & *mirum esse* ait *expositionem illam in hominem sanæ mentis cadere potuisse*. Atqui quod ad Gregorium attinet (pro se enim allusit tantùm, non exposuit) confirmauit Rex inclytissimus expositionem suam verissimam esse; quippe fieri non potuisse vt Gregorius *capitis* vocabulo fidei sibi monarchiam vniuersalem arriperet, quia illam *vniuersalis* appellationem abdicauit prorsus, & neque sibi neque cuiquam alteri permittendam censuit. [m] *Ego*, inquit, *fidenter dico, quia quisquis se vniuersalem sacerdotem vocat vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit.* [n] *Nullus vnquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit.* [o] *Nullus eorum hoc tam singularitatis nomen assumpsit.* [p] *Nos huius vocabuli gloriam oblatam non quærimus.* Hìc verò Bellarminus sui similis, & subterfugio vbique dolosus & fallax, *vniuersalem Episcopum*, quo sensu à Gregorio destruitur, subintellectum asserit *qui solus Episcopus ita esse cupit vt nullos alios esse patiatur Episcopos.* Ita homo effrons & impudens ludit orbem terrarum, & perinde agit acsi sibi cum bestijs rem esse arbitretur. At dic quæso, Cardinalis, aut quia Cardinali non vacat, dic tu, Andrea, vbi Gregorius [q] *vniuersalis Episcopi* vocabulum *decessoribus suis oblatum* narrat *in Concilio Chalcedonensi*: an hic animus erat Episcopos ibi vniuersos abdicare se prorsus episcopatu voluisse, vt vnus deinceps & solus per orbem Romanus emineret Episcopus? Porrò vbi Alexandrinus & Antiochenus ad Gregorium scribentes *vniuersa-*

[m] Greg. lib. 6. ep. 30.
[n] Idē l. 4. ep. 36
[o] Ibid. epist. 32
[p] Ibid.
[q] Idem. lib. 4. ep. 38. & l. 7. ep. 30.

salem Papam salutant, an eo se putarunt episcopatu excidisse? Nunquam tam insanus sis vt dixeris. Et tamen quo sensu vocabulum illud oblatum dicitur in Concilio Chalcedonensi, quo sensu à Patriarchis vsurpatum, eodem à Gregorio reprehensum & repudiatum est. Vide de eo quid dicat;[r] *Non inuenio beatitudinem vestram hoc ipum quod memoriæ vestræ intuli, perfectè retinere voluisse. Nam dixi nec mihi vos nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere, & ecce in præfatione Epistolæ, quam ad me qui prohibui direxistis, superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curastis, quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra vltra non faciat, quia vobis subtrahitur quod alteri plusquam ratio exigit præbetur.* Et paulò post; *In sancta*, inquit, *Chalcedonensi Synodo, atque post à subsequentibus Patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas nouit, sed tamen nullus eorum vti hoc vnquam vocabulo voluit.* Dic iam cum istis Bellarmini tui sensus constare quî possit? Vis adhuc amplius? Sedit Ioannes Constantinopolitanus ad plures annos *Oecumenicus Patriarcha.* [s] Conuocauit Synodum Episcoporum, sedente tum Romæ Pelagio secundo, à quibus hic illi titulus comprobatus est. Qui verò conuocauit Episcopos sibi suffragaturos, certè non abdicauit; nec quisquam eos credat honore illum nouo induere voluisse, vt ipsi se exuerent suo. Succedit illi in eundem honorem Cyriacus, [t] ordinatus ab Episcopis, & ferè ad inuidiam laudatus. An ab illis ordinatus, qui mox ab illo deordinandi sint? Conuocatos ab illo Episcopos [u] Gregorius narrat, exauthoratum quempiam nemo vnquam dixit. Immò cui dubium quin ab vtroque plures Episcopi per id tempus intra diœcesin Constantinopolitanam ordinati sint? alioqui sedentibus illis maximam querimoniam de viduis cathedris esse debuisse? Denique quid tandem Bonifacius Romanus obtinuit à Phoca, nisi quod iam antè Constantinopolitano in voto & in vsu fuerat? Quare Platina vester apertè significat, quod & reliqui omnes historici, [x] *quem locum Ecclesia Constantinopolitana vendicauerat* eundem Romanæ concessum. Romano Episcopo data prærogatiua reliquos Episcopos non exclusit: nec ergo illa quæ à Constantinopolitano quæsita est. Et quidem ita stolidum hoc figmentum est, ita ab historiæ fide & temporum vsu alienum, vt planè phreneticum esse oporteat qui sic animum inducat; qui verò alijs hoc suadere conatur, deplo-

r Idem lib. 7. ep. 30. Indict. 1.

s Idē l. 7. ep. 69.

t Idē l. 6. ep. 7.

u Idē l. 7. ep. 69

x Plat. de vit. Pontif. in Bonifac. 3.

deploratissima fide sit. Nam quod argumentatur Gregorius, [y] *si vnus est vniuersalis, restat vt vos Episcopi non sitis;* [z] *si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur*, non à Constantinopolitani mente aut incœpto, sed ab ipsa vi verbi desumptum est. Quando enim Episcopi à suis quique locis nomenclaturam sortiantur, vt ibi tantùm, non alibi cathedræ ius & potestatem habere sciantur, certè nomine ipso quodammodo extrudit omnes & omnium cathedras inuadit & occupat qui titulo vniuersalitatis ius Episcopatus infinitum & nullo limite circumscriptum arripiens, in omnibus locis idem esse videri vult quod singuli illi in suis sunt. [a] *Episcopatus vnus est*, ait Cyprianus, *cuius à singulis in solidum pars tenetur*, vt [b] *vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti sit, eiusdem sacerdotij*, cuius pars in solidum non tenetur, vbi diuiditur Episcopatus in eadem parte & superiori transcriptum ius inferiori minus est. Non ergò *caput* Gregorius tanquam vniuersalis Episcopus, tantùm per Canones quodammodo caput ad [c] *Episcopos suos*, ad *Episcopos sibi commissos*, nequid in damnum, nequid in fraudem Ecclesiæ fiat. Ac vide quî à Ioanne, quî à se, quî ab omnibus nomen *capitis* tuo sensu amoliatur, soli Christo vendicet. De Ioanne, [d] *Ex ea*, inquit, *quam prætendebat humilitate iactantiam sumpsit ita vt vniuersa sibi tentet ascribere, & omnia quæ soli vni capiti videlicet Christo cohærent, per elationem pompatici sermonis eiusdem Christi sibi studet membra subiugare.* En, Ecclesia soli vni capiti cohæret Christo; non ergò Gregorius caput; non Gregorio tanquam capiti membra omnia subiuganda. [e] *Certè Paulus Apostolus*, inquit, *cùm audiret quosdam dicere, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephæ, hanc dilacerationem corporis Dominici per quam membra eius alijs quodammodo se capitibus sociabant vehementer perhorrescens exclamat, dicens; Nunquid Paulus pro vobis est crucifixus? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Laceratio est ergò corporis Christi alteri se capiti sociare quàm Christo, quia nemo caput nostrum nisi qui pro nobis crucifixus est; nisi cui per baptismum sacrati sumus. Pergit; *Si ille membra Dominici corporis certis extra Christum quasi capitibus & ipsis quidem Apostolis subijci particulariter euitauit, tu* (Ioannes) *quid Christo, vniuersalis scilicet Ecclesiæ capiti, in extremi iudicij es dicturus examine*

y Greg. l. 7. epist. 69.
z Idem l. 4. epist. 36.
a Cyprian. de simplic. prælat.
b Hieron. ad Euagrium.
c Gregor. lib. 4. epist. 34.
d Ibid. epist. 36
e Ibid. epist. 38

ne qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuersalis appellatione supponere? Vide nec Apostolo cuiquam attribuendum vt sit Ecclesiæ caput, vt sibi cuncta Christi membra vniuersalis appellatione subijciat. Quid ille verò Christo dicturus cuius illa vox sonat; [f] *Subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus esse de necessitate salutis?* *Certè Petrus*, inquit, *primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ, Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm singularium sunt plebium capita? & tamen sub vno capite omnes membra sunt Ecclesiæ.* Sit ergò Episcopus *caput*; at nonnisi plebis suæ caput, *vt vir* [g] *caput fœminæ, vt* [h] *capita familiarum*, [i] *capita tribuum*, nemo vt sit omnium caput, quia *sancti*, inquit, *ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se vnquam vniuersalem vocare voluit.* Pessimè ergo consultum vt Pontifex Romanus nequid illi cum Sanctis commune sit, *vniuersalis* indigitetur. Denique *Luciferi* peccatum imitatur qui *vniuersalis* dici vult, quia *ad culmen conatur singularitatis ascendere vt & nulli subesse & solus omnibus praeesse videatur.* Non vult Episcopos non esse, sed vult ipse solus omnibus præesse, nulli subesse, quod vide attingat necne Pontificem tuum. Iam ne ab illo qualicunque capite præiudicium Regi generetur, quò rem omnem Bellarminus perfidè refert, animaduertendum quid de Ioanne Gregorius queratur; [k] *Honori*, inquit, *imperij vestri se per priuatum vocabulum superponit.* Vide ergo Gregorio quàm non licitum *vniuersalis* appellatione *honori imperij* se superponere; & quî fit vt iam Pontifex superponat? Gregorius *caput* scilicet *fidei* dum causam illam agit, *dominum suum* salutat Imperatorem; [l] *Pijssimus*, inquit, *Dominus noster; serenissimis iussionibus obedientiam præbeo; ego dominorum iussionibus obedientiam præbens*, cuiusmodi multò plura commemorata priùs sunt. At [m] *obedientia quam S. Gregorius Mauritio exhibebat, non debita fuit sed coacta*; sic enim Bellarmino visum est. At *ô inueterate dierum malorum*, nunquamnè finem mentiendi facis? Vide Gregorius ipse quàm contra testetur; [n] *Vtrobique*, inquit, *quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi minimè tacui.* Ergò *præbendo obedientiam*, [o] *iussionibus*, vt ibi loquitur, *subiectus quod debuit exoluit*, quomodo & Agatho ad Constantinum scripsit, [p] *Pro obedientia quam debui.* Profitentur

f Etrauag. de maiorit. & obed. c. vnam sanctam.

g 1. Cor. 11. 3.
h Exod. 6. 14.
i Num. 10. 4.

k Gregor. lib. 4. epist. 32.

l Ibid.

m Bellarm. Recognit lib. 2. de summ. Pontif. cap. 28. §. vult.

n Gregor. lib. 2 epist. 61.

o Ibid.
p Agath. epist. in synod 6. Constant. act. 4.

tur illi se obedientiam *debere*, & tu indebitam dicis? *Iussionibus se subiectos* aiunt, & tu negas, & ne mendax ipse sis, dicam illis mendacij scribis? Et quî tandem *coactum* dicis? [q] *Mauritius* scilicet *Imperator vsque adeò tyrannicè Romanam Ecclesiam premebat vt ipse S. Gregorius quamuis mitissimus esset, eum cum Diocletiano & Nerone comparauerit.* Qua vna in re singularis tua fraus & stata tibi ad lectores fallendos perfidia atque impudentia mirabilitèr elucet. Quanquam enim verum sit Mauricium aliquot post annos ad importunam omnibus auaritiam & tyrannidem degenerasse, tamen quo tempore suam in illum obseruantiam Gregorius profitetur, vide, confirmaturus cæteros Patriarchas, ne ab illo propter Ioannem malè metuant, quàm singulari illum & illustri testimonio condecoret. [r] *Nec hac in re*, inquit, *de serenissimis dominis animum vestrum mordeat sinistra suspicio, quia omnipotentem Dominum metuit, & contra statuta Euangelica, contra sacratissimos Canones agere aliquid nullo modo consentit.* Quin & quatuor post annos attende quid ad illum scribat; [s] *Dominorum pietas quæ suos consueuit miserecorditèr famulos continere, ita benigna hic subuentione resplenduit, vt cunctorum debilium inopia, largitatis eius sit consolatione subleuata. Pro qua re lachrymabili prece omnes deposcimus vt omnipotens Deus qui ad hoc clementiæ vestræ corda compunxit, incolume in amoris sui constantia dominorum seruet imperium, & victorias eorum in cunctis gentibus auxilio suæ maiestatis extendat.* Ac de Mauricij in se beneuolentia Gregorius testatur, non modò quòd illo iubente factus sit Romanus Episcopus, qua de re; [t] *Dominus Imperator*, inquit, *fieri simiam leonem iussit*, sed postea quoque, [u] *Cogitet*, inquit, *dominorum pietas de me proprio suo quem specialitèr præ cæteris semper fouit atque continuit, qui & vobis obedientiam præbere desidero, & tamen de mea negligentia reperiri reus in superno tremendoq; iudicio pertimesco.* Nec verò pepercit Imperatorem admonere siquid erratum animaduerteret, vt quòd ipsum pro occasione [x] *fatuum* dixisset, quódque [y] legem, prout visum est, cum pietatis iniuria coniunctam promulgasset. Quanta verò constantia fuerit aduersus pericula ne illum metus ab officio retardaret, ipse nobis exponit; [z] *Antè paratior sum mori quàm beati Petri Apostoli Ecclesiam meis diebus degenerare. Mores meos benè cognitos habes quia diu porto, sed si semel deliberauero non portare, contra omnia pericula lætus vado.* Quæ

q Bellarm. vt supra.

r Gregor. lib. 4. epist. 36.

s Idem. lib. 8. epist. 2.

t Idem. lib. 1. epist. 5.

u Idem. lib. 4. epist. 32.

x Ibid. epist. 31.

y Idem lib. 2. epist. 61.

z Idem lib. 7. epist. 1.

omnia qui animaduertit, facilè intelligit falsum esse, Bellarmine, quicquid prætendis quominus Gregorius fideliter & syncerè obedientiam suam atque officium Imperatori Mauritio testificatus sit. Neque enim tacuisset siquid obediendo indignum sede Apostolica & præter muneris sui rationem coactus metu præstitisset, & tu maximam Gregorio iniuriam facis qui illum siue metu siue quacunque alia causa sedis suæ & potestatis, vt tu ais, diuinitùs sibi traditæ proditorem facis. Iam ergò *caput fidei* nihil ad rem tuam, nihil ad primatum Pontificis vniuersalem, nihil ad superioritatem in Reges, figmenta ista tua vanissima sunt, tantummodo illum ex authoritate Canonum Episcopis suis superiorem ponit. Inde est quod addit, quod tu initio improbè celatum voluisti, non modò, *si caput fidei nulla pulsetur iniuria*, sed, *& Canonum manet incolumis atque intemerata semper authoritas.* Perinde enim hoc est acsi dictum foret, *si Canonum seruetur authoritas quibus Apostolicæ sedis Episcopus pro suo limite caput & primus Episcoporum*, quod Rex serenissimus optimè vidit, *pro fide per vnitatem conseruanda constitutus est.* Vt ergò ad te reuertar, Andrea, renuncia iam nobis seriò, quia *secundæ cogitationes solent esse sapientiores*, vtrumne *cauillatus* tibi videatur *Author Apologiæ pro iuramento fidelitatis* (scis quantum Monarcham vile animalculum verbo illo lacessas) qui telam illam Bellarmini retexuit & nonnisi fraude contextam fuisse ostendit. Atque illum in statu causæ præuaricatum quis non videt? nisi quòd vobis procliue est per omnipotentiam *Vicedei* vestri *naturam rerum immutare* & de spiritualibus temporalia, de temporalibus spiritualia libitu vestro fabricare. At *Auctorem*, inquis, *Apologiæ Mathæus Tortus siue quisquis ille est aureæ illius responsionis scriptor apertè grauiterque confutauit.* Rideo verò Tortum vestrum, Bellarmini spectrum, quem ita flagellauit Eliensis noster Reuerendus Episcopus vt præ ira propè omnes in insaniam coniecti sitis. Video ringi vos, & vindicias velle agere, sed ita curtæ manus vestræ vt qui cominùs congredi audeat, nemo adhuc repertus sit. Et tu inter cæteros, miserum pecus, dũ calcat pede vir doctissimus Bellarmini tui caput, calcaneum illi mordes, & togam iracundus canis vellicas, & quasi Crocodilum veritus librum eius nonnisi hìc illìc lambitas, & facis interim vt causam illi prorsus integrã relinquas. Certè luit iampridẽ Tortus pœnam suã, & tu opportunè, nihil

nihil dubita, lues tuā. Interim ne actū agā, pro responsione ad illa quæ hic à te ex Mathæo Torto descripta referuntur, remitto lectorem [a] ad *Torturam Torti*, vt intelligat quàm bellè omnia à Bellarmino tuo dictata sint. Ibi reperiet [b] *caput fidei*, quocunque sensu ad hominem accommodetur, duriusculè dictum esse, nec alteri propriè quàm Christo competere, (quod verissimè ab illo animaduersum est) proinde optimè stare posse vt *caput fidei* Gregorio nonnisi Christus intellectus sit, eoque voluerit vt pro statu Ecclesiæ conseruando primò capiti Christo suus honor habeatur, deinde canonum Ecclesiasticorum inuiolata seruetur authoritas. Vtrum malis sensum verborum accipe, sed Bellarmini tui sensus per Gregorium, per veritatem constare non potest. Hic verò quia Bellarmino in causa malè metuis, tu te illi in succursum offers, & Concilijs quæ ab illo prorsus otiosè allata, & ab *Antistite* Eliensi protrita sunt, tu aliud adiungis quod haud pluris momenti est. *Florentinum Concilium*, inquis, *Orientis atque Occidentis conuentu celebre, & sine controuersia conciliū generale.* At falsum est quod ais fuisse *sine controuersia Concilium generale*; quin potius schismaticum [c] conciliabulum siue [d] conuenticulum dici debuit, à schismatico & excommunicato Pontifice priuato causæ suæ studio coactum, [e] *vt nimirum Basiliense Concilium* à Martino quinto seque ipso conuocatum & eodem tempore celebratum *infirmaret*, tantùm quòd [f] effrænem illam Romani Pontificis potestatem infringeret, & illum Concilio generali subiectum esse decerneret. Sed quale quale esse dixeris, nihil certè ad nos, quia post mille quadringentos annos haud sat citò in lucem venit, nec nobis Concilia leges dicunt, quæ esse scimus Pontificijs legibus & arbitrio mancipata. Et tamen quid ibi quæso decretum est? Nempe *in literis vnionis*, inquis, *hæc verba sunt: [g] Definimus sanctam Apostolicam sedem & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput, &c. Cui definitioni*, inquis, *Græcus etiam Cæsar præsens, ac tota Græcia Romanæ Ecclesiæ alioqui æmula subscriptionibus suis adstipulata est.* At hic singularis tua siue inscitia siue fraus animaduertenda est. Nam qui pro Græcorum Ecclesijs ibi aderant, rogati vt de primatu Pontificis inter cætera sententiam explicarent, responderunt planè; [h] *Nos nullam ad hæc*

a *Tortur. Torti, pag. 206. 207. 208. &c.*
b *Ibid. pag. 329. 330. &c.*
c *Concil. Basil. sess. 38.*
d *Ibid. sess. 32.*
e *Plat. de vit. Pontif. in Eugen. 4.*
f *Basil. Concil. sess. 16.*
g *Florent. Concil. sess. vlt.*
h *Florent. Concil. ibid.*

respondendi facultatem habemus; vbi tamen vt Pontifici gratificentur aliquantulum, ita porrò ludunt; *Ex nobisipsis tamen proferimus summum Pontificem priuilegia sua meritò habere debere, quæ ante nostrum dissidium habuisset*; sed quæ illa, non dicunt. Postero die rursum ea de re alijsque quæsiti, [i] *ad quæstiunculas vt pridie responderunt.* Sed instantia tamen Cæsaris sui rebus suis tum quidem afflictissimis consultum cupientis, non sine magna contentione tandem effectum est, vt Pontifici in illa verba cederent, & Primatum in omnes Ecclesias subscriptione sua testatum darent. An verò hic *totius Græciæ* consensus? Immò tentata res [k] *eodem quo sæpè priùs exitu*, quia [l] *Legati domum redeuntes, Rutheni præsertim, à suis in ijs quæ Papæ concesserant auditi non sunt,* [m] *immò quæ Imperator & Patriarcha coràm approbarant, ea domi repudiata sunt tanta vehementia vt quotquot consensissent, ijs negarent officia Christianæ sepulturæ.* Immò quo animo consensus ille datus sit, ipsi mox tum ostenderunt, vbi obnixè agente [n] Pontifice vt Patriarcham ibi nouum pro altero mortuo substituerent, quia *inconueniens*, inquit, *ac indecens est vt hinc absque capite discedatis*, nullo tamen modo adduci possent, quanquam *ægrè illo ferente*, vt parerent. Abi ergo, Andrea, tu cum Concilio tuo Florentino, quod cùm omni ratione suspectum sit, non est cum illis aliquo modo conferendum à quibus ambitiosa illa Pontificis vsurpatio reprehensa & oppugnata est, quale [o] Carthaginense siue Africanum in quo negatum illi nomen *Vniuersalis Episcopi*, & vetitum nequis illum Africanus appellaret, & Chalcedonense quo Constantinopolitano [p] *paria data priuilegia* cum Romano, & [q] Constantiense simul ac [r] Basiliense quibus decreta maior Concilij potestas quàm Papæ, & [s] Brixianum in quo depositus Hildebrandus, & plura alia quæ ex historijs peti possunt, nihil vt dicam de Vniuersitate [t] Parisiensi vim ferè Concilij apud vos primitùs obtinente, quæ omnipotentiam illam Papalem à Leone decimo & Concilio eius Lateranensi probatam reprobauit, facta ad generale Concilium appellatione, quod de summo isto prętenso iudice in ordinem cogendo iudicaret. Quæ cùm tam certa, tam expressa atque manifesta sint, manifestum simul est nullam habuisse Recusantes nostros iustam causam religionis qua communionem nostram refugerent, & abdicandam fuisse potiùs insanam illam de Pontificis authoritate sententiam, nullo

i *Ibid.*

k *Paralipom. rer. memorabil apud Vrspergẽ.*

l *Func. cõment in Chronol. lib. 10. anno 1438. ex Anal. Polon.*

m *Chron. Carion. lib. 5.*

n *Florẽ. Concil. vt supra in fine*

o *Concil. Afric. sub. Bonifa. & Celest. cap 6. & 92. dist. 99 Prima sedis Episc.*

p *Concil. Chalc. act. 15. c. 28.*

q *Constantiens Conc. sess. 2. 3. 4 &c.*

r *Basil. Concil. sess. 2. decret. 2. & 3.*

s *Abbat. Vrsperg. Chron. ann. 1080.*

t *Fascic. rerum expetend. & fugiend.*

nullo vnquam idoneo testimonio, nullo nisi parasitorum suorum & iuratorum sibi hominum Concilio probatam; qua Principi suo parùm fideles & certè palàm perfidi facti sunt.

Sequitur expendenda blasphemia Pontificis qua sibi diuinitatem attribuit, & ab alijs attributam per assentationem, patientèr & placidè per superbiam admittit, quam meritò taxauit Cokus noster, & horrendi sacrilegij nomine Pontificem cum diabolo antiquo diuinitatis vsurpatore iure optimo coniunctum dedit. Obseruauerat ille Reges & Principes *deorum* elogio à Deo ipso decoratos, quòd diuinæ Maiestatis inditam imaginem, & deductam ad se potestatis illius particulam quandam habeant. [u] *Ego dixi*, inquit, *dij estis*. Hìc verò noster Eudæmon ansam arripit, & *quòd Dei nomen ad significandam deriuatam à Deo potestatem adhibitum cum hominibus sine blasphemia communicari posit*, inde Pontificiæ diuinitati fingit operculum, *Romanum Pontificem eam ob rem deum citra noxam appellari posse, quòd summam in vniuersam Ecclesiam principatum obtineat*. Quòd *obtineat*, inquis; verùm id nondum liquet vnde aut quo iure obtineat. Immò inquis, *principatum hunc à Deo institutum nemo vnquam nisi vestri similis hæreticus non agnoscit*. At tu ex patria tua Cretizas, nec principatum illum quisquam vnquam bonus sat sobrius agnouit. Et certè quanquam in Scriptura *deos* legimus ex creaturis, tamen *vniuersalem deum* nusquam legimus nisi fortè [x] *deum huius seculi*, cuius vicarius Antichristus vester est, qui [y] *primam in Ecclesiis sibi sedem arripiens*, inde vniuersæ Ecclesiæ & totius mundi principatum obtinere videri vult. At intellige quæso *deorum* nomen nonnisi illis attribui qui *Dei* vices & imaginem gerunt. Rex est autē solus qui supereminentèr gerit imaginē Dei, cuius particulas quasdā variè cōmunicat ijs [z] *qui ab ipso mittuntur*, vt illi quoque suo modulo dicantur *dij*. Nam occurrere tibi debet quod ante diximus, Regem imaginem Dei dici, Episcopum & Sacerdotem nonnisi Christi; esse autem Deum caput Christi; proinde qui vicem Dei gerit, eum caput esse illius qui gerit imaginē Christi. Quare vtut Pontifex tuus siue sit siue esse dicatur *vicarius Christi* (quo nihil est amplius quod vel prætextu aliquo sibi vendicare iure possit) certè ad illum *deorum* nomen citra vsurpationem & blasphemiam accommodari non potest. Porrò etsi *deorum* illud nomen à Deo ipso Principibus attri-

u *Psal.* 81.6.

x 2. *Cor.* 4.4.

y *Theodoret. in 2. Thess.* 2.

z 1. *Pet.* 2.14.

tributum sit, non eò tamen attributum est vt stylo & compellationi nostræ seruiat, aut eo se vocabulo quisquam ex ore hominum insigniri gaudeat, (qua in re [a] Herodes nobis tremendæ vltionis diuinæ exemplum est) sed vt à Deo peculiari iure suo dictatum citra vsum sermonis maiestati Principum & authoritati patrocinetur in vulgus, eoque cùm Reges moneantur, vt cùm [b] *dederit illis Deus honorem suum & ordinem & appellationem, perinde populum iudicent, acsi ibi Deus ipse in iudicio sederet*, tum sentiat populus cum Deo ipso se bellum gerere vbi Principibus suis, *dijs* ab illo nuncupatis, rebelles sunt. Quare in eo Pontifex Romanus Herodi similis grauissimo sacrilegio se obstringit, quòd se *deum* suorum vocibus acclamari tam patientèr fert, nec contremiscit miser vt Antichristianæ superbiæ vocabulum delendum ex libris abque oculis omnium & auditu remouendum curet. Iam in eo quod Cokum dixisse ais, *Romanum Pontificem essentialiter & vsurpatiuè Dei sibi nomen arrogare*, ita stolidè calumniaris, vt nemo hoc à te nisi vel somniante vel insano profectum putet. Nemo enim quisquam tam cœcus est, vt non planè videat *essentialiter* ad Deum, *vsurpatiuè* ad diabolum & Papam referri; hæcque ita esse *incompatibilia*, vt loquuntur, vt vbi alterum affirmatur, alterum negari necesse sit. Nec absimili stultitia concludis *diuinitatem sibi Pontificem non arrogare quòd se vicarium Dei hominem, ac seruum seruorum Dei profiteatur*. At [c] *facta loquuntur, & nos verba requirimus? Quis enim malus non benè vult loqui?* Audi verò quid olim de seruo seruorum [d] *Chamo* vestro Synodus Reginoburgensis pronunciandum censuit: [e] *Qui seruus seruorum est, dominus dominorum, perinde acsi Deus foret, esse cupit. Ingentia loquitur, quasi verò Deus esset, perditus homo ille quem Antichristum vocant, in cuius fronte nomen contumeliæ scriptum est, Deus sum, errare non possum.* Quare meminisse debes quod ante diximus ex Optato, & quidem de Donato præcursore Pontificis vestri, [f] *Quamuis non sit vsus hac voce (Deus) tamen aut fecit aut passus est quod defectum huius vocis impleret.* Quî id verò? Attende scilicet & agnosce in Donato Pontificem tuum. *Cùm super Imperatorem non sit nisi Deus solus qui fecit Imperatorem, dum se Donatus super Imperatorem extollit, iam quasi hominum excesserat metas, vt se vt Deum non vt hominem æstimaret.* Vis adhuc amplius? *Quia primus Episcoporum* esse voluit, *quasi plus*

a Act. 12. 22. 23

b Iustin. Mart

c August. in 1. Ioan. tract.

d Gen. 9. 25.

e Auentin. Annal. lib 7.

f Optat. contra Parmen. lib. 3.

plus esset ipse quàm cæteri, & dum nihil humanum voluit habere exaltauit cor suum sicut cor Dei. Porrò & illud audi; *Extulit cor suum vt nullum hominem sibi comparandum arbitraretur, & tumore mentis suæ altior sibi visus est esse, quia quicquid est supra homines iam quasi Deus est.* Adde verò & illud; *Cum Episcopi Deo debebant famulari, tantum sibi ipsius exegit vt eum non minori metu omnes venerarentur quàm Deum: hoc est quòd sibi Deus visus est.* An vides iam diuinitatem sibi quempiam arrogare posse qui tamen Dei nomen sibi non capit? Et tamen Pontifex Deum se nomine ipso dicere est ausus; [g] *Satis euidentèr ostenditur*, inquit, *à seculari potestate nec ligari prorsus nec solui posse Pontificem, quem constat à pio Principe Constantino Deum appellatum, nec posse Deum ab hominibus iudicari manifestum est.* At hoc tu ais *non inuidiosè magis quàm imperitè iactatum à nobis.* Quid ita tandem? Nempe *Canon ille*, inquis, *non de Romano Pontifice sed de omnibus omninò Episcopis loquitur.* At in eo te mentiri testis est Bellarminus tuus qui Canonem illum affert vt probet [h] *summum Pontificem à nemine iudicari*, qui tamen conscientia blasphemiæ perculsus, sacrilegam illam appendicem Pontificiæ deitatis adiungere non est ausus, tantùm prima parte sententiæ conquiescendum ratus est. Et quidem de Pontifice Romano propriè dictum esse manifestum est, quòd in eo Nicholaus Pontifex ibi versatur vt Pontificem ab Imperatore disterminet, quia [i] *postquam ad verum ventum est eundem Regem atque Pontificem, nec Imperator iura Pontificatus arripuit nec Pontifex Imperatorium nomen vsurpauit.* Quinetiam Episcopos ab Episcopis, id est, ab hominibus, iudicari posse nec Andreas quidem ipse negauerit; at Pontifex ille, de quo hìc agitur, ob id quòd Deus sit, omni humano iudicio superior constitutus est. Quanquam vt detur sententiam illam de omnibus Episcopis intellectam, quis tamen nescit, quod in eadem epistola Nicholaus eruditè ad rem suam arguit? [k] *Quod cunctis generaliter sacerdotibus* attribuitur, id multò potiùs & peculiari quadam prærogatiua ad Rom. Pontificem pertinere oportere, vt quemadmodum *Episcopus Episcoporum & vniuersalis* est; ita quoque *Deus Deorum* & vniuersalis intelligendus sit. Vtrinque verò Pontifex sacrilegus esse dignoscitur, qui abusus Constantini simplicitate (si tamen à Constantino dictum sit; miror enim, si vera res sit, ab Eusebio qui tam curiosè descripsit

g Dist. 96. c. Satis euidenter

h Bellarm. de Rom. Pont. l. 2. c. 26.

i Ibid.

k Ibid.

omnia, nisi fortè dictum improbante, præteriri potuisse) ascriptam sibi diuinitatem cum ostentatione gloriatur, & sibi vel soli vel præ alijs ad licentiæ patrocinium rapit, quod communitèr ab illo de omnibus Episcopis modesta tantùm excusatione pronunciatum est. Cæterùm quòd ais Constantinum ea ratione *à causis Episcoporum cognoscendis sibi abstinendum censuisse*, verum quidem est illum dum ad publicam Ecclesiæ causam animo intenderet, priuatis & intempestiuis Episcoporum iurgijs & querelis se miscere noluisse; sed quàm ratio illa tua non præualuit vt sibi deinceps ab Episcoporum causis temperandum iudicaret, ex ijs quę supra pro doctrina nostra notauimus abundè manifestum est. Neque verò possumus sic animum inducere tot Episcopos, tanta pietate, tanta grauitate atque doctrina tam inconsultos esse voluisse, vt Imperiali cognitioni sponte subijcerent causas suas, si alterius se fori homines & Imperiali iudicio superiores atque immunes intellexissent. Atqui iam ex hisce omnibus vide quid sis lucratus Pontifici tuo. Qui namque Reges & magistratus *deos* à Deo & pariter Episcopos à Constantino nuncupatos agnoscis, & Pontificem audis se quòd deus sit, omni hominum cognitione superiorem esse sancientem, quid eidem Pontifici dicis in illam se superbiam extollenti vt deorum iudex & arbiter diuinitatis contra sententiam suam esse præsumat, Regesque simul & Episcopos foro suo atque sententiæ non sine omnium iustissima inuidia subiacere contendat? Iam verò qui deum se dicere haud veritus est, profectò deum se ab alijs appellari haud ægrè feret. Quare per aliquot iam ferè secula mansit illud in glossa Iuris Canonici: [l] *Credere Dominum Deum nostrum Papam sic non potuisse statuere prout statuit, hæreticum censeretur.* En verò, quin & adora, si placet, diabolo certè placet, *Dominum Deum vestrum Papam.* Hìc verò mirum est, ingenium dæmonis nostri quanto se labore ad minuendam blasphemiæ atrocitatem quàm grauitèr exerceat. Ac primò per concessionem respondet, *vt nomen illud impietatis blasphemiæq; plenissimum sit, Pontificis tamen culpam non esse, in quem nec postulantem nec probantem, ne sentientem quidem translatum est.* At per tanta iam temporum spacia non sensisse credi non potest, aut si non sensit, quæ vobis Ecclesia Romana quæ tam intolerandam blasphemiam non suggessit illi corrigendam? quòd si sensit, probauit certè hoc ipso, quia non re-

[l] *Extrauag. Ioann. 22. cap. Cum interim. in glossa.*

reprobauit. *Immò*, inquis, *Pontifex & tota Romana curia istam insulsarum appellationum ineptam assentationem ita non probant, vt cùm ea verba in nonnullis codicibus reperiri audierunt, non sine stomacho mirati sint.* O vos verò nimiùm modestos repętè factos; vnde quæso vobis noua ista religio tandem incessit? Quàm verò non probant, quàm non probat ipse Pontifex cui ista patienter audita sunt, [m] *Ad te supplex tanquam ad verum sponsum (sponsa tua Ecclesia) accedit; Tu es alter Deus in terris.* [n] *Diuinæ tuæ maiestatis conspectus me terret; Omnis tibi vni potestas in cælo & in terra à Domino est tradita;* immò [o] *in quo est omnis potestas supra omnes potestates tam cæli quàm terræ:* quorum è vocibus & libris accepimus illa, [p] *Pontificem esse in cuius femore scripsit Christus, Rex Regum, Dominus Dominantium;* illum esse [q] *per quem Reges regnant*, & de quo dictum est, [r] *Dominabitur à mari vsque ad mare & à flumine vsque ad terminos terræ;* Denique Leoni decimo dictum est; [s] *Ecce venit Leo de tribu Iuda; radix Dauid; Ecce suscitauit nobis Deus saluatorem; te, Leo beatissime, saluatorem expectauimus.* Vide verò an hìc *Dominus Deus noster Papa.* At *grauitèr castigatus Romæ non nullus etiam antequam hæc glossæ appellatio animaduersa esset, quòd minus quidem aliena, sed inusitata tamē appellatione hominum aures offendisset.* O quàm grauitèr castigatus post opiparam cœnam inedia durissima ad postridianum vsque ieiunifragium. At ille non nullus quis? An [t] Sixtus Senensis, an [u] Marianus Victor, an [x] Stapeltonus noster, qui ne Pontifex Caligulæ sit absimilis, *Pontificem Optimum Maximum* stylo diuinitati proprio salutant? An ille qui Paulum inscripsit, [y] *Optimum Maximum in terris Deum?* An Benedictus ille de Benedictis qui lucubrationes suas dedicat [z] *Paulo V. Vicedeo* (siste hìc & appende [a] *numerum bestiæ 666.* sequitur appendix) *Christianæ reip. Monarchæ inuictissimo, & Pontificiæ omnipotentiæ conseruatori acerrimo.* Habetur ibi in tabella Paulus quintus effigiatus, & sententijs istiusmodi circumstipatus; [b] *Gens & Regnum quod non seruierit illi, in gladio & in fame & in peste visitabo super gentem illam, dicit Dominus*, nempe vt Babylonis regem intelligas; & [c] *Dedit ei Dominus potestatem & Regnum & omnes populi ei seruient; potestas eius potestas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur*, scilicet vt Antichristum ipsum sacrilegum Christi æmulum agnoscas. Dic iam Andrea, annon tibi

Paulus

m Concil. Lateran. sub Iulio 2. sess. 4. orat. Christoph Marcel.

n Concil. Lateran. sub Leon. 10. sess. 9. in orat. Anton. Puccij.

o Ibid. sess. 10. in orat. Stephā Archiepisc. Patracens.

p Gerson. de potest eccl. consid. 12.

q Sacrar. ceremon. eccl. Rom. l. 1. cap. 2.

r Ibid. cap. 8.

s Lateran. Cōcil. sub. Leone 10. orat. Simon Begn. episc Modrus.

t Sixt. Senens. epist. dedicat. ad Pium. 5.

u Marian. Vict tom. 4. oper. Hieron. ad eund.

x Stapelton. demōstrat. Princip. doctrinal. ad Gregor. 13.

y Philip. Mornay. Myster. iniquitat. in præfat.

z Ibid. ex lib. Benedict.

a Apoc. 13. 18.

b Idem. 27. 8.

c Dan. 7. 14.

Paulus quintus *Dominus Deus noster Papa?* certè Rauilloca vestro (quis dubitat quin per vos?) *Papa est Deus & Deus est Papa.* At tu ænigma nobis aperis, *minùs aliena* ista quidem esse, sed tamen *inusitata*, eoque à vobis improbari. Atqui si vera ista sunt, si consentanea, si *minùs aliena*, cur improbantur à vobis quòd *inusitata*, quando cedere necesse sit consuetudinem veritati? Optimè verò tu rem explicas, ni fallor, *inusitatum* quidem, sed *minùs alienum* vobis esse vt dicatur, *Dominus Deus noster Papa. Antequam*, inquis, *hæc glossæ appellatio animaduersa est.* Atqui supra ducentos iam annos blasphemia illa stetit in glossa, quo tempore quanto numero Iuris Canonici editiones vestræ? Et tu illam interim non animaduersam dixeris? Itanè vt nemo illam typographus, nemo Theologus, nemo iuris studiosus, nemo interpres, quorum tanta vobis copia, viderit, oderit, expungendam curarit? Quin per centum propè annos quoties exprobrata illa vobis, quàm odiosè inculcata, & tu non animaduersam narras? Immò animaduersa probè, sed non ea visa vt emendatione opus esset, quia *minùs alienum* vobis vt audiatur, *Dominus Deus noster Papa.* Quam ego vocem sacrilegam & immanis blasphemiæ plenam *in Antichristi Demonstratione* mea memineram, quæ haud leui argumento esse posset Pontificem esse qui in templo Dei sedeat tanquam Deus, eoque Antichristum esse. Rideo verò iam postquam animaduerto quantum tu operæ sumas, quàm miserè te torqueas, quot in facies & formas te vertas vt tam luculentum impietatis vestræ testimonium euites. Ac primò ais locum te illum in codice tuo non reperisse, eoque me grauiùs castigasse donec à quibusdam amicis admonitus intelligeres in quibusdam exemplaribus ita legi; consuluisse te varios codices, & in ijs vetustiores sic habere, *Dicere Dominum nostrum Papam, &c.* Eoque à te deprehensum, quod dicitur, *Dominum Deum nostrum, mendum esse* quod typographorum correctorumque præli incuria in eum locum irrepserit. Ita recitas hìc quæ alibi abs te contra me dicta sunt. At liceat mihi, quæso, sciscitari, cùr hìc *vetustiores libros* commemores in quibus habeatur, *Dominum nostrum Papam*, qui in loco quem repetere videri vis, recentiores potiùs nobis narras, *Lugdunensem anni* 1553. *apud Hugonem à Porta & Anton. Vincent. Parisiensem anni* 1549. *apud Ioannem de Homine sub signo Vnicornis*; *Venetianum anni* 1582. *sub signo Pij quinti Papæ, omnes in quarto.*

to. Certè vbi de librorum vetustate agitur, recentes istæ omnes editiones habendæ sunt; ita qui recentes ibi codices appellas, hìc videri vis appellasse *vetustiores.* Cæterùm aut me animus vehementèr fallit, aut tu hìc factum facis quo veterator egregius & profligatæ fidei fœdissimus impostor habendus sis. *In vetustioribus codicibus*, inquis, *non sic habetur.* At cedò quibus illis? Certè verum est; in quibusdam vetustioribus codicibus non ita legitur, sed ea causa non legitur quia neque glossa ibi neque vel textus Extrauagantium illarum est, quales quidem plures editiones vetustiores in quarto sunt. Interim vetustiores libri omnes in folio, in quibus solis Extrauagantes illæ Ioannis vicesimi secundi habebantur, summo consensu legerunt, *Dominum deum nostrum Papam.* Tandem vnus in Ecclesia Romana repertus est Tilemanus Keruer Parisiensis anno 1511. qui Extrauagantes illas in quartanam suam editionem transferens *diligenti adhibita correctione tam in textu quàm in glossis* infandum elogium expunxit, quem fortasse alij quidam post in libris suis in quarto quanquam ex tuis post sedulam inquisitionem nullum adhuc videre contigit secuti sunt. Correctio verò illa haud ita probata est vt in chartas foliatas admitteretur, de quibus optimè Lector intelligat nihil à nobis dici, in quo non omnes ad vnum codices toto orbe Christiano consentientes sint. Iam qua tu fronte Lectorem perfidus illudis, & inhonesto subterfugio nonnisi dolos agis? Atqui fraudis huius vt videtur conscientia remorsus, veritus ne in illam curiosus Lector diligentiùs inquirat, & propterea tibi alia ratione consultum esse cupiens, Æthiops qui pellem mutare nescias, oblinis illam ni fallor, altera fraude, cui viam, opinor, aliquantulùm priori illa munire voluisti. Neque enim *in vetustioribus codicibus* acquiescendum ratus, vt est perfidia semper ex suspicione versipellis & varia, remittis nos ad Bibliothecam Vaticanam, & sepultum ibi, nescio quot annos, Zenzelini glossatoris codicem manuscriptum in lucem eruis, vbi ita scriptum narras, *Dicere Dominum nostrum Papam*, vt *Dei* mentio nulla prorsus habeatur. At qui codices impressos tam impudentèr, tam improbè mentiris, quis tibi de Bibliotheca Vaticana tam remota nobis & reclusa fidem habeat? Et quid ad rem quòd codex ille manuscriptus non habet, quando habent alioqui bona vestra cum venia codices foliati omnes toto orbe Christiano? Et habet quidem cor-

d Gregor. 13. Diploma. edit. Iur. Canon. anno 1582. præfix. decret. Gratian.

rectior illa vestra editio Romana anni 1582. qua [d] *prouidere voluit Gregorius 13. vt omnem omnibus aberrandi à fide occasionem subtraheret, Cardinalibus quibusdam alijsq́ pietate & doctrina insignibus viris demandata cura Ius Canonicum cum glossis reuidendi, corrigendi atque expurgandi, cui sic expurgato prouisum est ne cuiquam liceat quicquam addere aut immutare aut inuertere, vllavè interpretamenta adiungere, sed prout in vrbe Roma tunc impressum est sancitum vt semper & perpetuò integrum & incorruptum conseruetur.* Habet & secundùm illam editio Parisiensis anni 1601. & Lugdunensis anni *1606.* & habent hactenus omninò omnes, quia Correctoribus deputatis qui *quæ ab impijs scriptoribus tam extra in marginibus quàm intra glossas aspersa fuerant Catholicæ veritati contraria* delerent, locus ille haud corrigendus visus est. Hìc se suffocatum sensit Andreas noster, quòd haud commodè videatur excusari posse, locum illum in castigatione glossarum à Censoribus intactum præterijsse, & quidem vbi tanta curiositate acta res est, vt nihil ibi deinceps minuendum aut immutandum decernatur. Enimuerò miserrimam esse necesse est Ecclesiæ Romanæ pietatem, vbi Cardinales & pij qui dicuntur viri sic ad impietatem obduruerunt vt atrocissimam blasphemiæ vocem patientèr ferant, quam pius quisque, verè pius, scalpendam vnguibus, & cum stomacho atque indignatione conspuendam putet. Sed ille tamen ne sacrilego furori desit operculum, primò *miraculum non esse*, ait, *si mendum in vna vocula positum fugerit correctores, idq́ in glossa quæ vt minus habet authoritatis, ita fieri potuit vt minùs accuratè corrigeretur, & vel incuria vel fatigatione homines plurimarum rerum occupationibus distractos errare potuisse.* Cæterùm verò quid ais, Eudæmon? an ita vestris *sepulchrum patens guttur eorum* vt totos camelos tam facilè deglutiant? an ita vdi vobis oculi vt tam ingentes trabes absque molestia præternatent? Itáne vt fugeret illos mendum tam graue quos ad rem suam nihil ibi fugit? vt tu vel *incuriam* causeris vel *fatigationem*, vbi tot oculis, tot arbitris inspecta res, tam longo tempore cognita, recognita, curata, recurata est? Et quid glossam narras minùs accuratè forsitan correctam, vbi præter glossam nihil fuisse constat quod illis corrigendum videretur? Sed quia nullibi tutus est, vide, bone Lector, quibus illum anfractibus amentia sua circumducat. *Quanquam*, inquit, *si eam vocis huius minùs quidem vsitatam*

tam

tam in sermone quotidiano Christianorum, sed à Scripturarum consuetudine non alienam significationem indulgendam vetusto scriptori censuissent, non laudanda illa quidem, sed tamen tantis clamoribus nimia eorum indulgentia digna non fuisset. At quid hîc monstri alit in pectore, vt tantùm *non laudandam* dicat blasphemiæ tam execrabilis indulgentiam? immò vt vocem impiam, ne Domitianus accusetur amplius, eodem ipso olim sacrilegio damnatus, *à Scripturarum consuetudine non alienam* affirmet? Quisquamnè verò hominum in Scripturis, *Dominus Deus noster*? Etsi namque Reges & Iudices *deos* simplicitèr nuncupatos habeamus, datum tamen cuiquam vt diceretur *Dominus Deus noster*, vel *Deus noster*, nunquam à seculis auditum est; tantùm de vitulis & idolis dictum meminimus; [c] *Hi sunt dij tui*; cum quibus optimè ab illo Pontifex Scripturarũ scilicet authoritate, consociatus est. Ac tu, Andrea, qui Reges non negas *deorum* vocabulo in Scripturis insignitos, dic an illa tibi vox non ingrata sonet, *Dominus Deus noster Rex.* Noli de Elizabetha mentiri; nunquam illa factum sibi tantum probrum læsæ diuinæ maiestatis cum patientia sustinuisset. Quia verò vobis Regum *pares* sunt Cardinales, cur illud quoque non placeat, *Dominus Deus noster Cardinalis Bellarminus?* Et quia Claudius Aquauiua Generalis vester traditam à Deo (sic enim vultis, velit nolit Deus) potestatem exercet, sit ille quoque *Dominus Deus noster Claudius Aquauiua*; & quia Iudices *dij*, audiatur tandem à vobis, *Dominus deus noster Iudex*: de Episcopis quia illi tibi ex Constantini sententia *dij* sunt, *Dominus deus noster Episcopus Ostiensis, Eugubinus, &c.* Aut si ista cogitatu nefaria, dictu horrenda sint, quæ omnia de tuo fundamento constructa sunt, qua tu fronte non alienum à Scripturis esse dicis, vt dicatur à vobis, *Dominus Deus noster Papa*? Id quod iterum atque iterum, os impudens, inculcas, *nihil hìc à Scripturarum consuetudine alienum dici; loquendi rationem istam à Scripturarum vsu non penitùs abhorrere*, quam eo tantùm improbas, *quòd illam quotidianus fidelium vsus nunquam admiserit.* At iterum interrogo, cur non admittat vsus quod à Scripturarum veritate haud alienum sit? cur *offendat religiosas aures* quod à Deo religionis authore profectum est? Immò propterea vocem illam Christianorum vsus abhorruit, quòd cum detestabili blasphemia coniunctam non modò pietas, sed communis ipse naturæ

[c] *Exod. 32.4. 1. Reg. 12.28.*

sensus agnoscit. Quare quod tibi tam in voto est vt istam vobis impietatem dehinc obijcere desinamus, nullo modo assentimur, quin multò potiùs elaborandum putamus, vt singularis hæc impudentia vestra magis ac magis in lucem hominum atque odium incurrat, vt Pontifex Romanus antesignanus vester ipsemet Antichristus esse sciatur, cui dum se *Seruum seruorum* communi hominum ludibrio scribit, tam sacrilegæ istæ voces, quæ illi diuinitatem attribuunt, tam patientèr auditæ sunt.

CAP. VI.

Occasio peruersitatis Recusantium, non religionis sed Pontificis obseruatio. Legum in illos æquitas ostenditur & necessitas, idq; ex testimonio Sacerdotum suorũ. Ficti illorum Martyres veri proditores. Parreij proditio à Iesuitis & Pontifice comprobata. Comparatio Mariani quinquennij cum 45. annis Elizabethæ.



OFfendit te multùm, Andrea, quod Cokus asseruit, Romano-Catholicos, Elizabetha regnante, per vndecim annos Ecclesias & preces nostras haud repugnantes adijsse; quod tu pro sapientia tua Garneti vestri testimonio reuincere conaris. Ille namque *plures* refert *sibi notos qui ab initio regni* Elizabethæ, quo ille tempore nonnisi quatuor annos natus est, *precibus nostris interesse recusarunt; tametsi fortè*, inquit, *Catholicorum plurimi* (tu pro *plurimis aliquos* perfidè substituis) *ante Concilij Tridentini decisionem (vbi hoc à duodecim viris doctissimis disputatum & minimè licere definitum est) Ecclesias adirent.* Iam verò Tridentini Concilij confirmatio cum tertio mense sexto iam anno regnantis Elizabethæ coniuncta est, cuius illa sententia quia haud momento percrebuit, planè concedit Garnetus propè ad sex annos *plurimos Catholicorum* nobiscum ad sacra conuenisse, siue vt Sanderi verbis vtar, [a] *cùm tot essent antiquæ fidei in regno cultores, plerosq; tamen ritus nostros publicè vel amplexatos esse vel præsentia sua vtcunque exteriùs approbasse*, vt hactenus à Coko nihil incommodè dictum sit. Quòd si ab illa Concilij definitione grandis aliqua mutatio contigisset, & mox vestri omnes communi consilio à priori consuetudine recessissent, suspecta res fuisset,

[a] Sander. de schism. Angliæ Colon. Agripp. 1585. pag. 161

fuiſſet, nec defectio tam periculoſa proximis Comitijs poſt biennium habitis abſque legis remedio præterijſſet. Neque enim illa erat ordinum noſtrorum incogitantia vt non grande aliquod malum huic ſeceſſioni ſubeſſe ſentirent, cui maturè legum obices & repagula opponere oporteret. Atqui nihil ibi hac de re ſancitum, ex quo abundè conſtare poterit haud quicquam tunc apparuiſſe quod nouæ legis ferendæ cauſam daret. Fuerint ergò aliqui, neque enim hoc negatum eſt, quos tamen ex tanto numero pauciſſimos fuiſſe vel ipſa Garneti reſponſio declarat, & ex illis Garnetus ipſe, credo, haud quiſquam fuit: fuerint, inquam, aliqui, qui ante bullam Pij quinti à cõmunione noſtra diuiſi ſunt, certè pars multò maxima cũ Eccleſia noſtra coaluit ad ſacra, nec illis noſtro ritu comprecari Deum & religionis officio defungi faſtidio fuit. Poſtquã verò Pius quintus bullam illam inflauerat, & obedientiam Elizabethæ præſtandam vinculo anathematis interdixerat, continuò murmur eſſe cœperat & timidiores veſtri facti ſunt, quominùs ad preces & ſacramenta noſtra ſponte coirent: quo liquet Pontificis tantùm, non religionis habitã rationẽ, quam alioqui cauſa eadem fuerat cur antea repudiaſſent. Ab hac bulla motus ille Borealis non ita multò poſt inſecutus eſt, & confœderatio Pontificis ſub prætextu religionis in apertam rebellionem erupit, nec refugere modò multi veſtri ſacros conuentus, ſed Marte ac ferro Reginæ depoſitionem & religionis excidium moliri cœperunt. Illa verò ſeditione compreſſa, & ſumpta de proditoribus vltione, rebuſque in pace atque otio conſtitutis, plerique mox redierunt ad ingenium prius, vt conformes ſe legibus exhiberent, & preces noſtras ac publica religionis officia pauciſſimi detrectarent. Et quidem brutum illud fulmen quàm non magno poſt effectu fuerit, Sanderus ipſe docet, qui vbi vnum aut alterum narrat propter eius publicationem extremo ſupplicio perijſſe, adiungit, [b] *Catholicis cæteris vel quia non agnoſcebant iuridicè publicatum, obſeruarentq́; vicinos Principes ac prouincias Catholicas ab aſſuetis cum illa commercijs non abſtinere, vel quia paulò poſt, promulgatore Pio quinto mortuo, non ſciebant à ſucceſſore ſuo renouatum ac confirmatum, vel ſaltem (licet priora cauſarentur) propter metum, in eius obedientia permanentibus.* Neque verò multos fuiſſe qui ab Eccleſijs noſtris & ſacris abſtinerent vel illud argumento eſſe poterit, quòd Briſtous, Martinus, Parſonius,

b Sander. de ſchiſ. Angl. pag. 185.

ſonius, Campianus, Sherwinus, Bagſhaus, Stauertonus, Cecilius, Warfordus, Cornelius, & reliqua illa omnis profugorum turba, quoadusque hîc vixerunt, conuentus nobiſcum exercere non destiterunt. Atque ita res ad ingreſſum vſque Ieſuitarum tolerabiles manſerunt, neque grande aliquod noſtrorum aut ferè ſpectabile in Eccleſijs pleriſque diſcrimen fuit; Recuſantium ferè tota illa peruerſitas ad Ieſuitas eorumque ſuccenturiatos Seminariſtas, & excogitatas reconciliationum artes & dolos referenda eſt. Tu tamen ais *dogma de Pontificis in Principes poteſtate mentibus Catholicorum infixum antequam Ieſuitarum quiſquam huc pedem inferret.* Et nos quidem hac in re ſuperſtitionem antea fuiſſe aliquam non dubitamus, ſed languidiorem illam & tepidiuſculam; per Ieſuitas verò dicimus illam & manaſſe latiùs & tenaciùs ac fortiùs inſediſſe. Inualuerat enim in noſtrorum animis & radices egerat doctrina de ſuprema poteſtate Regia, quam Henrici octaui tempore Tonſtallus Dunelmenſis & Longlandus Lincolnienſis concionibus in vulgus editis; Tonſtallus idem & Stokeſleius Londinenſis ſcripta ad Polum Cardinalem epiſtola, Gardinerus Wintonienſis libro *de vera obedientia*, & Bonerus præfatione in eundem; quam Epiſcopi præter Roffenſem omnes, Abbates, Priores, Conuentus, Clerus vniuerſus, pauciſſimis exceptis, communi ſententia & ſubſcriptione teſtificati ſunt. Dederunt illi quidem, ſaltem aliqui, Marianis temporibus vt in ſententia mutarent, ſed ita tamen vt nunquam ab illis ſatisfactum ſit argumentis ſuis; neque obliterari quinquennio illo poterant quæ tam recentis memoriæ ſatis explicata recordatione ſuppeditata ſunt. Quanquam datus eſt tum Pontifici primatus tantùm in ſpiritualibus; de Principibus verò deponendis peſtiferum dogma minimè reualuit, nec vel Mariæ ipſi, quanquam erat in Pontificem ſuperſtitioſior, proditoria illa ſententia vnquam probata eſt. Nec verò tam degeneri erat animo vt non illi ſe aliquando in os opponeret vbi miſcere ſe Principum cauſis falcemque in alienam meſſem immittere compertus eſt. Itaque ante Bullam editam vndecim primis annis Regni Elizabethæ de poteſtate Papæ pauciſſima quæſtio, neque quiſquam eo nomine periclitatus eſt; poſt illam verò promulgatam ſententiam vſque ad Ieſuitarum aduentum nonniſi [c] ſeptem à Sandero commemorantur ad pœnam capitalem ea cauſa poſtulati, è quorum

[c] Sander. de ſchiſm. Angl. in fine.

rum numero Feltonus, Storeus, & Northumbrius veteri Angliæ lege ante atauos Henrici octaui manifestę perduellionis rei, propterea prudentèr hìc à te in tuo [d] Martyrum catalogo (mirum verò quòd te Martyrum illorum puduerat) prætermissi. Quare à Iesuitis abinde ortæ omnes turbæ nostræ, quorum funestus in Angliam ingressus quantas, Deus bone, quàm multis calamitates tulit? Illorum enim hæc omnis opera, hoc opus fuit vt hominum animos Ecclesiæ Romanæ conciliatos ad Pontificias designationes & seditiosa consilia subactos tenerent. Postquam enim Pontifex spe sua ceciderat, qua leuiculo Bullæ suæ flatu mox sufflandam Elizabetham, & redituram hinc sedi suæ prædam satis opimam phrenetico spectro delusus somniasset, haud decedendum à cœpto suo ratus agit porro labore omni atque consilio ne irrita sententia in ludibrium sibi cedat, quam illum videant omnes in effectum potestate sua tanta mitterę non posse. Atque ad hanc rem Iesuitis maximè, conscius quàm essent ad impios conatus expediti, administris vti voluit, quorum opera inductus Hispaniæ Rex duram prouinciam Elizabethæ de regno deturbandæ, gentisque nostræ sibi & Pontifici subiugandæ hostili manu obeundam suscepit. Cæterum vt hoc ei tantæ molis negotium fœliciùs & minori rerum discrimine succedat, curatum inprimis vt distractæ intùs ciuili dissensione vires nostræ minùs aduersus hostem externum valentes essent. Eò Iesuitarum industriam liberalitèr ante promissam applicuit, qui in hoc regnum authoritate Pontificia submissi, Campianus, Parsonius, Sherwinus, Hartus, & reliqui, solicitatos ad defectionem populares nostros & dein arctissimo iuramenti vinculo cum Pontifice confœderatos in illam amentiam perpulerunt vt ad seditionem in procinctu starent, & assiduè ad opportunitatem illam aduigilarent & anhelarent, qua cum Hispano coirent viresque suas coniungerent, futurum sperantes vt esset excidio nostro & triumpho Hispanico ac suo *Octogesimus octauus mirabilis annus*; ille, inquam, annus ad quem oculis & animis intenti erant, & in quem spes suas omnes tanquam in Arcam salutis & fortunarum suarum stulto omine contulerant. Inde illa Recusantium pestis inualuit, inde natæ variegatis operis proditiones infandæ, inde leges in vos & vestros duriores exortæ sunt, inde illa, quæ etiamnum per vos hæret animorum obstinata durities; qua vtut liberum illis sit de

spirituali

[d] Pag. 164. 170.

ſpirituali Pontificis authoritate ſentire quod velint, non acquieſcunt tamen, niſi detur illi quoque, quod ante apud nos vix auditum eſt, vt Regem, vbi viſum fuerit, regno ſuo exſpoliando poteſtas ſit; inde denique ſanguis ille omnis luendus olim animabus veſtris, qui perduellionis nomine iuſtiſſima legum vindicta fuſus eſt. Noli ergo de Recuſantium numero ante illa tempora gloriari; perexiguus ille quidem, maximè ante Bullam illam diras ebullientem, & haud multùm periculoſus fuit. Neque verò moramur quid econtra Parſonius aut Sanderus, homines in nos fide Turcica, ſcriptis ſuis mentiti ſint, quorum ille ſemper animus & mos fuit multiplicare ſibi nomina copiaſque ingentes promittere, quas præſtare haud opis illorum fuit. Quanquam Parſonins, Catholicus ille Theologus tuus, nihil ex ſe dicit; tantummodò Sanderi teſtimonio rem agit, cui quæ fides habenda ſit ſatis antè dictum eſt. Et ille quidem *trecentos* narrat, vt tu refers, ab initio regni Elizabethæ in partes tranſmarinas commigraſſe; ſed illud quorſum, quando non agit Cokus initio regni quid acciderit (eſto vt trecenti tum rerum mutationem non probantes aufugerint) ſed rebus conſtitutis quî ſe geſſerint qui apud nos deinceps in partes veſtras propenſi vixerunt, è quibus ſi Epiſcopos quoſdam mittas & Clericos, exiſtimationi conſulentes magis quàm fidei, pauciſſimi certè fuerunt in numero noſtro qui de adeundis Eccleſijs noſtris precibuſque nobiſcum frequentandis litem fecerunt. Sed tu, Andrea, dic nobis pro Sandero tuo de tanto illo profugorum numero quid factum ſit? Neque enim Seminaria tum vobis inſtituta, & poſtquã inſtituta, ſcimus quàm ægrè ibi vobis ad victum ſuppeditatum ſit; quanta neceſſitas incubuerit emittendi hùc miſeros homines nonniſi ad cædem, quia per numerum ibi quanquam haud magnum ſuſtentari non poſſent. Quid ergò, inquam, de trecentis illis factum & quibus tandem eleemoſynis victitaſſe memorantur? quiſvè eorum pòſt ad nos appulit qui patriæ ſuæ tam longi otij fructum daret? Porrò quod profugiſſe tum narrat *Religioſorum tres integros conuentus,* haud magis credimus quàm Sandero ipſi credimus cum viro bono conueniſſe. Alioqui cur ab illo non nominantur tres illi ex paucis illis, qui à Maria Regina reſtituti ſunt? Et certè mirum eſt non animaduerſum à Chronographis noſtris, ne Stoo quidem, homine veſtro, ſi tanta veſtrorum in partes exteras ſeceſſio

cessio fuisset. Quæ verò præter Sanderum nemo nouit, nemo animaduertit, quis dubitat quin mendacia sint ad faciendum tantummodò populum miserè conficta? Iam verò qui nonnisi Sanderum huius rei testem affers, (Catholicus enim Theologus tuus ab illo quoque fabulam mutuatur) qua fronte *tantam* illam *tam locuplitum testium nubem* commemoras quasi grauissimorum hominum corona circumsessus in causa stares? Et tu tamen ipse proxima sententia testimonium illud propemodum euertis. *Pauciores*, inquis, *fortassè initio fuerunt qui liberè vobis repugnare auderent.* Stulte, si *pauciores initio* fuerunt, cur tu *ipso initio regni Elizabethæ* tuum illum numerum grandiorem affirmas? aut si initio ipso tam multi fuerunt, cur hìc *pauciores* nobis narras? Et quidem teste Sandero *pauciores* narras; *nunquam tamen*, inquis, *in Anglia defuerunt, & quidem permulti, qui vel ab ipsis initijs fidem Catholicam* (Romanam intelligis) *liberè profiterentur.* At illi *tui permulti*, quæso, quàm multi? Certè Sanderus ipse tuus, quanquam in nos inuidiosius, tamen apertè ita loquitur; [c] *Ita vel vi vel arte factum est vt maxima Catholicorum pars vsque eò hostibus paulatim cederent, vt schismaticorum Ecclesias, conciones, communionem ac conuenticula aliquando publicè adire non recusarent.* Vbi cum *maximam partem* euidentia rei coactus quanquam inuitus agnoscit, facilè prudens lector intelligat quid de illo tuo tam magno numero sentiendum sit. Certum est non ita multos in tanto regno fuisse qui non mox parendam sibi legem & Ecclesias nostras ad sacra officia peragenda frequentandas putarent. Quod vel inde ferè liquere poterit quòd primis ipsis Comitijs non nobilium tantummodo pars multò maxima, verumetiam delecti ritè atque ordine per singulos regni Comitatus probatissimi viri tam propensis animis tantoque consensu Liturgiam nobis vsitatam lege sanxerunt. Iam qui Cokum reprehendis quòd de rebus ante se natum factis tam confidentèr pronunciet (falsò id quidem à te dictum qui homini supra quàm sexagenario nonnisi annos quinquaginta ex transfugarum nescio quorum affirmatione numeras) cui tamen ex multo vsu res nostræ, etiam ante se natum, probè compertæ esse possunt, quid de te statuendum putes qui vix credo, dimidiam illius ætatem assecutus, peregrinus & à rerum nostrarum notitia & consuetudine remotus, ex fugitiui hominis testimonio qui ipso aduersarij nomine meritò tibi suspe-

[c] Sander. de schism. Angl. pag. 161. Colon. 1585.

ctus sit, de ijs rebus audacissimè sententiam dicis, quæ alioqui tibi nullo modo exploratæ sunt. Quòd verò ait Cokus *ad annum vsque decimumnonum Elizabethæ Romano-Catholicos vestros precibus nostris frequentes interfuisse*, haud vllam in eo inconstantiam prodit, qui etsi plures ait Pij quinti bulla permotos preces nostras atque Ecclesias refugisse, haud paucos tamen fuisse significat qui in legum obsequio postea permanentes, sacra nobiscum facere non destiterunt. Quod verissimum esse docuit Houlettus ille personatus, verè Parsonius, qui sub ingressum suum in Romano-Catholicos vestros quòd ad cœtus nostros se adiungerent, acerbissimè inuectus est, & minacissimo scripto grauissimo animarum denunciato periculo communione nostra interdixit. Quare ante Iesuitarum ingressum lex de Recusantibus lata nulla, à quibus quòd non multi fuerant, non multum negotij, nihil periculi fuit; quanquam ne numerus augeretur, cautum est, & quidem pœna capitali, anno Elizab. 13. ne quisquam hùc Bullas Pontificias importaret neue admitteret, neue earum virtute aliqua siue absoluendum se, siue cum Ecclesia Romana reconciliandum præberet. Hìc tu, *Nihilnè aliud*, inquis, *ea lege cauebatur nisi nequis bullas Pontificias inferret in Angliam?* Immò cautum est etiam, etsi non eadem pœna, aduersus nænias vestras & *spiritualia nequitiæ*, veras animarum incantationes & veneficia, *Agnos Dei*, *globulos sanctificatos*, *Rosaria*, *picturas*, *cruces*, & eiusmodi cætera Pontificia scilicet benedictione consecrata, quibus ad superstitionem effascinati homines se in illius obsequium addictos testati sunt. Percommodè tu verò ista commemoras quibus aluit Pontifex suorum hypocrisin & perfidiam, inscripto *Agnis* suis emblemate, *Fili, da mihi cor tuum & sufficit*, quo edocuit sibi haud displicere vt externo quoad opus esset obsequio se ad temporum rationes & Principis ingenium accōmodarent, modò vt interim mentem ipsi sacram, eique ad imperata, vbi opportunum esset, expeditam seruarent. Quod vberiùs postea confirmauit facultatibus Parsonio & Campiano concessis, vt *Bulla Pij quinti obligaret semper Reginam & hæreticos, Catholicos verò nullo modo obligaret rebus sic stantibus, sed tum demum quando publica eiusdem bullæ executio fieri posset*; interim ergò absque discrimine simulatum Principi obsequium, quod bulla illa interdictum fuerat, præstare liceret. En verò Pontifex quàm sanctè suorum

con-

conscientijs consultum vult, quo authore mentitis officijs nefarias proditionum intentiones incrustant, & quod prætextu diuini nominis illicitum atque impium ab illo denunciatum est, sibi tamen vt per hypocrisin tutò liceat, illius authoritate satis indultum putant. Cæterum dimissis citò stultarum mentium fascinis illis & ludibrijs, regrederis ad bullas, & *quas tandem bullas*, inquis, *sanguinarijs illis legibus arcuistis?* Enimuerò iure ac merito simul omnes explodimus, quia regno ac religioni pariter omnes infestæ sunt. Neque enim alio fine mittuntur in Angliam, quàm vt Pontificia in hoc regnum potestas saltem obliquè, asseratur, quæ citra summam Regis iniuriam & contumeliam indignissimam agnosci non potest. Quare Maynus ille tuus, Presbyter è Seminario, non eo solùm quòd Iubilæas indulgentias ex diplomate Pontificio publicaret, neque verò quòd Catholicus Sacerdos esset, & Agnos Dei, cæteraque illa superstitionum vestrarum incantamenta contra leges inferret, quod [f] Pollini vestro Italo visum est, sed quòd de bulla illa postulatus, Pontificiam vsurpationem & tyrannidem Regia maiestate superiorem in hoc regno esse defenderet, meritò capite mulctatus est. Quod tu ex Stoo, quem citas, probè vidisti, qui eò morti adiudicatum narrat *quòd Romanam potestatem prætulisset*, nisi quòd videre non libet quod rationibus vtcunque tuis aduersum est. Rideo verò qui te lego dicentem, *legem illam anni 13. Reginæ Elizabethæ in odium Romano-Catholicæ religionis & Pontificiæ potestatis, non ad retinendum regnum esse latam*, quando hac ipsa causa post Boreales illas ex bulla Papali tumultuationes legem sancitam nemo non intelligit, quòd per potestatem illam Pontificiam qua superbus latro regnum dederat in prædam, regnum illa quà penes illum retinere non sineretur. Qua non illud tantummodò actum Cokus intelligi voluit *ne nouis excommunicationibus*, quod tu ineptè cauillaris, vna enim illa satis superque fuit, verumetiam ne alijs quibuscunque seductionum vestrarum illecebris *populus ad seditionem impelleretur*. Neque enim excommunicationibus tantùm consilia vestra geruntur, sed multæ vobis fascinationum artes quibus facti homines extra se, siue ad occultas proditionum insidias, siue ad apertos, vbi occasio feret, tumultuum furores insana temeritate præcipites ruunt.

[f] *Gir. Pollin. hist. ecclesiast. Angl. lib. 4. Italice.*

In Campiani vestri defensione frigidior mihi videris & meticu-

culosior, quasi in hac causa spinæ tibi tractandæ sint. Ad Alanum remittis Lectorem, totius consilij participem & proditionis architectum, quasi non se mutuò muli scabant; quasi non latro latronem, ne ipse reus sit, clamitet innocentem. *Stous*, inquis, *auctor est Campianum ac socios obiecta sibi crimina audacter negasse.* Quasi verò non idem homicidæ soleant & raptores & fures, & quicunque flagitijs suis ad tribunalia raptantur, iustam damnationis suæ sententiam percepturi. Mendacium esse dicis quod ait Cokus, *venisse Campianum magna eius farinæ hominum caterna comitante*, sed in te tuum mendacij probrum redit, quia *eius farinæ homines* nemo Iesuitas tantùm intelligit, sed reliquos quoque qui cum illis hac in causa confœderati sunt. Quanquam non venerunt tantùm è Iesuitis Campianus & Parsonius, quod tua exceptio mentitur; venerunt etiam Bosgrauius & Heywodus & Cottamus, ne numerem Briantum, qui vt etiam Hartus hic in numerum vestrum conscriptus est. Seminaristæ verò qui venerant ante paucissimi, venerunt tum magno numero & per omnes regni partes disseminati sunt. Ac rectè quidem Cokus obseruauit *seditiosos libellos & proditionibus refertos exinde à vestris in vulgus datos*. Vbi tu, *Qui tandem*, inquis, *per eos annos libri conscripti sunt, qui non ad religionis & fidei causam pertinerent?* Immò nulli tum libri pro fide, pro religione scripti sunt; omnes sub nomine religionis aliò spectabant; omnes ad proditionis illecebram & seditionum incendia suscitanda pertinebant. Certè improbis hominibus facillimus & quidem consuetus religionis prætextus est, haud minùs quàm Northumbrio & Westmerlandio nomen Elizabethę, cuius obtentu & authoritate contra illam copiæ ab illis conscriptæ sunt. Campiani Protestatio & Rationes quò spectarint, ex facultatibus ab illo impetratis, vt ante diximus, abundè clarum est; hùc videlicet eum omnia retulisse, hoc in omnibus dum fidem & religionem vociferatur egisse, vt bulla Pij quinti executioni mandaretur. Atque hoc quidem primum vestri omnes artificiosè operam dant, vt improbitate calumniandi (quo in genere Campianus excelluit) à communione nostra diuulsos, meretricijs artibus & lenocinijs ad partes suas alliciant, & superstitionum vestrarum misertimis laqueis innectant; de cætero nihil soliciti quin imperato Pontificis, cuius potestatem deinceps cum summa Principis iniuria liberiùs in cœlum euehunt,

obse-

obsequentes habituri sint. Hic Campiani labor & cæterorum fuit, hùc omnes conatus applicuit vt nomine religionis quoscunque posset ad factionem Pontificiam adiungeret, quos ille non ignorauit mox, vbi opportunum foret, cum exterorum copijs ad regnum Elizabethæ debellandum coalituros. Cuius vt quę mens hac in causa fuerit clariùs & certiùs intelligatur, respōsiones quędā eius ad vnum aut alterū interrogatū diligentèr audiendæ sunt. Vbi namque in quæstionem adductus est August. 1. anno. 1581. ostensa est ei Sanderi *visibilis Monarchia* in qua ille Mortonum narrat missum in Angliam vt Proceres quosdam admoneret g *Elizabetham quæ tunc rerum potiebatur hæreticam esse, ob eamque causam omni dominio & potestate quam in Catholicos vsurpabat, iure ipso excidisse, impuneq. ab illis velut Ethnicam & Publicanam haberi posse, nec eos illius legibus aut mandatis deinceps obedire teneri.* Ibi postquam Northumbrij & Westmerlandij cæterorumque seditionem Borealem commemorasset, *illorum nobilium*, inquit, *laudanda erant consilia quæ certo suo eoque fœlici successu non caruerunt, &c.* Porrò *quingentos* ex illa rebellione morte dicit affectos, quos eò laudat *quòd nemo illorum repertus sit qui belli eius authores alicuius culpæ accusarit*, maximè verò Nortonos *quòd nec à fide sua dimoueri, nec vt Elizabetham confiterentur legitimam Reginam adduci potuerunt.* Laudat quoque *Feltonum quòd committere noluit vt sententia summi Pastoris* (bulla excommunicationis & depositionis Elizabethæ Reginæ quam ille valuis ædis Episcopalis Londini palam affixerat) *ciues ac proximos suos lateret.* Porrò & Storeum cum eadem laude commemorat *quòd probè se scire* dixerat *prætensam Angliæ Reginam per declaratoriam summi Pontificis sententiam ob hæresin manifestam omni iure regni, dominioq. priuatam esse, ac propterea magistratum nullum ab illa creatum eiq. adhærentem à se agnosci posse ne fortè ipse etiam eodem anathemate innodaretur.* Nempe accusatus quòd coniurationem cum alijs quibusdam Antuerpiæ pro Regina deponenda inijsset, *facta pro se dicendi potestate, forà tantùm exceptionem proposuit, negans Iudices vllam in se potestatem habere, qui iam non Anglicanæ Principi sed potiùs Regi Catholico subiectus esset.* Adductus est ei tum quoque Bristoi liber dictus *Motiuorum* cum Alani approbatione in lucem editus, in quo singulari cum laude nominantur tanquam Martyres h *Northumbrius Comes, Feltonus,*

g *Sander. visib. Monarch. eccles. lib. 7.*

h *Brist. Motiu. 15.*

Storeus, Nortoni, & reliqui illi qui pro Aquilonari seditione capitali supplicio dati sunt. Et ibi quoque dixisse monstratur [i] *miserrimè sui negligentes esse qui non metuunt excommunicationem illam Pij quinti, in quo Christum ipsum locutum esse ait & excommunicationem dictasse.* Quinetiam tanquam sacrum quiddam præsumere notatur [k] *Pontificem subditos ab omni officij vinculo relaxare & Principem ab omni dominatu deijcere posse.* Campianus iam, hisce omnibus sub aspectu positis, interrogatus [l] *an eadem agnosceret impia vel in toto vel in parte aliqua, & porrò an Elizabetham agnosceret Reginam verā & legitimam, an verò illam prætensam modò Reginam haberet & depriuatam & regni diadema nonnisi de facto tenentem*; subijcit *ad primum nihil se ea de re vltro citroue agere, nec ampliùs responsurum, sed petere vt ipsi respondeant. Ad secundum verò ait, quæstionem hanc pendere à facto Pij quinti de quo sententiam ipse non feret, & nihil porrò respondere velle.* Audite verò Principes & dicite hìc sententiam vestram, an ferendos vobis putetis improbos homunciones qui imperium vobis abrogare non dubitent, & iure vestro excidisse defendant vbi ita Pontifici visum sit? Iam verò ex his quæ dicta sunt satis apertum est Alani scripta quò tendant omnia. Edidit ille quidem duplicem Apologiam, alteram pro Seminarijs, alteram pro Anglis Catholicis inscriptam, in quarum altera Crocodili lachrymis agit, in altera lupi ferociam prodit, in vtraque Regiam potestatem, quantum potest, imminuit, & nonnisi perfidias & dolos & astutos proditionum colores & argumenta meditatur. Cuius omnia consilia quo fine consulta sint, exitus ipse in Hispanica contra nos expeditione præco & testis est, vbi nauibus & armis de certissima victoria sine Deo confisus, effudit vltrò & auidè virus suum, Regiam maiestatem ineffabili contumeliarum malitia proscidit & lacerauit; & denique regnum hoc, patriam suam, patriam, inquam, suam, qua viro bono nihil antiquius, nihil est charius, prædonum & tyrannorum rapinis & latrocinijs, & infestæ gentis libidinosæ ad torturas immanitati suprà quàm credi potest, impiè deuouit. Nempe scripserat ille librum, teste Watsono vestro, è Seminario sacerdote, quem perducta in portum classe Hispanica & copijs in terram expositis euulgandum statuerat, cuius pars altera, *Declaratio sententiæ Pij quinti, &c.* Altera verò, *Admonitio ad Nobilitatem & populum Angliæ*, inscripta est.

[i] Ibid. Motiu. 6.

[k] Ibid. Motiu. 40.

[l] Ex Actis authoritate publica in vulgus editis.

est. In *Admonitione* autem quam vidi ego & perlegi, ita narrat, [m] *Regem Hispaniæ tam authoritate & hortatu Pontificiæ sanctitatis quàm ineffabili zelo & pietate sua, neque parùm*, inquit, *permotum humili mea & nunquam intermissa supplicatione, vnà cum Catholicis ordinum omnium gentis nostræ afflictis & exulantibus; qui speciali eius commiseratione & regali munificentia in hoc longo exilio sustentati sunt, consensisse tandem ad actionem hanc tam sanctam & gloriosam.* Porrò [n] *initium facit*, inquit Watsonus, *ab odiosissima in Regiam Maiestatem declamatione & omni contumeliarum genere refertissima, id agens vt eam apud subditos in contemptum adduceret, efficeretque quantum posset vt exosa Deo, & mundo omniq; hominum generi videretur, vt ne Lucifer quidem ipse, ingeniosissimus inferni Dæmon, quicquam malitiosius excogitare posset. Deinde*, inquit, *Nobilitati totiq; populo huius regni indigenæ grauissima denunciatione bonorum omnium iacturam & terrarum, vitæq;, ipsius, adeoq; damnationem interminatur, nisi mox in Hispanorum aduentu adiungant illis vires suas omnes, & munitionum ac victualium commeatus, & quoscunque possint auxiliorum apparatus.* Quin & Alani verba ipsa profert: [o] *Si Pontificis, si Regis*, inquit, *aliorumq; Principum summam indignationem effugere velitis, nemo vestrûm, quocunque loco sit, Elizabethæ quouismodo obsequatur, nemo illam auxilio iuuet, nemo defendat vel agnoscat*, adiungens, *eos, si fecerint, in Angelicam imprecationem & maledictionem incursuros & æquè ac cæteros excommunicationis sententiam subituros, eò quòd Reginæ partes agentes, Deo ipsi repugnarent, & Regi legitimo* (Hispano) *patriæq; suæ aduersarentur; quin & quicquid agerent, nonnisi frustrà illam adiuturos, idque exitio suo & ignominiæ sempiternæ.* Inde porrò stultissima temeritate victoriam suis adpromittens, Rhetoricatur & perorat, [p] *Protestantes omnes in causa mutaturos, aut certè metu, persequente eos Angelo Dei, terga daturos, & quantumuis Hispanis Angli nulli ferrent auxilium, ipsos tamen per se satis posse, abundè illis esse commeatus, apparatus ingentes; plures illis expertos duces quàm Reginæ milites gnaros; omnes in causa quam susceperant, ad mortem vsque pertinaces; *pro illis fusum hic omnem Episcoporum sanguinem & cælites omnes obtestari, Sacerdotes omnes virtute commendatos siue domi siue foris agentes manus, in hac causa ad cælum leuare, copias illorum Angelis cælestibus circumstipatas esse, immò & Christo* ipso

m *Watson. Quodlibet.* 8. *art.* 6. *et habetur Admonit. pag.* 48.

n *Ibid. art.* 7. *Admonit à pag* 6. *ad* 28.

o *Admonit. pag.* 51. 52. *&c.*

d *Admonit. pag.* 56. 57.

* *Pag.* 55.

ipso in Sacramento & quotidiana oblatione corporis & sanguinis ipsius; Hispanos non posse vinci; Elizabetham stare non posse. Hæc & huiusmodi alia plura impius furcifer, odium Dei atque hominum, æternam nominis infamiam nihil veritus, ex impuro damnatæ animæ gurgustio dictauit & in prælum immisit, qui cùm omnia ab Hispanis retrò sublapsa sentiret, edoctus quàm rectè prouerbio dictum sit; [q] *Ne iactet se qui accingit sicut qui discingit*, ferè disruptus ira conijci mandauit in ignem quos habuit reliquos falsæ prophetiæ libros suos, & Romam cum ignominia & cauteriatæ conscientiæ stigmate reuersus est. Ecce verò hic, Andrea, libri illi omnes, quos commemoras, quo animo, quo fine scripti sint; ecce quàm commodè nobis Alani nomen & scripta referas, quem nihil aliud quàm patriæ suæ proditionem spirasse tam manifestum est. Quanquam in Reginam quis esset, etiam antè patuit, in Stanleij gratiam, qui Dauentriam Hispano prodiderat, [r] scripto edito, quo non licitum modò sed pium & honorificum esse suasit, imperium eius detrectare, iuramenta ei data violare, arces & propugnacula Hispano in manus dare, quòd proscripta esset, eoque Regni iure omni excidisset, nec quisquam ei verè Christianus per conscientiam parere posset. Hæc religio scilicet, hæc pietas vestra, quam vestri illi Martyres scriptis suis propagare conati sunt, quam qui probat, meritò nomen eius in libro infernali conscriptum sit.

q 1. *Reg.* 20. 11.

r *Watson. Quodlib.* 8. *art.* 7.

At illud tibi videtur *immane mendacium, leges nullas aduersus Recusantes ante vicesimum tertium Elizabethæ annum institutas fuisse.* Sed iterum mendacium tuum in te recuditur, qui vt es non genere solùm verumetiam sectâ mendax, ita alios ex ingenio tuo fingis, & vbique mendacia sine causa suspicaris. Rectè verò Cokus & illud verissimè, ante annum Elizabethæ vicesimum tertium nullam in Recusantes legem datam. Atque exceptio quidem tua planè frigeret, nisi homo nequissimus in recitanda lege apertè falsarium ageres, & *Recusantium* nomen prima litera maiuscula substitueres, quasi propriè ibi de vestris ageretur quibus posterior vsus nomen illud attribuit, quando ibi *Recusantium* nomen omninò nullum inuentum est. *Elizabethæ*, inquis, *anno primo sancitũ est vt singulis Dominicis festisq́ diebus sacris vestris omnes interessent; siquis abfuisset vt præter censuras Ecclesiasticas duodecim denarios in singulas vices solueret, ac præterea* (quod tu

per

per fraudem infarcis) *Episcoporum arbitrio puniretur, Iudicibusq; secularibus in sessionibus & conuentibus suis facultas esset inquirendi puniendiq; Recusantes.* Atqui delendum tibi illud, quo fraudem facis, Recusantium vocabulum, & tunc intelligendum lege illa cautum esse, non in vestros magis quàm in nostros, quod etiam prorsus absque vestris necessum foret, ne religio in Deum frigescat, ne prophana cultus diuini negligentia impunè abeat, neque homines siue vanitatum suarum illecebræ, siue rerum secularium occupationes transuersos ab officio rapiant, quominùs ciuili saltem obsequio (Deo suum opus intùs mittatur) ad religionis cultum & exercitationem se accommodent; Ecclesiæ cætui externo se adiungant, ad preces se verbique diuini auditionem temporibus suis & locis ex præscripto publico componant. Id ergò lege sacrum esse iubetur, *quisque vt diebus Dominicis & festis curam habeat conueniendi ad Ecclesiam, ibiq; sacris officijs quæ ex instituto publico peraguntur, diligentèr ac religiosè operam det. Qui secus fecerit, mulcta ei duodecim denariorum in pauperum eleemosynam constituta, & porrò cautum vt censura ecclesiastica in ordinem redigatur. Cura huius rei Episcopis & Ordinarijs quibuscunque data, cum sanctissima adiuratione vt sedulò hac in re officium suum faciant, rei alioqui futuri malorum & calamitatum quas immittet Deus, siquidem ista pro cultu Dei lex saluberrima negligatur. Denique Iudicibus & publicæ iustitiæ præfectis potestas data inquirendi & decernendi quod ad legis huius executionem profecturum putent.* Iam quid hìc est, quod non in omni rep. Christiana, quod non apud nos, vestri omnes vt Romæ sint, constitutum esse oporteat; quod quia extra vos de nostris caueri pietas iubet, certè in vestros consultò decretum censeri non debet. Quare quid Pius quintus pro stoliditate sua prætendat, nihil ad nos; de legibus nostris absque illo consultum est satis. Quanquam illa eius de mulctis exigendis querela, gratuita illi & sine causa fuit, quia maior semper in exequenda lege remissio, maior negligentia in vestros fuit, quàm rebus nostris consentaneum foret. Cæterùm meminit inde Cokus *sub anno vicesimo tertio Iesuitarum & Romanorum sacrificulorum turbam ad nos confluxisse, qui virus suum in pectora subditorum instillarent, & populum instituerent Reginam ex Bulla Pij quinti excommunicatam & regno priuatam esse, subditos ab obedientiæ vinculo relaxatos; saluos se esse si velint, coire cum*

Ecclesia Romana & Pontifici se submittere oportere. Vbi tu, doctus in ludo Romano ad hypocrisin & fraudem, *Non pugnat*, inquis, *Ecclesiæ Romanæ communio cum obsequio debito Regibus, neque enim venit Dominus euertere, sed constituere hominum societatem.* Verè tu quidem, non venisse Christum vt humanam societatem euerteret, sed quid ergò ita vos Iesuitæ disceditis ab exemplo Christi, vt Regibus & regnis, quibus hominum societas continetur, nisi ad normas vestras institutis, tam infesti sitis? cur tam familiaria vobis seditionum & proditionum & Regicidiorum consilia? Quin & Romanæ Ecclesiæ communio quomodo non pugnat cum obsequio Regibus debito, cuius qui præceptis imbuitur & acquiescit, haud vltrà quàm Pontifici ex rationibus suis visum fuerit, debitum Regi obsequium præstat? Tu verò conscius hic quàm intolerabiles sint Principibus mores vestri, quàm longè absit vt nefaria consilia vestra cum Maiestate Regum & incolumitate consentiant, sceleri paras operculum vbi consequentèr adiungis, *Sed debitum Principibus obsequium illud non est, quod cum Dei præceptis & Christiana religione pugnat*, vt qui proditiones vestras, qui teterrimas coniurationes & infandas parricidarum subornationes, qui profectas è schola vestra rebelliones pro merito perstringit, frustra insumat operam, quia pendet vobis in procliui exceptio Rauillaci, non esse debitum quod requirimini obsequium; pugnare quippe cum Dei præceptis & Christiana religione Rex vt sit quem Pontifex non esse iubeat, quia *Papa est Deus & Deus est Papa.* At dic, insane, vbi tandem in diuinis præceptis inueniuntur illæ obsequiorum in Principes curtationes vestræ? Vnde illa religio Christiana qua Pontifici suprema in Cæsares potestas datur; qua ex illius arbitrio expunguntur Reges, nec obsequia sibi vindicare sinuntur? Nempe Antichristus [f] *cunctam religionem suæ subijciens potestati*, nouã nobis hanc religionem cudit; qui voces suas præcepta Dei, definitiones suas fidei Christianæ regulas interpretandas vult. Tu verò vt speciosa fraude Lectorem fallas, *Ostendat*, inquis, *nobis* Cokus *à vigesimo vsque ad vigesimum septimum Elizabethæ annum vel vnum in Anglia deprehensum aut conuictum Sacerdotem fuisse qui homines à politico Reginæ, quamuis excommunicatæ, obsequio auocaret.* At quid hoc mysterij est, vt res tota septennio illo definienda sit? Quid si antè, quid si post ostenderit? an illud tibi

[f] Hieron. in Daniel. cap. 7.

extra

extra rationem ibit? Quid egerint in Anglia Sacerdotes vestri clarè perspicitur ex ijs quæ ante diximus ex Alano, sed tamen quæso te, Dæmon Ioannes, vt tu quoque seriò nobis edisseras quid illis negotij demandatum fuerat, qui hùc ad nos triennio pòst sequente, quo tempore classem Hispanus adornauit, maiori quàm vnquam ante numero conuolarunt? ex quibus tu triginta septem Sacrificos & Laicos vndecim neci datos commemoras? Dic bona fide an hoc illis animi fuisse putes, an hoc pensi datum quod accurarent, vt Hispanicas intentiones & consilia quoquo modo promouerent? Sed quid ego te quæro quid putes, hominem pessimum & fronte ad quiduis dicendum indurata? Sacerdotes illi de septennio tuo, dent ipsi specimen fidei tuæ. [t] Anno Elizabethæ vicesimo secundo *Nouemb.* 12. Sherwinus interrogatus *Bulla Pij quinti pro Reginæ depositione legitima, necne sententia fuerit*, responsum dare recusat. Iterum quæsitus *an Regina sit illi legitima Domina, & an esse debeat, non obstante quacunque sententia Romani Pontificis*, neque hìc quicquam dicit. Tertiò interrogatus *an illi Regina sit Domina, non obstante quacunque tali sententia*, rogat *ne interrogetur quibus periclitetur vita eius*. Briantus *anno* 23. *Maij* 6. affirmat [u] *Reginam esse sibi supremam Dominam, sed negat se affirmaturum ita esse legitimè, aut esse debere, vel sibi tanquam subdito parendum ei, si Papa in aduersum statuat & præcipiat*, & porrò dicit *quæstionem illam sublimiorem esse & periculosiorem quàm vt ei sibi respondendum putet*. Interrogatus die proximo, *habeátne Pontifex authoritatem absoluendi subditos ab obedientia Reginæ præstanda, nescire se* refert. Pòst appositi reliquis sex articuli, de quibus sententiam postulati sunt. [x] 1. *An Bulla Pij quinti legitima in Reginam sententia sit, cui omnes Angliæ subditi obedire teneantur?*

[t] *Ex Actis anno* 1580.

[u] *Ex Actis anno* 1581.

[x] *Ex Actis anno* 1582. *Maij die* 13.

2. *An Elizabetha legitima Regina sit, cui omnes Angliæ subditi obtemperare teneantur, non obstante Bulla Pij quinti, aliavè quacunque Bulla vel sententia Papali denunciata in illam vel denuncianda?*

3. *Vtrùm Pontifex authoritatem habeat vel habuerit qua Comitibus Northumbrio & Westmerlandio, alijsq; Reginæ subditis potestatem daret in illam rebellandi & arma ferendi, siue etiam qua Sandero alijsq; author esse posset, Hiberniam aliáve eius dominia inuadendi, armisq; illam oppugnandi, & porrò an licitè ita fecerint?*

4. An in Papæ potestate sit subditos Regiæ Maiestatis vel alterius cuiusquam Principis Christiani absoluere à fidelitate & iuramento obedientiæ, quam illi siue suis quique Principibus præstare debeant.

5. An Sanderus in libro de visibili Ecclesiæ monarchia, siue Bristous in libro de Motiuis, scribentes ad approbationem & commendationem & confirmationem Bullæ Pij quinti, veritatem ibi docuerint, testati sint, defenderint, an verò falsum sit quod docuerint?

6. Si Papa per Bullam suam siue sententiam, Reginam denunciet regno priuatam, nec esse legitimam Reginam, & deinde subditos à fidelitate eius & obedientia relaxatos esse, fiatq; postea vt vel Pontifex ipse, vel potestate ab illo facta quisquam alius, regnum inuadat, dic cuius tu te partibus adiuncturus sis, vel cuius in obsequium se ciuis bonus reip. Anglicanæ committere debeat?

Vides iam articulos; vide deinde articulis istis & quæstionibus quæ à Sacerdotibus vestris responsa subiecta sint. Ac primò *Lucas Chirbeius ad primum dicit, illius quæstionis determinationem pendere à generali quæstione, an penes sit Pontificem vlla in causa Principem deponere; de qua sic opinatur, Pontificem aliquibus causis posse licitè Principem abdicare, & sententia huic standum esse.*

Ad secundum, existimat in casibus quibusdam, vt infidelitatis & eiusmodi alijs, Regiæ Maiestati contra Bullam siue sententiam Papalem non esse parendum; sic enim se legisse ait, Papam ita in alios Principes de facto statuisse.

Ad tertium ait se respondere non posse.

Ad quartum dicit Papam in causa infidelitatis habere potestatem in articulo expressam.

Ad quintum, existimare se ait Sanderum & Bristoum in rebus illis falli & errare potuisse; errarint verò necne se Deo missum facere.

Ad sextum respondet, vbi occasio illa ceciderit, tunc consulturum se quid factu optimum sibi sit.

Succedit ei Cottamus qui breuissimè rem agit, *se in primo articulo, & in alijs quibuscunque quæstionibus ita credere prout docet illum Ecclesia Catholica quam Romanam esse statuit, aliam verò responsionem ad reliquos articulos nullam dat.*

Postea

Postea Richardsonus *ad quintum dicit, quatenus Sanderus & Bristous cum Ecclesiæ Romanæ doctrina conueniunt, se eorum doctrinam vt veram approbare. Quantùm verò ad primum & reliquos omnes se in rebus omnibus Catholicæ religioni non contrarijs profiteri Regiæ Maiestati obedientiam, & porrò non respondet præterquam credere in illis prout ab Ecclesia Catholica Romana docetur.*

Sequitur illum Fordus *qui ad primum ait, non posse se respondere, eò quòd nesciat circumstantias Bullæ Pij quinti; quòd si Bullam à Gregorio dicimotertio publicatam videret, de ea daret sententiam suam.*

Ad secundum dicit, Papam in quibusdam causis potestatem habere deponendi Principem, & quando eiusmodi Bulla in Reginam promulgabitur, tunc se responsurum quod sit officium subditorum & quale illa ius regni habeat.

Ad tertium dicit, se priuatum esse subiectum, & eiusmodi quæstionibus non responsurum.

Ad quartum ait, Papam in quibusdam causis, quas designare recusat, authoritatem habere subditos ab obedientia Principis absoluendi.

Ad quintum respondet, Sanderum & Bristoum viros esse doctos, & vtrum in libris articulatis vera docuerint, illos pro se respondere vult, ipse verò nihil dicit.

Ad sextum respondet, vbi occasio illa fuerit & non antè responsurum.

Venit proximo loco Shertus qui breuitèr ait *Catholicum se esse, & nulla in re à Catholica fide discedere, & vlteriorem articulis responsionem dare renuit.*

Accedit ad illum Iohnsonus *qui ad primum se ait respondere non posse.*

Ad secundum dicit, nescire se qua potestate vel authoritate Pontifex sit in rebus articulo illo nominatis.

Ad tertium dicit, existimare se Pontificem in causis quibusdam authoritatem subditis dare sumendi arma contra Principes suos.

Ad quartum dicit, putare se Pontificem in causis quibusdam posse subditos absoluere à fidelitate & obsequio Principibus suis natiuis exhibendo.

Ad quintum dicit, responsionem ad hunc articulum pendere à quali-

qualitate causæ propter quam Pontifex in Illam sententiam dixit; quippe si iusta illa esset, doctrinam Sanderi & Bristoi veram esse; ceterum iusta sit necne, se de illa iudicare non posse.

Ad sextum ait, si depriuatio illa vel inuasio propter temporalia fiat, se in Reginæ partes iturum; quòd si ob fidem sit, tunc cum Pontifice conuenire teneri.

Vnum addo *Filbeum qui ad primum ait, Papam habere potestatem deponendi quemcunque Principem, & eiusmodi sententijs vbi promulgantur subditos cuiuscunque Principis parere debere; ceterùm de Bulla Pij quinti nihil se dicere, quam tamen, si talis fuit qualis fuisse dicitur, probare se ait, & ei parendum esse decernere.*

Ad secundum ait, difficilem esse quæstionem, proinde ei se respondere non posse; sed tamen habita deliberatione idem respondet quod ad primum.

Ad tertium ait, nescire se quid sibi dicendum sit.

Ad quartum dicit, quamdiu Regina manet Elizabetha, Papam subditis eius arma in illam capiendi illive repugnandi facultatem concedere non posse; quòd si illam deposuerit, tunc posse subditos à fidelitate in eam & obedientia liberare.

Ad quintum dicit, se de doctrina Sanderi vel Bristoi minimè acturum.

Ad sextum ait, se vbi id euenerit responsum daturum, & si in Hibernia fuisset quando ibi Sanderus fuit, facturum se fuisse quod sacerdotem deceret, oraturum scilicet *vt causæ iustiori successus foret.*

Iam verò, ne vltra sim onerosus, responsiones istas Alanus plurimùm dilaudat, & [y] à *Sacerdotibus per summam prudentiam dictatas* refert, proditorum scilicet vbique pater & patronus, cui nihil magis quàm inclytissimæ Principis, quàm patriæ suæ perditio & calamitas in voto fuit, qui etsi ad tempus obtestationum & lachrymarum & lamentorum historijs occultanda curauit cōsilia sua, haud ita tamen continere se potuit vt non alicubi virus suum euomeret, & quò propiùs Hispanorum in nos copiæ in apparato essent, eò magis diram impij pectoris immanitatem in apertum daret. Atqui vides, bone Lector, vbi opportunum erat Sacerdotibus illorum vt ostenderent, non esse consilij sui subditos à Reginæ obsequio abalienare, quàm illi omnia in diuersum agant,

[y] *Alan. Defens. Angl. Cathol. cap. 4.*

agant, & interrogatis istis quas ludificationes, quæ subterfugia reponant; perduellionum conatus, scriptaque in Principem blasphema quàm exosculentur & probent, Regiæ maiestati profiteri fidelitatem & obsequium quanta cum amentia detrectent, denique quàm apertè se atque ex professo proditores prodant. Istinc verò, Andrea, *sancti Martyres tui?* Quin abeant improbi nebulones in præcipitium & laqueo doceantur sub Principum potestate se esse, quod disciplina non discunt. Ac tu quidem ipse dignus planè tali martyrio, qui sceleratorum hominum designationes & consilia ita non perhorrescis vt patrocinio tuo iuuare digneris. Iam de *solida probatione* quid est quod garris in eos afferenda, qui ipsi indicio suo miserè perierunt, quorum iudicia & damnationes ita longè abest *vt populi iudicio damnarentur*, quod tibi nonnisi de stulta credulitate perceptum est, vt exinde magis magisque populo nostro exosa improbitas vestra & perfidia esse cœperit, meritoque eos censeant vitę vsuram amittere debere, quorum vita sine communi omnium periculo consistere non potest. Tu tamen pro ea qua es partim stoliditate, partim impudentia, *Reginæ consiliarios multitudinis offensione permotos* narras *vt magis expeditam circumueniendi Sacerdotes viam excogitarent.* Et quam illam narras? Nempe *cùm eos*, inquis, *reuerà religionis causa interficerent, quodq́; minùs id gratum multitudini esse cernerent, aliam eorum supplicijs causam prætexere vellent, legem ferendam curarunt, vt qui Romanæ sedis authoritate Sacerdotes initiati, qui Iesuitæ vel Seminaristæ post quadraginta dies ab illa Parliamenti sessione subsisterent in Anglia, rei læsæ Maiestatis haberentur, quique post illud tempus in hoc regnum aduenirent, eodem reatu tenerentur.* At dic, inepte, lex ista de prætextu religionis quid tandem imminuit? Nam qua causâ neci antè dati sunt, eâdem nunc in exilium perpetuum ire iubentur, eâdem alioqui mortis sententia, quâ antè, plectendi. Id quod mitissimo Reginæ ingenio meritò Cokus attribuit, quæ cùm Sacerdotes videret Circæo Babyloniæ poculo fascinatos insano Circumcellionum furore ad crucem ire pręcipites, rationem inire voluit, qua & sanguini eorum parceret, & suæ nihilominùs ac Regni totius incolumitati prouideret. Curauit ergò prohibendos finibus suis; edixit quod iure optimo potuit, vt ab omni in Angliam ingressu abstinerent, vt apud suos se continerent; vt quòd Hispano se totos

tos & Pontifici addixiſſent, hoſpitium ab illis & vitæ ſubſidium requirendum putarent; ſibi ac regno periculum deinceps creare deſiſterent. Atque hæc quidem cauſa ſanciendæ legis huius quā non ad Parreianam tantùm Cokus, vt tu ineptè colligis, ſed ad alias quoque, quas ibi commemorat, proditiones refert.

Cæterùm facta hìc Parreianæ proditionis mentione, id tu agis quod ſoles, quanquam infœlicitèr agis, vt omnem à tuis perfidiæ iſtius conſcientiam depellas. Certè qui Coko luculentum hìc pro more tuo mendacium obiectas, nonniſi fingendo & mētiendo pro more quoque tuo audactèr & impudentèr, perficere potuiſti vt aliqua defenſionis ratio ſatis honeſta conſtaret. Ac rectè tu quidem *rem* ais *poſt detectas Parreij fraudes tota Europa fuiſſe notiſsimam*, ſed ita vt notitia illa in veſtram omnium infamiam & execrabilis perfidiæ deteſtationem redundarit. Cæterùm quod primum narras, *illum à Reginæ conſiliarijs ad res Catholicorum explorandas in Italiam dimiſſum*, ſceleratè abs te atque odioſè confictum eſt, quippe quem certum eſt poſt effuſum luxurioſè quod habebat, æs ſuum, & alienum pro attentata Hari cuiuſdam creditoris ſui nece capitali ſupplicio reum, & quanquam indulgentia Regia conceſſa, factum tamen ſcelere ſuo, quod optimè ſenſit, bonis omnibus inuiſum, ſua ſponte in partes tranſmarinas ac primò in Galliam abijſſe, pendentem animi an vnquā ſibi in Angliam redeundum putaret. [z] Profectus ille Lutetiam, ibi ad Pontificem defecit & cum Eccleſia Romana reconciliatus eſt. Poſtea Lugdunum & Mediolanum viſit, & facta ibi fide de ſuo in Papiſmum ſtudio, inde Venetias iter facit. Ibi illi cum Benedicto Palmio Ieſuita conuerſatio fuit, & multus ſermo de afflicto ſcilicet Catholicorum in Anglia ſtatu. Lectus porrò illi Alani liber, quem tu ante meminiſti, *contra Iuſtitiam Anglicanam*, cum alijs veſtrorum eiuſdem argumenti ſcriptiunculis, è quibus Principes religioni Pontificiæ contrarios abſque piaculo deponi &, ſi opus eſt, occidi poſſe didicit, & ad ſceleris horrendi meditationem inductus eſt. Communicat cum Palmio conſilium; ſibi viam in animo eſſe ſignificat qua Catholicis remedium paret modò fides fiat à Pontifice doctiſvè Theologis, eam ſibi per religionem & conſcientiam experiri licere. Rem expoſitam Palmius probat, laudat hominis pietatem, ad facinus aggrediendum animos addit, ad Campegium *Nuncium* ibi Pontificium

[z] *Ex Autographo confeſſ. Parrei.*

adducit,

adducit, cuius auspicijs literas Romam ad Pontificem scribit, quibus obsequium illi suum commendat, & vt apertè consilium exponat, petit sibi dari *saluum conductum* vt securus Romam veniat. Interim per occasionem Lugdunum reuersus, à Patribus ibi consilium capit, à quibus satisfactum ei de re tota est, ijsque magnam sibi redeundi Parisios necessitatem esse significat; quarè petere vt se Pontifici de itinere Romam hoc tempore non obeundo excusatum faciant. Interim dum Parisijs agit, Morganus quidam Anglus nouos ei stimulos addit, & tantum profecit vt nouis literis ad Pontificem scriptis cogitatum à se nefas apertè significaret, quod se summa fide perfecturum spondet, modò illi probatum intelligeret plenamque peccatorum omnium indulgentiam concederet. Harum literarum Hannibalem Codrettum Iesuitam per confessionem priuatam conscium facit, ea re in eorum amplexus familiaritèr acceptus, laudatus, communione donatus eodem altari cum Cardinalibus Vandosmiensi & Narbonensi, quod ab illis per literas, quò maior ei fides haberetur, Pontifici significatum esse voluit. Postea illum Morganus ad Ragazonem Episcopum Bergomensem, Pontificis ad Regem Galliæ Nuncium adducit, cui literas suas legit, quo inspectante obsignauit, qui perferendarum ad Pontificem curam suscepit, qui pro rescripto fideiussit, qui sinu illum complexus & valedicens, fœlicem manum precatus est, & memoriam eius in altari habendam promisit. Ille iam Iesuitarum, si placet, Eudæmone plenus, in Angliam regreditur, in Aulam commeat, Reginæ audientiam petit, exponit quomodo & à quibus ad cædem eius faciendam subornatus sit, eo tantùm fine vt meliorem sibi gratiam, & commodiorem designandi tanti facinoris opportunitatem paret. Literæ ad illum non ita multò pòst à Cardinali Comensi afferuntur, quibus illum nomine Pontificis in incœpto suo confirmat, probatum illud multumque laudatum esse significans, indultam porrò ei remissionem omnium peccatorum, proinde quod suscepit, auspicante Deo, perficiat hortatur. Deinde è Gallia missus ei rursùm Alani liber qui superiores cogitationes auxit, cuius singula verba menti præparatæ totidem erant oracula; qui planè docuit Principes excommunicari & regno priuari, & vim illis afferri posse. Iam verò non ita tutum sibi esse ratus vt in negotio solus esset, Neuilio familiari suo rem im-

pertitur, & illum sceleris sui socium exoptat, qui coniurationem nimiùm diu periculo suo celatam tandem ad Reginæ quosdam Consiliarios defert. Comprehensus Parreius & interrogatus etsi primò negaret omnia, cùm se tamen accusatione premi videret, non multo negotio ab initio rem totam exponit, & expositam mox manu sua describit & literis consignatam dat, & ab illa descriptione hæc omnis historia nostra desumpta est. Atque hinc, Andrea Dæmon, impudentia tua manifesta est, qui rebus clarissimis caligines tuas & tenebras offundis; & res toto tunc orbe notissimas, parciùs iam narrando diminuis & fabulis ex composito fictis occulis, quantum potes, vt minus animaduersa vestrorum iniquitas & perfidia, magis in tuto sit. Iam quod de Crittonio Iesuita narras, eum à Parreio de hoc negotio consultum, omninò illicitum censuisse, modisque omnibus prohibuisse, narrat ita quidem Parreius de Watsio quodam quocum Lutetiæ sermonem habuit, idemque de Anglis quibusdam Sacerdotibus audisse refert, sed de Crittonio vestro Scoto & Iesuita nihil tale. Certè tamen ita ceciderat vt Crittonius tum cùm Parreij res agebatur, in arce Londinensi in vinculis esset, quem Walsinghamus quòd multarum coniurationum pro inuadendo regno Angliæ conscium intelligeret, in quæstionem adduxit, an cum illo Parreius quicquam de occidenda Regina communicasset. Ille verò primò nihil se ea de re meminisse respondet, quod an dolo & per fucum responderit, tu vide; ego certè non crediderim tam serium de re tanta sermonem, tam facilè illi ex animo excidere potuisse. Sed tamen veritus, vt videtur, ne res à Parreio ipso minori cum gratia sua proderetur, scribit ad Walsinghamum literas quibus agnoscit quæstionem illam sibi propositam, & adducta ab illo argumenta ex quibus legitimam facti rationem constare voluit; quæ omnia profitetur à se esse repulsa, & apertè testatum, neutiquam sibi sententiam illam probandam videri. Cæterum quod ait de Parreij mente scelerisque designatione nihil se suspectum habuisse, valdè mihi suspectum est, quia non videtur res ita vltrò citróque iactari potuisse vt non animum illius saltem per transennam viderit, eoque magis quòd palàm profiteretur multorum virorum doctissimorum sententiis à se stare quòd illam occidere liceret. Ecquis enim ita illum desipuisse crediderit, vt quem videret quæstionem illam, de Regina

gina nominatim, tam solicitè versantem & virorum doctorum iudicia de tali facinore requirentem, non planè sentiret parturire illum idipsum quod tantùm animo agitaret? Atque impius in eo Crittonius & omni odio dignissimus quòd Reginę nō indicarit agitatam de capite eius & vita quæstionem, vt tanto diligentiùs curaret salutem suam; quo ipso intellectum dedit, ex eorum numero se esse qui faciendas Principum cædes verbo non probant, factas in cœlum vehunt. Porrò quàm frustrà Bergomensem excuses, quàm ille totius rei factus reus, quàm tu te hìc nonnisi Sycophantam ostendas, & mentitis narrationibus Lectorem fallas, Parreij confessio liberè abs se data satis manifestum facit. Quod idem dico de Pontifice & Nouocomensi Cardinale, quos tu facis ex Parreij literis *de Regina nece ne somniantes quidem*; tantùm, credo, per æquiuocationem tuam, quòd ex prioribus literis rem definitè non intellexerint, quam tamen secundis literis, quas Bergomensis inspexit & ad Pontificem misit, totam absque vllis ambagibus & apertè complexus est. Atque vtrunque totius negotij conscium fuisse, vtrunque dirum nefas calculo suo comprobasse ex literis Cardinalis, Italicè ad Parreium scriptis, orbi Christiano testatum esto. Sic enim habent: *Monsignore la santita di N. S. ha veduto le lettere di V. S. del primo con la fede inclusa & non può se non laudare la buona dispositione & risolutione che scriue di tenere verso il seruitiò & beneficio publico, nel che santita sua lessorta di perseuerare con farnè la rinscire li effetti che V. S. promette. Et acciochè tanto maggiormente V. S. sia aiutata da quel buon spirito che l'ha messe le concede sua Beneditione, plenaria Indulgenza & remißione di tutti li peccati, secondo che V. S. ha chiesto aßicurandosi che oltre il merito che n'hauera in cielo vuole ancho sua santita constituir si debitore, à riconoscere li meriti di V. S. in ogni miglior modo che potra & cio tanto piu, quanto che V. S. vsa maggior modestia in non prætender niente. Metto dunque ad effetto li suoi santi & honorati pensieri & attenda à star sano. Che per fine io me le offero di core & le desidero ogni buono & felice successo. Di Roma a xxx. di Gennaro M. D. lxxxiiij.*

Al piacer di V. S.

N. Cardinale di Como.

Al sig. Guglielmo Parri.

Latinè ita vertas: *Mi Domine, literas vestras de primo Ianu. vidit Sanctitas sua cum inclusa credentia, neque potest non laudare dispositionem bonam & certam animi sententiam quam tenere vos scribitis pro publico seruitio & beneficio, in qua perseuerare vos hortatur Sanctitas sua, & in effectum perducere quod promisistis. Et quò tantò maiori vobis adiumento sit bonus ille spiritus qui ad hoc vos permouit, concedit ille vobis prout petistis benedictionem suam & plenariam omnium peccatorum indulgentiam; fidem vobis faciens, præter meritum quod in cœlo habituri estis, Sanctitatem suam debitorem se porrò vobis facere velle ad agnoscenda quoad maximè potest merita vestra; tantoq́ue magis quòd tanta vtimini modestia, nihil vt prætendatis. Mittite ergo in effectum sancta vestra & honorata consilia, & securitati vestræ prospicite. Denique ego me tibi ex intimis offero, & successum omnem bonum & fœlicem precor. Romæ, Ian. 30. 1584.*

Ad placitum Dominationis vestræ

N. Card. de Como.

Iam qui rescriptum hoc animaduerterit, quo Parreium hortatur, vt *perficiat quod promisit*, & porrò cum Parreij literis & con-
a In confess. scripta. fessione contulerit, cumque fatentem audierit [a] *literas illas confirmasse sibi animum de Regina occidenda & conscientiæ suæ clarum fecisse quòd actus licitus & meritorius esset*, cumque rem susque
b Ibid. deque versaret, [b] *idcò recedere non potuisse quòd vota sua in cœlo, in terra literas & promissa spectaret*; & ad Reginam scribentem vi-
c Lit. ad Regin. derit [c] *cernere illam posse, inceptum suum à Pontifice magnisq́ue quibusdam Theologis laudatum, approbatum, datamq́ue de eo securitatem fuisse*; idemque post ad Thesaurarium & Comitem Leicestren-
d Lit. ad Angl. Thesaur. & Comit. Leicestr. sem nouis literis repetitum, [d] *facinus hoc à Sanctitate sua commendatum, & pro licito confirmatum esse*, certè aut amens sit oportet, aut planè cœcus qui non persentiat Parreij consilium de cæde Reginæ facienda Pontifici simul ac Cardinali, cæteros vt taceam, certum & exploratum constitisse. En ergò, Andrea, quantumcunque rem dissimules, iustissimam ferendæ in Iesuitas atrocissimæ legis occasionem, quòd de Reginæ parricidio consilium dedissent; & eandem quoque in Seminaristas necessariam, partim quòd eiusdem consilij participes, partim quòd Iesuitarum per cœcam obedientiam administri; partim quòd cum

Pon-

Pontifice confœderati, quem iuratum hostem Principis suæ, & rebellionum omnium ac proditionum Archimystam & antesignanum intellexerant. Et rectè quidem Cokus neminem vnquam Principem tam abiectè, tam ignominiosè, tam sordidè patiētem esse posse, vt in regno suo ferat qui eum Regem legitimum non esse prædicent; qui animos subditorum ab imperio illius auertant; qui arma in illum ferenda & deponendum esse doceant; tu autē impudentèr mendax qui neminem Iesuitam, neminem Sacerdotem hac in parte reum deprehensum dicas.

Quare quòd Cokus cum Mariano quinquennio quadraginta quatuor annos Elizabethæ componens *in illo trecentos* refert *mera causa religionis occidisse, sub Elizabetha verò vix triginta propter actus proditionum, & eorum hospites circiter quinque, sed pro mera religione planè nullum,* hoc tu vellicas & nullam nostrorum moderationem laudandam putas in legum nostrarum executione, *si nulla lex sit apud Anglos quæ religionis causa occidi hominem iubeat.* At inepte, annon illa tibi summa videtur & meritò laudanda moderatio, quòd cum in executione legum religionem vestram reip. tam funestam esse compererint, nunquam tamen illam lege decreuerint capitali supplicio puniendā? Quid causæ habes cùr minùs vestra apud nos quàm nostra apud vos capitalis religio esse debeat? Nostra vobis nihil officit, nullam Principibus iniuriam facit; nullum reip. periculum creat, sola hic conscientia religionis est: vestra verò qualis per vos est, seditiosa semper est & cum Principum & rerump. probro coniuncta, quæ externas supereminentias introducit, quæ infulato Sacrificulo Regem indignissimè subiectum facit; quæ subditos à iure Regio manumittit, immò quæ abdicat Reges arbitratu Pontificis, cuius sententiæ ni pareant, armis & insidijs petendos docet, & tu tamen haud dignam mentione putas moderationem illam qua, dum secernuntur accessoria ista spuria ab ijs quæ propriè religionis vestræ sunt, ab vltimis in vestros pœnis religionis ipsius causa statuendis Christiana mansuetudine temperatur. At tu illa quæ diximus, de summa ipsa religionis esse contendis, *omnia* scilicet *quæ ad Pontificiæ potestatis contestationem spectant; quare qui ad necem requiruntur legibus nostris quòd Bullas & Agnos Dei in Angliam introducant, quòd Sacerdotes authoritate Pontificis initiati sint, quòd hic in Anglia postea consistant vt sacerdotum partes*

 obeant,

obeant, omnes religionis causa necatos dicis. Atqui de religione vestra quæritur qualis per se est, non qualis per Hildebrandi nouã hæresin aut per Iesuitas est. Religionem vestram colunt benè multi & quidem ex animo colunt, qui religione quæ videtur sola contenti, Gregorianas illas hæreses de Pontificis in Principes non potestate sed vsurpata per ambitionem tyrannide, & insana vestra paradoxa detestantur. Quæ vbi religioni per fraudẽ intexta sunt, & de fide esse iubentur quorum neque in diuinis Scripturis, neque in Ecclesiæ documentis ad mille vsque annos vel ratio vel vsus est, luant capite pœnas atque vtinam luant (& tu, Andrea, vnà in crucem abi) qui fidem istam Principibus malefidam & religionem irreligiosam, non ratione, quæ nulla est, sed stata mentis peruicacia & dementissima per voluntariam inscitiam superstitione sibi colendam putant. Esto quod dicis vt religionis illa sint, *Sacerdotem initiari, homines Ecclesiæ reconciliare vel reconciliatos esse*, quin & porrò si velis, *Agnos Dei & globulos consecratos* & reliqua huiusmodi stercora Pontificia in regnum inferre, nihil hîc agimus dummodo ista per se sint, (alioqui cur indultum Marianorum temporum Sacerdotibus qui apud nos multi remanserant) sed postquam ista *ad Pontificiæ illius potestatis contestationem*, prout tu fateris, vsurpata sunt, politica iam, non religiosa esse cœperunt, & qui prætextu talium ad religionem, vt tu vis, pertinentium diademati Regio & iuri Principatus infesti sunt, non iam fideles in Deum, sed perduelles in patriam & Regum proditores habendi sunt. Quare qui è vestris ita peccarunt in leges vt minimè tamen Principi suum ius & Regiam potestatem abrogarint, quales Hartus, Bosgrauius, Hortonus, Rishtonus, parcitum illis de cætera vestra religione meminimus, haud minùs quàm ante Bullam vestris omnibus; in quos leges nullæ cũ capitis periculo, immò leges omninò nullæ sancitæ sunt. Qui verò eo nomine capite mulctati sunt, quòd Pontifici supra Regiam maiestatem in hoc regno supremam potestatem asseruerint, quòd licitè per illum subditos capere in Principem arma posse defenderint; quòd Reginam per illius sententiam regio iure omni excidisse docuerint, siuè quòd in articulis istis fidelitatem Regiæ maiestati profiteri renuerint, adeoque ea fecerint quibus se Pontifici professas in Reginam inimicitias exercenti obligatos ostenderint, non illi religionis causa, quamcunque

præ-

prætendant, sed proditione læsaque Maiestate meritò damnati sunt. Itaque rectè Cokus asseruit vestros quicunque ad necem dati sunt, vel *coniuratione* omnes vel *proditione* perijsse, & otiosè tu excipis tantùm ea re perijsse quòd *Pontificiam illam authoritatem assererent*, quando eo ipso in Principem et patriam proditores numerandi sunt. Itaque Maynius tuus & Sladius & Bodeus & Fennus & Haddocus & Mondenus, & reliqua illa turba quàm commemoras & catalogo tuo percenses, proditores omnes, non Martyres, occisi sunt, causa qua nullus vnquam Martyr occubuit, qua nullus vnquam ante seculum Hildebrandi ad martyrium edoctus est. Iam verò *proditio* nobis latior est quàm *coniuratio*, quia *coniuratio* omnis *proditio* est, sed non omnis *proditio coniuratio*. Rectè itaque Cokus, etsi sententia per interpretem non ita claruit, *practica proditione*, quæ coniuratione consistit, *vix triginta per totum Elizabethæ regnum Sacerdotes morti datos*, *& circiter quinque Laicos illorum hospites*, integrum relinquens multos alios partim Sacerdotes, partim Laicos proditione, sed *neminem vnquam causa religionis occidisse*. Quare frustra labor ille tuus omnis insumitur, quo longam proditorum nostrorum seriem attexis, quos haud magis Martyres fuisse constat quàm fuerunt illi olim de quibus [e] Martyriani & [f] Marcionitæ & [g] Donatistæ alijque hæretici nimiùm insano sed exemplari vobis errore gloriati sunt. Ceterùm vt te vnico telo confodiam, & manifestum faciam leges illas nostras quas tu tam improbè calumniaris & *sanguinarias* appellas, non voluntate sancitas in religionem vestram, sed importuna necessitate & ferè per vim expressas atque extortas esse, tantùm nequid Princeps, nequid resp. detrimenti capiat; testis esto innocentiæ nostræ hac in parte Watsonus vester, è Seminario Sacerdos, qui dum Seminaristas suos miserè illud quidem sed vtcunque tamen excusat, & culpam omnem seueritatis huius in Iesuitarum seditiosa consilia & machinationes confert, nos interim ab omni labecula reprehensionis immunes facit. Nempe postquam ostendit qui animus priscæ ecclesiæ in Principes fuit, etiam impios & persecutores, quamque nulla vnquam illis rebellionum consilia in mentem venerint, ne tum quidem cùm per copias & vires resistere potuissent, & porrò Iesuitarum doctrinā insectatus est, qua haud vltra ferendos decernunt Principes religioni suę contrarios quàm vt vires ad eosdem deponendos

e *Epiphan. hær.* 80.
f *Euseb. hist. l.* 5. *cap.* 14.
g *August. cōt. lit. Petil. l.* 2. *c.* 83.

h Watson. Quodlibet. 9. art. 4.

dos sufficiant, pergit in hanc sententiam; [h] *Per hanc, inquit, assertionem impiam, simulatq; eò prouehetur numerus Catholicorum vt arma in Regiam Maiestatem sumere poterint, tenentur in conscientia vt ita faciant, grauiterq; peccant ni fecerint, immò & Pontificis excommunicationem incurrunt. Quid iam verò Principi, quid reip. de huiusmodi subditis statuendum est? annon incumbit cura omni prospicere ne Catholicorum numerus augeatur? Quòd si supra crescant quàm illa velit, annon ei causa iustissima cur illos abscindat? Quid aliud facere posset Rex vel Princeps quicunque per orbem Christianum, ea qua ipsa est religione ac fide, nisi vellet sibi diadema Regium de capite tolli? Catholici sacerdotes omnes qui Iesuitis adhærent quid expectare habent vbi desperata hæc & diabolica doctrina promulganda censetur? Vbi Catholici multitudine sufficiunt, oportet vt per rebellionem in Principem insurgant, & mittuntur sacerdotes ad hunc numerum augendum. In quas verò angustias hoc modo rediguntur? qui sibi gratiam aliquam aut fauorem sperandum putent? quid in illos Regia maiestas, quid Resp. concludat? quæ satis acerbæ in illos leges quibus è regno arceantur? aut siquidem intrare velint, quæ legum in illos exequendarum seueritas nimia iudicetur? In quas iam syrtes ingurgitamur? in quæ obloquia incurrimus? immò Ecclesia Catholica Romana quam infamiã hoc ipso subit quòd sacerdotalis functio & proditio iam in Anglia per Iesuitas ita coniuncta sunt, vt hortari neminem possimus ad fidem Catholicam quin dogmatizando ad rebellionem pertrahamus?* Quin & porrò superiori libro ita loquitur; [i] *notum esse velle quòd vt Catholicorum afflictiones in Anglia fuerint extraordinariæ, & multi perierint innocentes, ita causa quoque earum extraordinaria fuerit & multò maior consuetis persecutionum occasionibus siue Principi cuiquam Christano datis, siue Monarchæ cuicunq; siue qui nunc est, siue qui vnquàm in mundo fuit; ita vt perpensatis ritè omnibus plus mirandum sit Catholicum quenquam in Anglia superstitem viuere, quàm tales extitisse persecutiones nostras. Detur enim vel vna natio sub cœlo, quam scio neminem dare posse, vbi subditi, maximè Catholici, Principis sui vitæ, quanquam altera religione, insidiati sint, vbi patriæ suæ subiugationem, reip. subuersionem & depopulationem, legum omnium & consuetudinum & obseruationum mutationem, denique vastationem, desolationem & destructionem indigenarum gentis suæ omnium ita contra naturam, contra pietatem Christianam &*

i Idem Quodlibet. 8. art. 9.

Catholicam moliti sint, vt factio Hispanica carnis & sanguinis nostri in hoc regnum molita est. Etsi verò perfidæ istæ machinationes paucarum quarundam & priuatarum personarum peccata fuerint, quia tamen earum obtentus pariter in omnes Catholicos communes steterunt (Catholicis omnibus eandem sententiam habentibus de eo quod Apostolica authoritate fieri potest, etsi omnibus quid necessarium esset non attendentibus) idcirco Regia Maiestas & resp. aliam habentes, quàm nos, de religione sententiam, causam habuerunt iudicandi in foro exteriori secundùm allegata & probata, nec aliter cogitari potest circumstantijs vtrinque consideratis, quin leges & actiones contra Catholicos mites fuerint & miserecordes. Idem ipse librum quoque commeminit communi fratrum suorum consilio scriptum, [k] *in quo,* inquit, *ingenti dolore nostro videbit orbis terrarum nos ipsos, qui Catholici dici volumus, & quidem ex omni ordine nostros, causas verißimas fuisse omnium quæ in nos inciderunt calamitatum.* Quin & Parsonio Iesuitæ ita loquitur, [l] *Nulla hìc lex facta est pro sacerdotum innoxio sanguine fundendo, quousque tu & proditorium genus tuum coniurationibus vestris omnes pariter in suspicionem adduxistis.* Et alibi quoque agnoscit, [m] *Iesuitarum prouocationes & exasperationes & incentiua, actiones & leges contra ipsos acerbiùs in hoc regno constitutas iustißimas comprobasse.* Abi tu iam, inepte, & dic idiotis tuis, Seminaristas vestros & Sacerdotes causa religionis ad vltima supplicia requisitos, quando ipsi se agnoscunt circumuentos à Iesuitis & ad nefaria consilia per dolum subornatos, nullo nomine religionis, sed lege in proditores iustissima perijsse. Quin attende porrò ante Bullam Pij quinti quid de rebus vestris idem testetur, [n] *Ad spacium decem annorum Catholicos à Regina benè habitos; statum eorum tolerabilem fuisse, & ferè bona quiete constitutum. Qui propter conscientias in custodiam dati sunt, benignißimè,* inquit, *tractati sunt (statu rerum & mutatione considerata) alijs ad amicos remißsis quos ipsi delegerant sibi hospites; alijs cum Episcopis, alijs cum Decanis commorantibus & victu cum illis communi vtentibus, concesßis quoque cubiculis & ambulacbris quæ ipsis satis commoda visa sunt. Qui in custodijs communibus erant, libertatem habuerunt & commoditatem quam locus & status eorum suppeditare posset.* Atque hæc quidem ad Episcopos maximè pertinent, à quibus Regina initio paulò indigniùs & præterquam officij ratio postularet accepta est, quorum ille Parsonium in

k Idē Quodlib 8. art.8.

l Idē Quodlib. 4 art.7.

m Idem in Apendice Quodl

n Idē Quodlib 8. art.8.

Philopatre & Cresſwellum in Scriba ſuo teſtes facit. De reliquis verò narrat ex Parſonio ſermonem illuſtris cuiuſdam fœminæ, o *quanta ſtatus & Aulæ Regiæ quies ad annos duodecim; de proditionibus & coniurationibus ſermo nullus; nullæ ſuſpiciones, nulla inuidia aut ſupplantatio, nullus cædium metus, nulla conſcientiæ aut religionis interrogatio, omnes quieti & contenti viuebant, & optima inter omnes coniunctio, optimates viros & fæminas, vxores & virgines, nobiles & generoſos, Equites auratos & armigeros, coniugatos & cælibes omnium ordinum; volupe tum fuit in Aula verſari.* Tu iam narra nobis quæ cauſa fuerit mutationis quæ exinde ſecuta eſt? cùm in religione nihil mutatum vobis, cur deinceps in vos actum duriùs? niſi quòd ex Bulla Pij quinti tanquam ex equo veſtro Troiano ſeditiones per vos & proditiones & rerum nouandarum ſtudia & totius regni, quantum in vobis, incendia prodierunt. Quanquam ne tum quidem actum duriùs prætérquam in eos qui Bullas & merces illas Romanas, teſſeras fidei Pontificijs partibus & obſequijs oppignorandæ vel importarent vel admitterent. Proficientibus verò in peius malis moribus veſtris noua legum acceſſio facta, & poſt Ieſuitarum motus illos ſeueriùs agi, & quidem meritò, cœptum eſt; neque committendum erat vt, indormientibus nobis & nihil agentibus, reſp. per vos iret in præceps & in hoſtium poteſtatem ignominioſè proderetur. Sed tu tamen vt veſtros cauſa religionis occidiſſe confirmes, ex Comitis Northamptonienſis oratione quiddam affers quod eius rei argumento ſit. *Teſtatur Comes*, inquis, *Garnetum pro nulla conſcientiæ ſuæ cauſa pro tribunali ſiſti, cùm ne interrogatus quidem fuerit à Conſiliarijs, in quæ loca ſe receperit, aut quibus conſiliorum adiutoribus, quibuſvè rerum neceſſariarum ſubſidijs in munere ſuo fungendo vſus ſit, quamuis te*, inquit, *minimè latere poteſt, quid Parliamentaria decreuerit authoritas, & quòd nonnulli è veſtra ſocietate extremo ſupplicio affecti eò quòd iuriſdictionem quandam exercere auſi fuerint, quam nec admittere politia regni poteſt, nec fidelitatis ratio probatam dare.* Et quid tu hic? *Apertè*, inquis, *dat nobis & leges illas Parlamentarias quibus iuriſdictionem eccleſiaſticam exercere in regno Angliæ Sacerdotes Catholici prohibentur ad conſcientiæ ac religionis cauſam pertinere & Ieſuitas nonnullos ſuperioribus iudicijs conſcientiæ cauſa in ius vocatos ac ſupplicio affectos eſſe.* Atqui non dat & tu hic miſerandam ineptiam atque inſcitiam tuam

o *Ibid. ex lib. Parſon. in Comit. Leceſtren.*

tuam prodis; quando aperta honoratissimi viri sententia est, ita longè absuisse vt Garnetus de conscientia religionis interrogaretur, vt ne de reliquis quidem illis, quæ erant ab illa causa remotiora, molestia ei vlla facta sit. Quid ad sententiam religionis illa, in quæ loca te recipias, quos siue patronos siue alumnos habeas, qua ratione de victu & vestitu consultum sit? quæ tamen omnia ex argumento tuo fidei esse necesse est. Immo & illud quod dicis *iurisdictionem exercere* extra fidei rationem est, quando poterat prioribus seculis, integra religione vestra, caueri tamen, quod & aliquando factum est, nequis non probatam legibus iurisdictionem & potestatem in hoc regno exercere præsumeret. Quare mitte illos quos dicis è societate vestra vt suo loco sint, quos nihil iuuat Comes vt non proditionis causa & læsæ Maiestatis rei capite mulctati sint. Iam illud te offendit quod Cokus dicit *nullam se proditionem meminisse, cui non interfuit Sacerdos Romano-Catholicus*. Essexianam opponis, & illum pro ciuilitate tua mentiri dicis. At cui interfuerunt Catesbeius & Treshamus, ei nunquam crediderim Seminaristæ vel Iesuitæ conscientiam deesse potuisse. Quanquam ad illas proditiones sermonem illum accommodatum esse constat, in quibus Principis vtriusque vita ad certam totius regni perniciem rectà insidijs petita est; quæ neutrobique vestrorum vnquam consilijs aut incentiuo caruerunt. Quare tua omnis nostrarum in vos acerbitatum & persecutionum amplificatio quò reciderit vides, & de longo illo Martyrum catalogo quid factum sit; quos esse constat non stellas cœlestes in firmamento, sed erraticas & elementares in fumos & caligines & ignominiæ perpetuæ tenebras exituras. Quod vt magis adhuc apertè liqueat, & intelligat orbis Christianus quàm sitis hic vsque ad miraculum impudentes, operæpretium erit quia [p] *non pœna sed causa Martyrem facit*, Martyrum vestrorum aliquorum causas breuissimè complecti. Martyribus annumeratur à [q] Sandero & [r] Bristoo Comes Northumbrius, vt antè vidimus, qui tamen sumptis in Reginam armis & collectis hostilitèr copijs manifesta perduellione damnatus est.

[p] *August. epist* 61.
[q] *Sander. de schism. Anglic. in fine.*
[r] *Brist. Mot.* 15

Accensetur eidem numero Storeus, animal illud inuisum & impium, homo immanitate proditionum infamis, cui excidit in Parliamento vox illa teterrima in Reginam Elizabetham, *Si consilio suo locus fuisset, id fuisse facturos vt non ramusculos sed radicem*

 cem

cem ipsam recidendam curassent. Qui cùm oneri suo ferundo se imparem sciret, nec haberet quod vel speciem aliquam defensionis præbere posset, respondere iudicio noluit aut quæstioni se subijcere, hoc prætextu quòd Regi Hispano subditus esset, non Reginæ Angliæ. Atque idem cùm Prestallo suo, cui fidem iuratam dederat de communicatis sibi proditionum arcanis omni modo celandis, diuersimodè non Reginæ solùm Elizabethæ, sed & Iacobi Regis necem meditatus est; quem *eundem* Prestallum *quadraginta millibus armatorum ad Angliam inuadendam ductorem fore* falsus propheta vaticinatus est, nempe *ad debellandam fœminam illã quæ se pro Regina gessit, quæ, vtinã*, inquit, *in profundo mari esset*. De qua consueta ei post cibum precatio, vt *nisi Domina Elizabetha prætensa Regina quamprimùm ad Mariæ sororis suæ religionem conuerteretur, vastaretur igne atque gladio simul cum illis omnibus qui cum illa coniuncti essent*, & hoc animo patientèr audiuit constitutum *mensem adeoq; diem & horam qua vitæ eius insidiæ struerẽtur*. Solicitauit ille Courteuilium Ducis Albani Secretarium vt cum Hispano Rege ageret pro hoc regno inuadendo, spe ei facta futurum simulac classis in propinquo esset, vt mox Catholici ad illum omnes accurrerent, & quacunque possent ope iuuarent. Designatum ei quoque vt eodem momento Hybernia in rebellionem iret, & è Scotia quoque tumultuatio fieret in fines nostros, vt distractæ Reginæ copiæ tantò debiliores essent. De his alijsque pluribus postulandus, renunciato, vt diximus, in Reginam obsequio, fori exceptione vsus est, eoque ipso cùm istarum omnium proditionum, tum noua hac accessione læsæ denuò Maiestatis reus compertus & capite damnatus est. Euerardus Hanseus interrogatus, Papæ se fidelitatem & obsequium iurasse, eiusque subditum esse respondit, & porrò sperare se non errasse Pium quintum in sententia contra Reginam declaratoria, idque eo fine publicè dicere vt populo ita persuasum sit, hortarique vt sit, neque veritus est multis audientibus palàm edicere *proditionem in illam Principem peccatum in Deum non esse*: cumque iam morti proximum monerent astantes vt pro Regina precem effunderet, si non quà Regina, saltem quà fœmina, memor scilicet Sanctus Martyr præcepti Christi, *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, penitùs & impiè recusauit.

Sladus

Sladus alter ex Andreano catalogo Martyr commonefactus quàm indignè Pontifex Reginam excommunicasset & imperio priuatam denunciasset, disertè respondet, si hoc Pontifex fecisset, nihil aliud fecisse quàm quod possit & debeat; neque enim aliud, inquit, Ecclesiæ caput agnoscam præter solum Pontificem, neq; verò in temporalibus causis authoritatem habet Regina, nisi quā illi probare visum fuerit.

Hartleus ex eodem numero cum quibusdam suis confœderatus est ad occupandam in aduentu Hispanorum Arcem Londinensem, ignesque passim in vrbem mittendos, & apertè professus est, si Papa Apostolica authoritate sua Reginam abdicaret subditosque ab obedientiæ vinculo relaxaret, & exercitum mitteret pro restauranda in Anglia religione Romano-Catholica, desertumrum se Reginæ partes, & prece operam daturum vt exercitus Romano Catholicus religionis causa victoriam obtineret, in eaque fide mille se vitas, si haberet, profundere velle.

Vah, Martyres: quantus hìc à vobis fœtor? quàm ad Martyres illos antiquos graueolentes? quis vnquam religione ista vestra Martyr occubuit? Et tamen videre erat ex istis homines dæmoniacè stupidos & insanos, qui suos modò iam suffocatos parùm abfuit vt adorarent, qui cadauera compellarent, & se crederent eorum precibus & intercessione subleuandos. Mittamus verò istos Iudici suo, nunquam vt interim mirari desinamus incredibilem illorum furorem & amentiam qui brutis istis animalculis, potestatibus à Deo constitutis cæca malignitate repugnantibus quorum meritò æternæ infamiæ consectanda sint nomina, Martyrum decus & honorem qui fidei solùm Christianæ debetur assignare non reuereantur. Ac tu quidem, Andrea, mirabilitèr à Satana dementatus es, *qui in libro vitæ scriptos* pronunciare ausus es, quos Deus ipse aperta sententia[f] *resistendo potestati iudicium sibi damnationis acquisisse* testatur. Quare ne vltra esto ille tuus Martyrum catalogus; *registrum* potiùs *infernale* dicendum sit; nisi ideò fortè Martyres velis quòd Pontificiæ vsurpationis & insolentiæ, quòd efficacissimæ per Antichristum illusionis & fascini, quòd horribilis in Ecclesiæ Romanæ perfidiam vltionis & vindictæ Dei, denique quòd singularis impudentiæ tuæ commodi nobis testes sint; alioqui haud magis Martyres quàm Throckmortonus, Babingtonus, Abingtonus, Ballardus Tichburnus,

[f] Rom. 13. 2.

burnus, Sauagius, Tilneius, Watsonus, Clerkus, & eiusdem farinæ plures alij in Reginæ Regisque necem coniurati, quibus omittendis minuis cum illorum iniuria catalogum tuum, quòd pari omnes iure in calendario vestro reponere queatis. Benè verò quod aliquis alicubi rerum pudor est, qui tamen vos alibi nimium impudentes esse conuincit. Iam qui Cokum in rebus fide publica certissimis & exploratissimis de transfugarum susurris & fabulis tanta contumeliarum indignitate fodis & laceras, quid mirum quòd ibi multò magis impudentias & mendacia sine causa vocifereris, vbi per tenebras rerum, vt aliquando fit, prostitutę ad perfidiam conscientiæ maior ad quiduis fingendum & calumniandum prætextus est? Vnum illud denique præteruecti sumus, quod tamen prorsus omitti non debet, quod sub Presbyterorum enumeratione mox adiungis; *Qui in carcere*, inquis, *vel squalore loci atque ærumnis vel alia ratione sublati sunt, eos qui sunt innumerabiles non commemoro. Innumerabiles*, inquis, sed nomina nesciuntur. At tu hìc nefarius calumniator es & dignus planè qui de stigmate notus sis. Mirum verò ni quadraginta quinque annis plures vestri in carceribus naturali morte sublati sint; mirum ni aliquis alicubi parùm propitios sibi custodes inuenerit; sed tamen orbi Christiano testatum esto plerunque vestros in carceribus multò se ad inuidiam vsque lautiùs & lætiùs, quàm multos nostros optimè merentes in libertate habuisse, vt certè creditum de multis, ideò Recusantes fieri & in carceres ablegari voluisse, quòd haud se aliàs tam commodè ad voluptatem esse posse sentirent. Testis esto custodia Wisbicensis, vbi vestris ad luxuriam vsq; deliciantibus otium & animus fuit de principatu contendere & furiatas in inuicem iras & seditiones exercere. Quòd si afflictæ aliquando vestrorum res, per Iesuitas maximè factum est, qui quos sibi primatum deferre non intelligerent, subtrahendas illis curarunt eleemosynas & beneficia quę affatim à confœderatis vestris ad suorum inopiam releuandam, nihil nostris impedientibus, vbique suppeditata sunt.

Superest iam de Mariæ quinquennio pauca dicere, de quo mirum est ausum te vel mutire aliquid, ita ibi omnia immanitates vestras & insanam fundendi sanguinis auiditatem sonant. Circiter trecentos refert Cokus quinque illis annis religionis causa cæsos; dicere debuerat, tanquam Antichristo vestro tum regnante,

nante, tribus annis & dimidio, non multò quidem amplius, quia non ante Februarium anni secundi Ioannes Rogersius persecutionis illius protomartyr combustus est. Tu suspectum habes numerum, quòd *eum*, inquis, *nonnisi timidè commemorat*. At inepte, quis hic timor, quando qui *circiter trecentos* dicit, pauculos fortasse deesse, fortasse aliquantò plures esse significat; numerum verò ad indiuiduum vsque haud facilè referri. Sed de numero non contendis, *quia nunquam*, inquis, *eorum rationem aut iniuimus ipsi aut initam legimus*. Atqui quo tu tuique ingenio sitis, quàm in istis indagandis nequa desit calumniandi materia, curiosi, minimè nobis ignotum est, & nisi tibi numerus iste satis perspectus esset, nisi Coki fidem historia liberasset, nihil dubitandū quin tumultus hìc & clamores, homo improbus, cū omni contumeliarum acerbitate concitares. Cæterùm vt huius sæuitiæ atrocitatem & inuidiam minuas, causas videlicet affers quibus Maria Regina ad legū in nostros extremā induci seueritatē potuisset. Ac primò *regnum sibi hæreditarium ægrè nec sine certamine consecutā* dicis; at cur non dicis quorum ope, quibus se in concertationem offerentibus consecuta sit? Certè ope Norfolciensium & Suffolciensium nostræ religionis hominum, quibus illo tempore de non mutanda religione fidem obstrinxit; qua fide violata reiectisque indignè quos sibi habuit ad regnum consequendum officiosos, nunquam ei quicquam postea fœlicitèr in regno successit. *Cantianos* deinde *Wiati tumultus* commemoras, sed quos constat non antè coortos quàm de nuptijs Reginæ cum Hispano faciendis ageretur, quam ipsam seditionis illius causam fuisse Wiatus in iudicio testatus est, quòd perpetuam huic regno calamitatem & seruitutem nuptiæ illæ non sine causa minitari viderentur. Postea *Elizabethæ sororis suæ, Ducis Suffolciensis nonnullorumque aliorum coniuratione propter Catholicæ religionis studium bello impetitam* narras. Atqui Suffolciensi cum Wiato causa communis, in qua politica patriæ salus, non fides & religio spectata est. Quòd autem hìc Elizabetha nominatur, de tua tuorumque malitia profectum est, de qua, siquidem particeps coniurationis illius vlla ratione vel eminus deprehendi potuisset, actum planè per Gardinerum fuisset, cui haud minùs Elizabethæ, quàm Herodiadi Baptistæ caput in optato fuit. Proximè *Guilielmi Thomasij sociorumque insidijs Mariam penè extinctam* refers, & ego quidem

de

de insidijs Reginæ struendis à Thomasio consultum non nego, sed quòd improbatum Wiato consilium & execrabile iudicatū est, nihil, opinor, ea de re tentatum est. Nec verò aliundè Thomasij quàm Wiati conspiratio nata est, quæ causa fuit cur se *pro patria* mortem oppetere sub exitum professus sit. Postremò *Elizabetham Croftam* affers *Prophetissam*, inquis, *vestram*. At Crofta quî magis nostra quàm Elizabetha Bartona Monialis Prophetissa vestra? cuius enthusiasmi fallaces & seditiosi multò iustiùs infamiam vobis creant, quòd tot è vestris Sacerdotes & Monachi confœderati cum illa sunt, nec verò Episcopus ipse Roffensis Fisherus vester prorsus immunis fuit. Quod autem Londinum per eam dicis *penè in seditionem versam*, falsissimum est, neque habes ex quo huic fabulæ fidem vllam facias. Metuerat quidem antè Maria Londinenses in Wiatum nimiùm fuisse propensos, & minimè probatam illis intellexerat innouationem illam quam priuato studio contra res optimè constitutas meditata & molita est, qua causa Oxoniæ secunda regni Comitia primùm indixerat, sed ita nulla metuendæ seditionis occasio comperta est, vt mox mutato animo Londini conuentum fore decerneret. Postea verò spiritus interparietarius auditus est, Elizabethæ Croftæ in concauo parietis absconditæ susurrus & fistulatio, cuius increbrescens passim rumor ciuibus molestiam fecit, sed ita longè res à seditione vt pœna leuissima publicæ inter concionem pœnitentiæ transacta sit. Iam verò postquam ista omnia per mendacium tam inuidiosè posuisti, dic quid hìc erat per veritatem cur in nostros sæuiret quorum auxilijs & fide in regnum prouecta est? Ecquid in perniciem illius pro religione tentatum est? Ecquod auditum à nostris dogma fidei quo deponere persecutorem regnoque ac vita spoliare liceret? Et tamen infers, *siquid istis commota ipsis regni etiam tum nutantis initijs in hæreticos* (ita tibi visum scilicet quòd [t] *à stulto etsi illum in pila contuderis non auferetur stultitia eius*) *non modo turbulentum & peruicax sed etiam sibi infensissimum genus hominum acerbiùs statuisset, nulla profectò iusta fuisset causa cur eam quisquam nimiæ aut crudelitatis aut etiam seueritatis accusaret.* Immò nimiùm crudelis & sæua, quæ nullo modo hac quidem in parte lacessita patitur oues suas a sanguinum helluonibus illis ad mactationem assiduè raptari. At dic, insane, quæ te hìc ecstasis habet? quî te in Elizabetha malitia tua tam

t Prouerb. 27. 22.

cœcum facit? Cur non vides tuum in te argumentum hoc cum cumulo retorqueri? Elizabetha, inquam, regnum patris iudicio & testamento hæreditarium summo cum omnium gaudio & gratulatione consecuta, postquam Romano-Catholicos vestros, vt ante vidimus, benignè admodum & indulgentèr habuisset, [u] seditiosis tamen illorum libellis & contumeliosis in illam scriptiunculis indignissimè accepta; à Pontifice, illis agentibus, excommunicata, regni iure omni atque imperio interdicta, omnibusque in prædam exposita; pòst aperta Borealium rebellione & libris pro eadem Apologeticis ex dogmate Pontificio conscriptis lacessita; & porrò Iesuitarum & Seminaristarum incursionibus qui partes Pontificias in hoc regno popularium nostrorum seductione iuuarent, Hybernicisque sub id tempus tumultibus & suorum per eos assidua defectione vehementèr irritata, si leges in vestros scripsit duriores & acerbiores, nulla profectò causa iusta fuit cur illam quisquam nimiæ aut crudelitatis aut certè seueritatis accusaret. Quinetiam nouis postea coniurationum insidijs, Iesuitis authoribus & consultoribus, subinde appetita, & ab Hispano vestrorum auspicijs & inuitamentis non sine totius regni discrimine bello tentata, siquid porrò in capita vestra ad domandam improbam pertinaciam sanxit atrocius, magis vt vestrorum cateruæ perirent, quàm per vos communi patriæ periculum crearetur, ecquis hîc ei de nimia in vos legum acerbitate litem moueat? Vide verò, Andrea, quàm bellè tibi quadret quod habetur in Euangelio; [x] *Ex ore tuo te iudico serue nequam.* Cæterùm quod iam ais *restitutam à Maria summa ordinum omnium voluntate Pontificiam religionem*, in eo pro ea qua es rerum nostrarum notitia pessimè mentiris. Certè quod pro restituendo Papismo primo Parliamento factum est, non ex ordinum voluntate profectum, sed per vim & contra leges extortum est. Maria namque quòd se videret, si ritè omnia gererentur, consilia sua de reducenda superstitione perficere non posse, minis & terroribus obtinuit, vt [y] Equites & Municipes Parliamentares eligerentur quos votis suis consentaneos esse sentiret, & à consessu per vim exclusit quos repugnantes sibi fore suspicata est. Quanquam neque hoc quidem modo satisfactum sibi sensit, quia neque primis neque secundis Comitijs obtinere potuit, vt irrita esse decernerentur quæ aduersus primatum Ecclesiæ Romanæ Pontificisque

u *Orat. Nich. Bacon. Cancell Angl. in cubic. stellato, ann. 1567. Decemb*

x *Luc. 19. 22.*

y *Orat. Ioan. Hales ad Regin. Elizabeth*

summam authoritatem, quod religionis vestræ præcipuum caput est, anteà constituta sunt. Certè abhorruerunt animis nostri plerique denuò iugum admittere quod excusserant, & in ambitiosi tyranni potestatem prodere Regalia Principis & libertatem patriæ suæ. Postquam verò nuptiæ illæ tam inuisæ cum Hispano peractæ sunt deficere omnes animo cœperunt, & temporum iniquitati cesserunt vt ventis se ad experiundas fortunas committerent, postquam anchora se viderent stare non posse. *Maria verò*, inquis, *ita priscis Ecclesiæ legibus, iudicibusq́; ecclesiasticis res ad religionem spectantes permisit, vt ne in Cranmerum quidem lege agi passa sit, sed Iudici Ecclesiastico sisti eum voluerit.* In priori causa quid egerit, mox dicendum; ad Cranmerum quod attinet, ideò lege in illum agi noluit, ideò iudicibus ecclesiasticis tractandum commisit, vt tantò commodius in illum repositas alta mente iras suas & odij muliebris impotentes sui furores exerceret; vt, inquam, ignium tormento & ignominioso spectaculo seruaret, quem alioqui honorifica regni consuetudo morte honestiori plectendum postulasset. Hìc verò animus te iterum in furorem fert vt in Cranmerum insanias, qui hoc vno magnus videri cupis, quòd in viros sine controuersia maximos & doctissimos, quibus tu ne dignus quidem es qui matulam porrigas, tam libera tibi latrandi facultas est. *Cranmerus*, inquis, *à periurio Episcopatum auspicatus.* De qua calumnia, suppeditata tibi à Sandero, nobili mendaciorum artifice, iam ante diximus; sed tamen vt clariùs Lector Christianus intelligat, quàm improbè ad calumnias istas obfirmati sitis, rem prout gesta est, & in archiuis Archiepiscopi Cantuariensis descripta continetur, totam ordine referemus. Cranmerus enim postquam Archiepiscopatum per instantiam Regis & officij rationem repudiare non poterat, & tamen certum haberet animo à iureiurando Pontifici cum Regis iniuria, suoque conscientiæ præiudicio præstando temperare, de Iurisperitorum consilio, quos ea de re consulturus ei Rex interpellauerat, protestationem qua sibi de periurio cautum esset, ad normam iuris interposuit, de qua in Registro Cantuariensi sic habetur ad verbum:

In Dei nomine, Amen. Per præsentis publici instrumenti seriem cunctis appareat euidentèr & sit notum quòd anno Domini 1533. *indictione sexta, regni illustrißimi, metuendißimi ac inuictißimi Principis &*

& Domini nostri supremi Henrici octaui Dei gratia Angliæ & Franciæ Regis, fidei Defensoris, & Domini Hiberniæ excellentissimi anno vicesimo quarto, mensis verò Martij die tertio, in domo capitulari Collegij Regij sancti Stephani Protomartyris, propè palatium Regium Westmonast. London. Diocæs. notor. situat. constitutus personalitèr Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Thomas in Archiepiscopum Cantuariensem, vt decebat, electus, In mea Protonotarij Regij ac notarij subscripti ac venerabilium virorum Magistr. Ioannis Tregonwell legum Doctoris & Thomæ Bedill Clerici à consilijs dicti Domini nostri Regis, Richardi Gwent Decretorum Doctoris, Curiæ Cantuar. Officialis Principalis, & Ioannis Coxe legum Doctoris dicti Reuerendissimi Patris Audientiæ causarum & negotiorum Auditoris ac Vicarij in spiritualibus generalis, testium in hac parte specialitèr adhibitorum præsentia, protestationes quasdam fecit, legit & interposuit ac cætera fecit, prout in quadam papyri schedula, quam tunc ibidem in manibus suis tenuit, & perlegit plenius continebatur; cuius quidem schedulæ verus tenor, nil addito vel dempto, de verbo ad verbum sequitur, & est talis:

In Dei nomine, Amen. Coram vobis authenticâ personâ & testibus fide dignis hìc præsentibus: Ego Thomas in Cantuariensem Episcopum electus dico, allego & in his scriptis palàm, publicè & expressè protestor, quòd cum iuramentum siue iuramenta ab electis in Cantuarienses Archiepiscopos summo Pontifici præstari solita me ante meam consecrationem aut tempore eiusdem pro forma potiùs quàm pro esse, aut re obligatoria ad illam obtinendam præstare oporteat, non est nec erit meæ voluntatis aut intentionis per huiusmodi iuramentum vel iuramenta qualitercunque verba in ipsis posita sonare videbuntur, me obligare ad aliquid ratione eorundem dicendum, faciendum aut attentandum quod erit aut esse videbitur contra legem Dei, vel contra illustrissimum nostrum Regem Angliæ, aut Remp. huius sui regni Angliæ legesvè aut prærogatiuas eiusdem. Et quòd non intendo per huiusmodi iuramentum vel iuramenta quouismodo me obligare, quominùs liberè loqui, consulere & consentire valeam in omnibus & singulis reformationem religionis Christianæ, gubernationem Ecclesiæ Anglicanæ, aut prærogatiuam coronæ eiusdem Reip. vel commoditatem quoquo modo concernentibus, & ea vbique exequi & reformare quæ mihi in Ecclesia Anglicana reformanda videbuntur. Et secundùm hanc interpretationem, & intellectum hunc, & non aliter, neque

que alio modo dicta iuramenta me præstiturum protestor & profiteor. Protestorq́ insuper quodcunque iuramentum sit quod meus Procurator summo Pontifici meo nomine antehac præstitit, quòd non erat intentionis aut voluntatis meæ sibi aliquam dare potestatem, cuius vigore aliquod iuramentum meo nomine præstare potuerit contrarium aut repugnans iuramento per me præstito, aut in posterum præstando præfato illustrissimo Angliæ Regi; Et casu quo aliquod tale contrarium aut repugnans iuramentum meo nomine præstitit, protestor quòd illud me inscio, & absque mea authoritate præstitum pro nullo & inualido esse volo. Quas protestationes in omnibus clausulis & sententijs dictorum iuramentorum repetitas & reiteratas volo, à quibus per aliquod meum factum vel dictum quouismodo recedere non intendo nec recedam, sed eas mihi semper saluas esse volo.

Super quibus omnibus & singulis præmissis dictus Reuerendissimus Pater me Protonotarium & Notarium prædictum vnum vel plura, publicum vel publica, instrumentum siue instrumenta exinde conficere ac testes superiùs nominatos testimonium perhibere rogauit & requisiuit. Et deinde die, mense & anno prædictis dictus Reuerendissimus Dominus Thomas electus in mea & prælibatorum venerabilium virorum præsentia testium ad hoc etiam adhibitorum dictam domum Capitularem exiuit, & ad gradus summi altaris dicti collegij vestibus sacerdotalibus amictus ad recipiendum munus consecrationis perrexit, ac ibidem coram Reuerendo in Christo Patre Domino Ioanne permissione diuina Lincoln. Episcopo Pontificalibus induto supra cathedram honorificè ornatam sedente, Reuerendis Patribus Ioanne Exon. & Henrico Assauen. episcopis eidem Lincoln. episcopo in actu consecrationis dicti Reuerendissimi Electi assistentibus, genibus innixus quandam pergameni schedulam legit tenoris subsequentis:

In nomine Dei, Amen. Ego Thomas Cantuar. Electus ab hac hora in antea fidelis & obediens ero Beato Petro sanctæq́ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ; & cætera prout sequuntur in iuramento Pontifici Romano præstari solito. Sequitur;

Manibus suis tenens ante lecturam eiusdem schedulæ & iuramenti in eadem contenti præstationem in mea & eorundem testium præsentia asseruit, & protestatus est se dictam schedulam lecturam ac iuramentum inibi insertum præstiturum sub præmissis protestationibus aliàs per eundem eodem die in dicta domo Capitulari in mea & eorundem testium præsentia habitis & factis, & non aliter neque alio modo. Et

Et incontinentèr post præmissa eandem schedulam perlegit & vt in eadem continetur iurauit. Super quibus assertione & protestatione per eundem modo præmisso tunc ibidem factis vnum vel plura, publicum seu publica, exinde conficere instrumentum siue instrumenta ac testes præscriptos testimonium perhibere etiam tunc ibidem rogauit & requisiuit.

Contigerat mihi aliquantò seriùs huius tam expressæ memoriæ tam exquisitè consignata descriptio, quo factum est vt in hunc locum, non illud quidem incommodè, reiecta sit, sed per illam abundè liquet falsò intentatum à vobis Cranmero periurij crimen, & nihil aliud fecisse quàm quod legum & ciuilis disciplinæ communis ratio permittit & probat, & quisque vestrûm iure se optimo in pari causa facere posse confidit. Iuramentum è schedula legit pro forma, iurare haud aliter profitetur quàm quoad cum protestatione præmissa conuenire possit; vbi interim illud quod vtrisque buccis inclamatis *præmeditatum & atrox & immane periurium?* Porrò *impiam*, inquis, *sententiam de Catharinæ cum Henrico Rege coniugio pronunciauit, qua illam thoro, Mariam regni successione deturbarat.* Immò impiam Pontifex & infandam sententiam dixit, qua matrimonium à Deo damnatum, [z] Patrum scitis, [a] Canonibus Conciliorum, [b] Academiarum grauissimis censuris in interdicto numeratum, [c] Antichristiana præsumptione, nec enim alia glossatori vestro in pari causa visa est, ratum esse decreuit. Rescripsit Augustino Gregorius; [d] *Cum cognata* (sic fratriam appellat) *misceri prohibitum est, quia per iunctionem priorem caro fratris fuerit facta.* Tumultuetur, quantum volet, Apologista, Gregorius *prohibitum* esse denunciat; & quod Gregorio primo *prohibitum* est, hoc Iulius secundus legitimum facit? An Christus à se diuisus est? Annon [e] *Iesus Christus heri & hodie & idem in secula?* Quid opus verò Gregorio vt recens ad fidem conuersis, dirimendo vel saltem damnando matrimonia, scandalum ponat, quod ipse, siquidem penes Pontificem sit, dispensando vitare queat? Cranmerus verò quanquam Catharinæ matrimonium illicitum rescindendum censuisset, Mariam tamen à regni successione, siquidem obtingeret, excludendã non iudicauit, ratus quod simplicitèr à parente per inscitiam factum est, natis innocentibus fraudi esse non debere. Quarè non modò nihil in illam, patre viuente, tentauit, verumetiam offen-

z Basil. epist. 16. August. q. super Leuit. 64.

a Eliberin. cap 61. Aurelian. 1. cap. 20. & 3. cap. 10. Arelat. 4. c. 11. Mogunt. 1. cap. 56.

b Parisiens. Aurelian. Andegau. Bononiens. Pataniens. Tholosan.

c 35. q. 5. Porro. in gloss.

d Gregor. ad interrogat. August. 6.

e Heb. 13. 8.

sum grauitèr in illam stomachosiùs agentem patris animum quo *Principissæ* nomen è literis expunxit, intercessione mitigauit, & testamento Regis, quo post fratrem hæres scripta est, assensus sui symbolum dedit. Quin & cùm ius Regni testamento fratris & concordi Procerum sententia minuendum illi sentiret, reluctatus est, quantùm posset, nec nisi illorum victus importunitate subscripsit (quo tempore [f] *Northumbrius effecerat*, teste Sandero, *ut penè omnes viri Principes per vniuersum Angliæ regnum voto suo* (pro excludenda Maria) *assentirent & subscriberent*) quod & ipse literis ad Consiliarios ipsos ostendit; [g] *Nostis aliqui vestrûm qua ratione sum adductus & prolectus ut Testamento Regis Edouardi manus darem, & quomodo eidem contradixerim, quarum rerum relationem mitto Dominationibus vestris.* Qua in re etsi cæteris se omnibus fideliorem comprobauit, tamen per inueteratam malitiam habitus est præ omnibus indignissimè, tractusque in iudicium conuictus & damnatus est, & tu tamen pro mirabili prudentia tua lege in illum agi non passam dicis. Atque hęc sola est damnatio quæ in illum stetit lege publica, quam tamen remisit quia puduit illam vltrà prosequi, & statuerat alia ratione furias in illum vltrices immittere; nam quod illum de Wietanæ coniurationis conscientia reum factum insimulas, stolidum figmentum tuum est & prodit egregiè malitiam tuã, quia duos antè menses actum est in Cranmerum, quàm quicquam de Wietana coniuratione rescitum vel suspectum est. Et quidem quod de *nonnullis alijs Episcopis nostris cum eo conuictis* dicis, pari fide est, neque quicquam prorsus habet cum rerum nostrarum historia coniunctum. Quare qui hoc prætextu Coko mendacium nebulo inciuilis obiectas, verè tu te Cretensem & mendacem ostendis, & per hos omnes stat integrum quod ille posuit, [h] *nullum vnquam Ministrum Protestantem vllius coniurationis aut cædis in hoc regno intentatæ reum fuisse peractum.* Iam quod antè dixeras *Mariam priscis Ecclesiæ legibus & iudicibus Ecclesiasticis res ad religionem spectantes permisisse*, hoc repetis, *illam cum totum religionis iudicium è sacrorum Canonum præscripto Ecclesiasticis cognitoribus permisisset, in hæreticos neque leges vllas ferendas curasse, neque quicquam ipsam statuisse.* At hic intelligendum tibi fuerat vestras Ecclesiæ leges nullas nobis esse posse nisi Comitiorum lege nostra ratæ esse iubeantur, nec à Maria cognitoribus Ecclesiasticis

[f] Sander. de schis. Anglic. pag. 133.

[g] Cranmer. lit. ad Consiliar.

[h] Act. in Prodit. pag. 39.

asticis datum vt quicquam in quenquam absque noua lege nisi mero eius imperio potuissent. Ac ineptè quidem dicitur res ad religionem spectantes prorsus Episcopis permisisse, quæ Regia tantùm potestate summouit priores Episcopos, habendas de religione disputationes indixit, librorum nostrorum euulgationem edicto vetuit, iniunctionum suarum articulos Episcopis exequẽdos cum imperio publicauit, de seruandis superstitionibus suis præceptiones in vulgus dedit; denique pro destruenda religione nihil minùs fecit, quàm Elizabetha pro reparanda. Cæterùm post reuocatas lege superstitiones Episcopis suis Ecclesiam permittens, quid aliud quàm leonibus & lupis ouiculas, coruisque ac miluis turturem & columbam Christi permisit? qui post longam inediam famelici iam & sitientes ad prædam, in corpora sanctorum alacres & certatim inuolarunt, & maceranda ignibus curarunt, vt ambustarum carnium nidoribus satiare se & sanguinibus tremebunda sæuis iris viscera mulcere possent. *In hæreticos*, inquis, *aut nullo pacto aut segnitèr admodum inquirebant*. Verè tu quidem, in *hæreticos*, neque enim multi erat periculi hæreticum esse, sed nostros quibus per illos [i] *hæresis erat seruire Deo patrum nostrorum, eaque credere omnia quæ in Lege & Prophetis & Apostolis scripta sunt*, haud acriùs insecuti sunt quàm leænæ solent & vrsulæ catulorum suorum prædatores; haud magis ad insidias illis faciendas attenti, quàm vultures solent ad vespertinas rapturas oculati esse. Figmentum tuum est, homo nequissime, *vix quenquam per id tempus comprehensum nisi qui se vltrò obtulisset, aut etiam conniuentibus obtrusisset*; quin potiùs Inquisitoria vestra diligentia & sedulitate omni res acta est vt traherentur ad pœnas quicunque nostri essent, quod tu non nescis, & Boneri Monitio ad Rectores & Curatos manifestum facit, qua cautum esse iussit [k] *vt nomina deferrent omnium qui ad confessionem non accederent & sacramento Altaris ritu vestro non communicarent, vt nos*, inquit, *intelligentes qui à confessione & sacramento Altaris abstinuerint, iuridico processu in illos agamus, vtpote culpæ obnoxios & legum ac consuetudinum Ecclesiasticarum transgressores.* Id Regio pòst edicto Episcopis omnibus in pręcepto datum est; quo & Prætori Londinensi mandatum *vt per tribuum Præfectos omnes & singuli sibi à Regia Maiestate imperatum intelligerent, vt indicarent absq; mora nomina & cognomina personarum omnium,*

[i] Act. 24. 14.

[k] Monit. Boner. ad Curat.

à quibus aduersum articulos ab ipsa publicatos peccatum animaduerterent vel etiam pòst animaduersuri essent, idque facerent omni circumspectione & diligentia, periculum alioqui Regiæ offensionis incursuri. Prodijt etiam terribilis delegatio nomine Regis & Reginæ circiter medium anni quarti, qua potestas data est *inquirendi & peruestigandi omnes qui Missam adire renuerent, qui siue panem siue aquam benedictã auersarentur, &c.* Animaduertat ergò Lector hìc quam tu dura fronte sis quem non pudet asserere *segniter admodum aut certè nullo pacto in nostros inquisitum & vix quenquam comprehensum per id tempus qui non se vltrò conniuentibus obtrusisset*, quasi quisquam ita desipiat vt credat homines tam frequentes vltrò se angustijs illis & diris ignium tormentis offerre voluisse. Atque istos dicit *fuisse ferè Cerdones, Cementarios, Rusticos, mulierculas, quisquilias plebis*, nimirum vt Celsi discipulum agnoscas, qui eodem olim argumento Christianismum infamare voluit [g] *quòd solos asciceret amentes & ingenio seruili præditos*, [h] *fatuos, ignauos, stolidos, mancipia, mulierculas, pueros*, denique [i] *solos hìc dixit Rusticiores illaqueari.* Cæterùm quod dixit olim Augustinus Iuliano; [k] *Ne nomine sellulariorum opificum derideas membra Christi; memento quia infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia*; idem tibi mutatis nominibus percommodè dictum puta, qui cerdonum, & cementariorum & rusticorum despectis tibi vocabulis, ludibrio, quantum potes, exponis membra Christi sanctosque Dei homines profana tua scurrilitate ridiculos facis. Hos tu ais *pro ea superstitione mori voluisse cuius rationem interrogati nesciebant*, qui potiùs dixisse debueras pro vera religione mortem non recusasse, cuius rationem ita tenuerunt, ita reddiderunt, ita verbo dei, [l] *verbo testimonij sui*, compescuerunt ora vestrorum, vt propè attoniti nonnunquam starent & præter conuitia & carceres & fasces & ignes, nihil haberent quod reponerent. Quanquam meminisse te oportuit non fuisse cerdones solos aut cementarios qui pro religione mortem oppetierunt, fuisse quippe etiam Archiepiscopos & Episcopos & Concionatores multos, doctrina & dotibus egregios viros qui viam cæteris exemplo suo præierunt; qui eruditione singulari causam fidei fortissimè propugnarunt, & admirabili patientia superbas insultationes vestras, & carceres durissimos & conuitia & scommata & indignissimæ mortis opprobria passi sunt.

g *Origen. cont. Cels. lib. 3.*
h *Ibid. post.*
i *Ibid. lib. 6.*
k *August. cont. Iulian. Pelag. lib. 6. cap. 4.*
l *Apoc. 12. 11.*

Vtrinque verò immane spectaculum crudelitatis vestræ fuit. Itáne liberi homines & honorati, literarum diuinarum & humanarum studijs excultissimi, non blasphemia, non idololatria, non crimine vllo infames, à quibus nullum Principi, nullum reipub. periculum fuit, immo quos habuit illa non minùs quàm Imperatores olim Ethnici veteres Christianos imperio suo seruientes, itáne, inquam, vt purâ putâ religionis causa, neque mulcta sat illis ad pœnam, nec arcta custodia, nec exilium, sed à paribus suis ignium infando tormento addicti sint? Quin & ex altera parte quàm ab omni alienum humanitate fuit vt cerdones, quos appellas, & cementarij & rustici, immò vt adolescentuli & mulierculæ, simplicitate ipsa contemptibiles & miserandi propter innoxiam vobis fidei conscientiam flammis adiudicandi viderentur? Sed nimirum vestros oportuit [m] *Purpuratæ meretrices* alumnos agnosci, quòd haud aliter ferè possent nisi cruentati, & innocentum hominum fuso sanguine ad ebrietatem vsque madidati. Iam tu, miser, fili diaboli, perge distorquere os & cachinnis & scommatis irridere cerdones illos & cementarios & rusticos, quasi quisquam tam sit inglorius, in quo non glorificetur Deus, qui repugnantibus Pharisæis & Scribis, & Iesuitis, & Pontificibus & Cardinalibus, è vulgo hominum, immò [n] *ex ore lactentium & infantium laudem sibi perficit*: sed intellige futurum aliquando vt cachinnus ille tuus in gemitum exiturus sit, quando frons illa tua tam incrustata iam & ad impudentiã obfirmata non sustinebit aspicere cerdones illos & rusticos, quorum [o] *tu vitam insensatus æstimas insaniam & finem illorum sine honore*, dicturus illo die; *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei & inter Sanctos sors illorum est.* Iam quod comparatè dicis de religione per Elizabetham reformata, quia ferè totum in te recurrit, nonnisi stolidè abs te dictum est. *Religionem vestram Catacatholicam primis eius Comitijs, partim vi, partim opibus impugnatam* ais: dic verò, qua vi, quibus opibus? Certè de Mariæ Comitijs tale quiddam vidimus; cedò tu de Elizabethæ. *Reclamantibus*, inquis, *Episcopis* impugnata est. Nimirum vestris, & quidem nostra in introitu Mariæ reclamantibus nostris. *Proceribus*, inquis, *partim resistentibus, partim spe regij thalami, partim libertate conscientiæ suo ordine præposita in simulationem inductis.* At tu hic turpissimè Cretizas, quia in quas partes Proceres addictiores

m Apoc. 17. 3.

n Psal. 8. 2. Mat. 21. 16.

o Sap. 5. 4.

per se fuerant, eo patuit quòd tam facilè Ianæ Graiæ nostræ contra Mariam vestram regnandi suffragium antè dederant. Et certè paucissimi restiterunt, plerique omnes in Reginæ sententiam, cautione tantùm de iuramento Primatus Optimatum quorundam in gratiam interposita, pedibus ierunt. Ac quàm sponte omnia successerint, vel indè manifestum est, quòd primis ipsis Comitijs absque difficultate nostra omnia perfecta sint, cùm tamen neque primis neque secundis, non ante tertia Mariæ Comitia vel restituta Pontificis authoritas, vel de nostris comburendis leges datæ sunt. Leges verò illæ primorum Comitiorum Elizabethæ quàm parum vestros offenderint, ex ijs quæ ante diximus manifestum est: neque vllis illæ postea rogationibus auctæ quarum non prima ab illis occasio fuit. Nihil factum legibus illis vt non Episcopi vestri, etsi locis suis orbati, vt non & cæteri perbenignè sint habiti; non vlla illis causa qui tales in nos fuerant, cur iniquiùs secum, cur duriùs, cur lege talionis actum putarent. Auctæ illæ posteà noua rogatione non ante annum decimumtertium per Bullam Pontificis proditionum teterrimarum Palladium; & dein auctæ anno vicesimo tertio per seditiosas vestrorum pro eadem exequenda machinationes, quas nemo est sobrius qui ad capitalem reatum non referendas existimet. Qua causa meritò in Sacerdotes vestros agitur, necubi vt apud nos consistant, nequis tutus reliquatur proditioni locus, nequid vsquam perfidia sibi saluum putet. *Scrutamur domos, concaua parietum exploramus, ipsa*, si fieri possit, *terræ viscera rimamur*; esto, vt nimirum extracti è latebris perduelles Principis, reip. hostes, patriæ proditores, cum capitalibus inimicis ad totius regni periculum & perniciem confœderati, meritas impietatis & perfidiæ suæ pœnas luant. Hos tu *modestia, demissione animi, patientia* commendas, quorum tamen petulantia, procacitas, impudentia in magistratus dicax & verbosa tanta nonnunquam est, vt captare laudem ex crimine & sceleratam audaciam sibi ad virtutis opinionem esse velle videantur. Quod autem adiungis de *squallore pædoreq; carceris & exquisitis cruciatuum generibus*, odiosè totum à vobis & impudentissimè confictum est, quia in neminem vestrorum alijs supplicijs animaduersum est, quàm quæ anterioribus seculis in maleficos & proditores recepta & vsitata sunt; vt meritò exosi esse debeatis orbi Christiano

quos

quos non pudet tam apertè contra conſcientiam mentiri veſtrorum alios impetu equorum diſcerptos, alios ferarum pellibus indutos & à canibus laceratos, alios alijs tormentis inuſitatis, & quidem fœminas, enecari, quorum apud nos nihil vnquam auditum aut viſum eſt. Iam verò qui te torques vt numerum veſtrorum quadraginta quinque annis ferè ad ducentos perducas, quos Sacerdotes ipſi veſtri teſtantur proditionis cauſa & nomine iuſtiſſima lege peremptos eſſe, nemo vt quæſtione religionis capitis pœnam obierit, dic iam iterum annon laudanda in vos Elizabethæ moderatio & clementia; dic an illa tempora cum Mariani quinquennij ſæuiſſimis incendijs & immanitate, qua trecenti illi propter ſolam & meram religionis conſcientiam perierunt, conferenda ſint.

CAP. VII.

Quàm fruſtra ſudet Apologiſta vt accuſationis & Actorum fidem infringat.



PRomittis hìc, Andrea, te illa dicturum quæ *accuſationis & actorum in cauſa Garneti fidem eleuent*; verùm ita præſtas quod promittis, vt te pateat, non rebus ad veritatem agere, ſed canino furore vellicare omnia & rodere, & improbo malitiæ ſtudio ad vertiginoſos ſenſus tuos & cauillationum materias impudentiſſimè diſtorquere; quo te non verum honeſtæ cauſæ Apologiſtam, ſed importunum Sycophantam, vitilitigatorem calumnioſum & clamoſum eſſe confirmas. Certè quidem quæ à te de temporum ratione tam accuratè ſubducta ſunt, vt in dierum & menſium & annorum ſupputatione dictum aliquid inconuenientèr, & cum hiſtoria rerum non conſentaneum oſtendas, inſcitiam planè tuam & ſtolidam temeritatem, non vllam rerum noſtrarum debilitatem produnt. Siquidem intelligendum tibi fuerat homini tam naſuto, articulos & momenta temporum quibus conſilia illa ſubinde agitata ſunt, diuinari à Coko minimè potuiſſe, ſed à reorum tantummodo indicijs fuiſſe petenda, qui ſicubi vacillauerint, aut parum conſtantèr reſponderint, ſicubi à via ſua veſtigia ſua repetendo deflexerint, ſicubi parùm commodè ab illis res temporibus ſuis diuiſæ ſint, ſibi habeant in quo erratum à ſe eſt; quid hoc ad Actionem labefa-

factandum? quid ad Attornati minuendam fidem? cui videlicet mutandum nihil erat, sed repetenda omnia prout ab ipsis per quæstionem accepta sunt; quos vtut fefellerit articulatio temporum suorum, certè res ipsa non fefellit, nec fugit memoria coniurationis aut designationum suarum, etsi dum agitur annus secundus aut tertius, fugit fortasse quo quidque mense, quo die designatum factumve sit, eratque de eo nonnisi ancipiti nonnunquam coniectura, & illa quidem à varijs varia & dissentiente, statuendum. Quare mera hîc cauillatione Lectoris operam & patientiam illudis, otiumque tuum miserè perdis, & te tuosque frustra fatigas, interim vt nulla nobis leuitatis aut iniustitiæ, tibi tantùm stultitiæ tuæ labes hæreat. Sed tamen ordine videamus, postquam ita necesse est, Aristarchus iste noster, Censor seuerus & grauis, qui curiosissimis oculis in angulos omnes & rimulas tam acutè dispexit, quæ sibi tandem ad fidem Actionis infirmandam tam fortia commentus sit.

Ac quod primùm opponis, *in priore Actione calumniam Garneto factam constare, quòd illi conscientia totius coniurationis attribuitur, cùm nihil in illum lucis & probationis, teste Comite Salisburiensi, adhuc existeret*, de eo iam ante capite primo dictum est; nodum verò hîc nobis expediet ipse Garnetus, qui [a] *ea causa se adductum* fatetur, *vt totius negotij conscium se agnosceret, quòd illum reliqui omnes rei per quæstionem accusassent, & interposita à Catesbeio illius authoritate se ad hoc inceptum confirmatos prodidissent.* Quod idem literis ad Annam suam succo citrino scriptis profitetur: [b] *Sensi me, inquit, ab omnibus qui me antecesserant ita detectum, maximè verò à duobus illis qui meum cum Hallo colloquium subaudierant, vt ad facta nostra excusanda multò potiùs veritatem dicendam indicarē, quàm standū tormentis aut testimonijs.* Iam verò annon meritò nobis eodem argumento, quo ipse sibi reus est? Ille se non negat accusationi subiacere quòd à confœderatis omnibus conclamatum in se sit; tu illum per calumniam accusatū dicis? Accessit quidem ab interlocutione cum Hallo luculēta illa, quam Comes honoratissimus intellexit, & plena probatio quæ illū rectà configeret & absq; tergiuersatione reū faceret, sed tamen ante quoque à communi reorum voce sat causæ, seipso quidem authore, fuit cur proditionis vnà cum cæteris appellandus esset.

[a] *Autograph. ad Patres & fratr. Apr. 13.*

[b] *Lit. ad Ann. Vaux. April. 3.*

Atque

Atque eo cadit quod proximè struis *de rebus ad coniurationem pertinentibus, excepto Catesbeio, cum nullo planè laico locutum esse Garnetum; proinde Catesbeio mortuo, neminem aduersus Garnetum testimonium dicere potuisse.* Quanquam enim mortuus Catesbeius, superstites erant tamen quibuscum à Catesbeio conscientia Garneti communicata est, ex quorum testimonijs tam coniunctis & consentientibus quis est tam vecors qui non intelligat quàm meritò illi accusatio indicta sit? At inquis *sine vlla probatione Cokus affirmat egisse ijs de rebus Garnetum cum Catesbeio, nec vnquam hoc Garnetus confessus est.* Immò confessus est Garnetus, & alitèr quoque constat, quod planum fiet suo loco, egisse se hac de re cum Catesbeio pariter & Grenwello & quidem in particulari, vt nihil dicam satis ad reatum fuisse quòd [c] *generalem eius notitiam à Catesbeio perceptam habuerit, quam celarit tamen cùm reuelare liceret*, quod fatetur binis literis, alteris *ad patres & fratres*, alteris ad *Grenwellum* scriptis, deque eo *veniam sibi à Deo simúlque à Rege dandam* precatus est. Tu tamen, vt huic mendacio suppetias feras, verba quædam adducis nouo mendacio tanquam Hallo per colloquium dicta simpliciter à Garneto, *quæ*, inquis, *qui ad excipiendum Garneti cum Hallo colloquium appositi fuerant, audisse se dixerunt*, de quibus tamen Corycæi illi nihil prorsus, quæque Garnetus nonnisi in iudicio & quidem mero figmento locutus est. Quippe *Grenwellum narrat animo perturbato auidoque aliquid detegendi quod Catesbeius vnà cum alijs moliretur ad ipsum venisse, cui respondisse se ait, se quidem ab illo quid rei esset libentèr accepturum, verum ea lege vt neque Catesbeius neque quisquam alius se consiliorum participem factum esse cognosceret.* Quorsum verò *perturbatio* illa tanquam in re noua, quando Grenwellum constat ab initio Catesbeianæ mentis fuisse participem, [d] simulque cum illo ad consilium de innocentium cum nocentibus promiscua cæde capiendum ad Garnetum aduenisse, quod Garnetus ipse scripto, Regi vt satisfieret hac in parte, testatus est? Quinimò totum hoc à Garneto leuandæ inuidię causa confictum est, neque dici quicquam potest ex quo credatur vel Grenwellum hìc fuisse perturbatum, vel Garnetum vnici sui Catesbeij conscientiam quam ante fuerat intimam expertus, refugere voluisse. Iam quod proximè cauillaris [e] *dictũ à Coko Garnetum cum Grenwello & Catesbeio*

c *Autograph. liter. ad patres & fratres & ad Grenwell.*

d *Autograph: Garnet. ad Reg. April. 4.*

e *Act. pag. 80.*

sermonem habuisse de proditione mense Iunio 1604. *indictam verò actionem de inita coniuratione nono die Iunij* 1605. *quasi anno integro ante coniurationem initam coniuratum sit*, tantundem tibi est, quia notatus posterioris Iunij dies nonus formulæ iuris attribuitur, quæ diem certum designans quo capitale aliquid de negotio quocunque consultum est, non excludit antegressa consilia, quia quouis die factum intelligi poterit quod continuato actu per diuturnum tempus fit. Atque hoc quidem accusatione ipsa satis expressum est, quæ ita illum ait *nono die Iunij conspirasse*, vt mox addat [f] *& diuersis alijs diebus & vicibus tam antea quàm pòst.* Pari vanitate ludis in eo quod narrat iterum Cokus, vt tu refers, *rem illam à Garneto adeò certam esse pronunciatam, vt perfici eam necesse foret antequam palam fieret.* Atqui admonere te debuerat qui pro te libros Anglicanos inspectat, *certum* ibi lapsu Typographi dictum esse pro eo quod *secretum* dici debuit: sic enim Cokus; *Adeò secretam esse pronunciabant vt perfici eam necesse foret antequam palam fieret.* Quanquam vt ita dictum esset, certè vel ipsa te sententiæ ratio docere potuit, *certitudine illa & necessitate* non officij vinculum, sed ineuitabilem rei euentum designatum intelligi oportere, vt planè otiosum sit quod ais, *nihil fuisse de quo Garnetus Papam sibi consulendum putaret*, quod ibi fecisse dicitur, *quia de certis*, inquis, & *necessarijs consultatio nulla est.* Eiusdem farinæ est quod ab illo Iunij die nono post alteram pagellam colligis, *coniurationem non ante biennium ex quo cæpta est Garneto patefactam, proinde illum coniurationis authorem minimè esse potuisse*, quia repetito consilio conuentum est porrò Iunij die nono, de quo tamen ante quoque conuentum & coniuratum est. Nec verò lædit Actionem quod ais, *Garnetum nemini pro vinculo coniurationis Eucharistiam dedisse*, quia ex consuetudine fori, nequid hic nouum putes, dicitur in circumstantijs causarum quod verisimile esse possit, vbi de summa compertum est, & est nonnunquam vbi communicato in adiunctis istis reatu fecisse omnes accusantur, quicquid ex conscientia & voluntate omnium pro communi consilio promouendo quisquam vnus fecit. Denique accusatori liberum est in indictione causæ ad normas & præscripta Iurisconsultorum litem ponere; sententiam interim non parit nisi quod in disceptatione causæ vel confessione vel testimonio compertum est,

[f] Ex Actis Curiæ.

frustra

frustra vt à te dicantur omnia quæ ab accusationis formula petita sunt, nisi fortè toti foro, totique Iureconsultorum scholæ te in certamen des. At *Actio prior nonnihil à posteriore dissentit.* Quid ita verò? Nempe *prior Actio Ioannem wright, posterior Christophorum dicit, Gerardo sacra faciente, in fœdus acceptum.* Grande piaculum; pro Ioanne lapsu memoriæ Christophorum dicit, quando vterque par in causa est; actum scilicet de actione est. Quin & *Faukesius additur in posteriore Actione, cuius in priore mentio facta non est.* Stulte, quid ad rem? Omittitur tantùm in priore Actione, non negatur, in posteriore verò cum cæteris, prout ante potuit, annumeratur, & quid hoc quæso dissensionis est? Porrò quod *de quatuor Martijs mensibus in duorum annorum & dimidij angustias intrusis* tam longa oratione deblateras, haud multùm nobis negotij facit. Certè in eo difficultas est, quòd *Mense Martio 1603. collocuti inter se dicuntur Garnetus & Catesbeius, quo tempore Catesbeius Garneto generatim narrat,* inquit, *Regem Catholicis datam fidem fefellisse; quapropter fore propediem vt aliquid turbarum in Anglia daretur.* Erratum ibi, quo authore nescio; & [g] Martius mensis forsitan lapsu Typographico substitutus est, & dictum illud credo à Catesbeio mox à Regis aduentu de proditione Watsoni & Clerki, cuius [h] ille quoque particeps fuit, nihil verò, opinor, ad causam hanc. Intellige ergò Martio mense 1603. mox sub Elizabethæ morte missum in Hispaniam Christophorum Wright qui priorem negotiationem Thomæ Winteri pro inuadendo Angliç regno promoueret. Sub ingressu Regis cùm res suas parùm sibi ex animo succedere viderent, proditionem meditati sunt Watsonus & Clerkus ex qua turbas illas Catesbeius ominatus est. In Septembrem proximum coniuratione illa frustrata incidit colloquium illud [i] Catesbeij cum Perceio, quo hic cædem Regis ad subleuandos Catacatholicos suos se facturum minitatur; ille aliud sibi cogitatum significat quod certiori exitu & minori cum periculo transigi possit. Secuta pòst consultatio Catesbeij cum Garneto de nocentium simul & innocentum strage facienda, qua sc ambage postquam explicasset, egit cum suis liberiùs vt execrabile consilium amplexarentur & in effectum mittendum curarent. Accessit ergò [k] Thomam Winterum cum quo simulque cum Ioanne Wright, Martio proximo qui primum Iacobi Regis annum exclusit, aperuit secun-

g *Vide hac de re cap. 9.*

h *Confess. Watson. Septemb. 3. 1603.*

i *Actio in Proditor. pag. 78.*

k *Ex confess. Faukesij & Tho. Winteri.*

secundum, rem totam communicat, habetque ambos ad dirum nefas plùs satis expeditos. Ibi tum de re decernunt, de Faukesio sceleris instrumento futuro delectum faciunt; quem mox idem Winterus in partibus transmarinis agentem eò profectus in Angliã reduxit. Reuerso iam Faukesio Londinum festinat Perceius, cuius ad suos prima vox fuit, *Sempernè, Generosi, verbis agemus, nihil opere faciemus?* Quo manifestum fecit non hìc primùm ab illis de proditione consultum, sed antea quoque ea de re sermones & consilia miscuisse. Inde verò à quinque illis Maio mense itum in foedus, & solenni Sacramento quo de taciturnitate & perseuerantia fidem faciunt, interposita Eucharistiæ de Gerardi manu perceptione, coniuratio firmata est. Decembri sequente cuniculus agi coeptus, & secutus deinde Martius mensis tertius, qui detectam coniurationem proximè antecessit, quo Faukesius ad Gulielmum Stanleium & Baldwinum pro omnibus ad captandam occasionem opportunè comparandis ad tempus ablegatus est. Ita iam luculenta tibi fit absque quarto Martio proditionis historia, nec tamen quicquam dictum est quod non tute ipse videre optimè potuisses nisi quòd malitia te coecum facit, & animus tibi tantummodò ad calumniam comparatus est. Quid enim? an latere te potuit Septembrem illum quo primò conuenisse dicuntur Catesbeius & Perceius, ad annum 1603. & primum Regis Septembrem fuisse referendum, quando tam apertè legeres secutum Ianuarium Regis primum, quo Garnetus Regium indulgentiæ diploma consecutus est? Qui videres secutum ab illo Ianuario Martium mensem quo de proditione pyriopuluerea statutum est, & inde Maium mensem expressè dictum *qui fuit anno Regis secundo, quo* execrabili Eucharistiæ prophanatione confoederatio sancita est, an posses non videre Martium illum mẽsem intelligi oportuisse quo terminatus est nobis annus 1603. Regis primus, & coeptus annus 1604. qui Regis secundus fuit? Sed quid ego tempus tero vt te hominem vecordem & insulsum ista doceam quæ candidis ingenijs ipsa per se tam facilia, tam explicata sunt?

Proximè occurrit habita à Garneto, Catesbeio, Treshamo consultatio *de* viribus Catholicorum, quorum rebellioni Pontifex assensum præbere nollet nisi priùs intelligeret ita illos copijs & exercitu pollere vt de victoria præsumi tutò posset. Accedit

profectio Baynhami ad Pontificem vt eum de hoc toto negotio certiorem faceret, literis eo fine à Garneto scriptis, quibus rogauit quoque vt ab eo præcepta hùc darentur de seditione Catholicorum sub pœna censuræ comprimenda. Vbi quæ narrantur *adeò non constare ais, vt ægri somnijs similia videantur*. Sed qualiacunque videantur, benè tibi habenda sunt, quia nonnisi à tuis profecta sunt, qui si *ægri*, si *somniantes* fuerint, est vt suo, non nostro vitio tribuendum sit. Sed videamus tamen quid tu hìc habeas quod sanus scilicet & vigilans contradicas. *Si cum nullo vnquam laico*, inquis, *præter Catesbeium his de rebus Garnetus agere voluit, qua ratione cum Treshamo & Baynhamo consilium communicauit?* At vnde illud quod tam frequenter inculcas *cum nullo vnquam laico præter Catesbeium?* quod tuum certè est nonnisi mendax subterfugium. Quanquam enim fuit ille ad tempus aliquantò scrupulosior & cautior, & quidem honoris & reuerentiæ causa cohibuit se ne vir tantus cum vulgo suorum ageret, postquam tamen maturata ferè omnia & posita iam in tuto videret, cum primarijs illis miscere consilia non detrectauit. At *qua ratione Pontifex*, inquis, *neque consultus & ignarus quid rerum in Anglia ageretur, negare potuit se Catholicorum rebellioni fauturum nisi ante sciret quàm parati essent ab exercitu Catholici?* Immò non ignarus Pontifex & expertus probè, seditiosa suorum consilia, quorum tam feraces assiduè fuerant, quàm frequentèr in vanum abierant, promiscua cautione prouiderat, ne luderent illi amplius operam, nevè quid tentarent priusquam ita comparatæ vires essent, vt de exitu certi & securi esse possent. Quod cùm intelligeret Garnetus, pro sua in Pontificem obseruantia nihil secùs facturus quàm præceptum esset, ita rem illi renunciatam esse voluit, vt simul spem faceret sic instructa omnia vt de læto successu minimè dubitandum videretur. Porrò *si certum*, inquis, *habebat Garnetus fore vt antè negotium perageretur quàm à Romano Pontifice responderetur, quorsum consultatio illa? quorsum nuncius qui consuleret quid fieri placeret?* Eò verò nuncius vt Pontifici res intellecta sit, eò consultatio vt de suorum viribus edoctus, benè speraret de incœpto, decerneretque porrò in diem quod ex vsu foret. Decreuit ille, & altera fulmina sua in propinquo esse iussit mox ab illa strage passim in nos effulminanda. Ineptè tu interpretaris *consultum ibi quid fieri placeret*; neque enim dubitatum

quin placeret, modò quod placeret in irritum ne iret. At *quid*, inquis, *emolumenti allaturæ fuissent illæ literæ quas Garnetus ad compescendas seditiones à Pontifice petebat, si antè responderi non poterat quàm proditio aut patefieret aut exitum sortiretur?* Immò de *patefactione* metus nullus vbi rem *tam secretam pronunciabant vt eam perfici necesse foret antequam palàm fieret*; tantùm de exitu somniatum est. Garnetus verò artis proditoriæ veteranus non ignarus multimodè contingere potuisse vt Comitiorum prorogatio longior futura esset, & veritus, si ita fieret, ne suorum animos res nouas communi iam voto parturientes mora redderet impatientes, ita consulendum abundanti cautela censuit, vt siquidem opus esset, motus illorum omnes authoritate compesceret, & lepidâ fabellâ nostros mulceret, faceretq; securitate negligentes, nec vlla periculi suspicio ab illis esset, quibus tumultu omni & seditione interdictum, deque studijs omnibus ad pacem componendis tam seuerè mandatum esset. Hæc causa petendi literas illas quantum quidem à nobis colligi potest; quæ si tibi non satisfacit, quid ad nos? quibus satis est quod confessum à tuis est, scripsisse illum hoc prætextu; de causa meliori tu illum interroga vbi obuius tibi proximè futurus est. Atque ea quidem stoliditas tua vt non intelligas, non animaduertas, ea quæ sic rodis & vellicas, non nostra esse sed tuorum hominum, ipsisque ore suo dictantibus excerpta, nec ab Attornato tantùm edita, sed de scriptis confessionibus palàm in iudicio recitata. Ab eadem stoliditate profectum est quod proximè cauillaris *de Breuibus à Pontifice ad Garnetum Elizabetha tum viua de eius successore missis ita disputatum à Coko, vt non modò quid ijs contineretur, sed etiam ipsa eorum verba & particulas teneat atque ad verbum ex ijs nonnulla recitet, quæ tamen triennio ferè antè, Iacobo Rege renunciato, à Garneto combusta sunt.* Certè enim nisi à vestris nihil nobis de Breuibus illis & literis intellectum esse potuit; particulas eorum quæ recitantur ad verbum Garnetus ipse de memoria sua prodidit; | *Quandocunque contingeret miseram illam fœminam ex hac vita excedere*, &, *Quantumcunque propinquitate sanguinis niterentur* (excludendos videlicet à regni successione) *nisi eiusmodi essent qui non modò fidem Catholicam tolerarent, sed etiam eam omni ope ac studio promouerent, & more maiorum id se iureiurando præstituros susciperent.* Qua in re cò hìc à te impudentiùs calumniatum est,

| *Garnet. Autogr. Mar. 26.*

est, quòd capite vndecimo confessus *exemplaria Breuium illorum vobis in manibus haberi*, palàm ibi ostendis vera hæc esse quæ de Garneti confessione commemorata à nobis sunt. Non minor in eo quod sequitur vanitas tua, vbi narras [m] *Euerardum Digby confitentem reum introduci*, & postea tamen dici, [n] *Ad Euerardum Digby falsitatis conuincendum dilucidè probasse Comitem Salisburiensem quicquid ille protestationibus adhibitis obfirmatè negauerat, se minimè conscium fuisse in machinatione pulueris fulminalis, omninò falsum esse. Insanit*, inquis, *accusator qui negare eum dicit quod maximè confitetur.* At tibi, homo insane, intelligendum fuerat sermonem illum Comitis ad ea referri quæ iudicij tempus antecesserant, quia Digbeius antea in quæstione cum diris & execrationibus conscientiam omnem coniurationis abiurauerat. Quare ne confessio eius tam spontanea calumniæ vestræ quoquo modo pateret, consultò Comes & prudenter confessionem illam Faukesij testimonio qui pręsens tum aderat munitam esse voluit, cum quo Digbeius de puluere fulminali per intemperiem cœli nimiùm vergente ad humiditatem rure suo contulisset.

[m] *Actio in Prodit. pag. 45*
[n] *Ibid pag. 56.*

Occurrit proximo loco Garneti priori Comitis Northamptoniensis orationi subiecta responsio. *Ad hac Garnetus, se plus admisisse quàm vt excusare se posset; apertè se & planè cum illis egisse; teneri verò confessionis arcana tacere, neque quicquam detegere quod per sacramentalem confessionem auditum sibi sit.* Refero ex Anglicanis, quia Interpres discedens aliquantulum à verbis, aliquam tibi cauillationis quanquam leuissimæ materiam dedit. Nam quod de *iureiurando* Latinè habetur quo teneatur confessionis secreta non retegere, Anglicè de *iureiurando* nihil est; qua verò religione forum illud institutum, quo vinculo stet necessitas illa tegendi arcana, vt confessionis quàm iurisiurandi sanctitas maior sit, dabitur postea, si Deus voluerit, commodior inquirendi locus. Interim verò vt ostendas priorem responsionis illius partem cum posteriore non constare, *non erat*, inquis, *cur, cùm eam defensionem haberet in promptu, de qua neque deijci potuit, neque ipse decessit vnquam, reum se tantorum criminum fateretur, quibus excusatio nulla posset obtendi.* Atqui ab illa defensione non sat præsidij habuisse, vt se excusare de scelere posset, vel illud manifestum facit quod *dilectissimis Patribus & fratribus* scripsit, [o] *veniam se implorasse à Deo & Rege quòd generalem notitiam, quam*

[o] *Autograph. Garneti ad Patr. & fratr Apr. 13.*

à Catesbeio acceperat, non reuelarat; quod inde, inquit, *profectum est, partim quod rem à Pontifice præuentum iri sperarem, partim quod animus à prodendis amicis auersaretur.* Esto ergò vt confessionis arcana reuelanda nullo modo sint, quo defensio illa consistit, agnoscit tamen esse alioqui cur excusare se non possit quòd id quoque celarit, quod extra confessionem auditum est. Quò

p *Actio in prodit.pag.79.*

illud quoque pertinet quod alibi dicit, [p] *Vltrò fateor leges quæ eiusmodi celare prohibent, apprimè esse iustas & salutares; neque enim Principis salus ab alterius conscientia pendere debet.* Obtestatio verò

q *Ibid.pa.135*

illa quam ad Iuratos habuit, [q] *vt quæ affirmasset vel negasset, veraciter affirmari vel negari crederent*, haud magis ad excusandum facit, quàm ad accusandum, quòd mox interrogatus *ecquid haberet pro se dicendum cur in illum sententia mortis non daretur*, [r] *nihil se habere respondit, sed misericordiæ Regis, Deiq; omnipotentis se committere.* Facit nimirum obtestando quod rei solent quantumuis millies conuicti, vt vbi iam ad exitum causæ peruentum est nihil aduersum se credi desiderent. De Baynhamo pro interdicendis seditionibus Romam misso cùm ante succendenda Comitia crederentur quàm reuerti posset, [s] *leuem responsionem Garnetus adhibuisse dicitur. At nos*, inquis, *tam leuem istam responsionem libentèr admodum audissemus.* Quorsum verò vos leuia homines scilicet tam graues? Certè ita leuis vt animaduersione minùs digna, & fugisse videatur dum expectant grauiorem. At *nunc*, inquis, *iure suspicari possumus eius responsionis vi totum accusationis pondus eleuari potuisse; ob eamq; rem ab aduersarijs expunctam eam fuisse.* O lepidum caput! At postquam misisse confessum est, finge tu quæso nobis responsum quod totum *accusationis pondus eleuare potuisset.* Age, inquam; experiamur cerebrum illud tuum ad excogitanda mendacia tam acutum & solers quid hìc comminisci possit quod accusationi fidem deroget. Verùm ita est, [t] *Maleuolæ animæ quasi dulcitèr sapit quod pessimè suspicatur.* In eo verò quod sequitur pariter improbus & ineptus es, dum ad calumniã nequissimè conuertis id in quo iudicij illius candor & integritas apprimè perspecta est. [u] *Existimauit Garnetus Corycæos qui eius cum Hallo colloquium exceperant nonnulla aliter quàm prolata fuerant auditu accepisse.* Et voluit ille quidem existimare quod in rem suam esset, illi verò quos ipse *viros probos agnoscit* de ijs quæ in iudicio testantur, non existimando sed iurando fidem

r *Ibid.*

s *Ibid.pag.100*

t *August. de verb. Dom. ser.53.*

u *Act.pag.101*

dem faciunt. Benè verò quòd ipse quoque [x] *in substantia rerum veram eorum relationem fuisse non negat*. At inquis, *Forsetus asseruit cùm in commentarios separatim referrent quæ audiebant, in nonnullis ijsque maioris momenti rebus, suos à Lockeri commentarijs dissensisse*. Optimè verò; & vide inde quid factum. [y] *Asseruit Forsetus iuratus vniuersam examinationem tunc exhibitam résque in ea memoratas esse veras. Adiecit præterea & ipsum & Lockerum quanta fieri potuit diligentia ac bona fide quæ ex Garneto & Hallo audierant adnotasse; in examinationibus nihil mandasse scripto quàm illa solùm de quibus vtriusque codicis consensus & tenacissimæ memoriæ in vnum conspirarunt; nonnulla autem maioris momenti in examinationibus fuisse omissa in quibus ipsorum notæ non vndique conuenirent.* Quid autem? an offendit te iam quòd quæ imperfectiùs audita sunt vt de ijs ab vtroque non constaret, quanquam erant magni aduersus Garnetum momenti, minimè obiecta illi sunt? At hic fides potiùs nostra & sancta iudiciorum obseruatio recognoscenda tibi fuit, quòd in reum nonnisi certissimis indicijs actum sit. Non ibi *de vna aut altera vocula laboratum, quæ hocnè an illo modo dicta esset parùm referret*, immò ideò missa facta illa quòd de rebus ipsis non admodum accepta conuenirent, quodque in iudicio prolata non sunt, certè in Acta referri minimè debuerunt. Illorum verò duorum testimonio ita se Garnetus oppressum sensit vt conscientiam proditionis haud vltra sibi dissimulandam censeret, quod literis [z] *ad patres & fratres*, [a] *ad Annam Vaux*, *ad* [b] *Grenwellum* apertè professus est. Quòd si nihil ibi dictum à Garneto quod aduersum se esset, quid tandem colloquium illud tam strenuè dissimulat, negat, abiurat, [c] *idq; tantis & tam horrendis execrationibus vt audientium animis grauissimũ vulnus inflixerit?* Hic ego te constrictum teneo; cedò enim, improbe, quid hic habes quod obtendas quominus se Garnetus colloquio illo prodidisse censendus sit? Nunquam alioqui tam impudentissima pertinacia inficias iturus si sermo ille ad defensionem & innocentiæ professionem, non ad accusationem & conscientiæ testimonium accommodatus esset. At illud quoque malè te habet, quòd *cùm Euerardus Digbeius priore actione constantissimè pernegarit eius coniurationis conscium fuisse Iesuitarum vllum, quod Salisburiensis quoque agnoscit posteriore, huius*

x Ibid.

y Act. pe

z April. 13. 1606.

a April. 3.

b April. 4.

c Act. pag. 107.

rei in priore mentio facta non sit. Inepte, qui in posteriore Actione vides quod quæris, annon intelligis in priore non aliquo actionis interpolandæ, non celandi studio prætermissum, sed quòd extra causam, quòd otiosum, quòd falsum esset? Falsum esse tu vides, qui Grenwellum, qui Garnetum conscios non negas, vtcunque illis in confessionis arcano latibulum paras. Quid ergò? an tibi visum est, an amicis tuis tantam Digbeio vestro maculam inurere, vt tam sancta protestatione Iesuitas à proditionis conscientia purgaret, quos ipsi vos consilij participes non negatis? Atque hac spina configitur tibi oculus in eo quod proximè *quoque amicis acceptum* refers, *pro vera coniuratorum ad accusationem responsione mendacium esse suppositum, quippe illos de crimine postulatos non negasse se reos sed in accusatione falsa veris admista querulasse.* Nominatim *Faukesium* commemoras *qui cùm rogaretur quo ore negaret se coniurationis participem quando in ipso crimine deprehensus fuisset, Neque ego,* inquit, *neque nostrûm quisquam dissimulamus id quod & sponte antea confessi sumus & regni totius conscientiâ iam tenetur, sed vestra hæc narratio multa prætereà continet quæ vera non sunt, quæ silentio atque assensu nostro comprobare nec possumus nec debemus. Quàm enim verè nos agitati consilij huius accusamur; tam falsò in coniurationis societatem Iesuitæ vocantur cum quibus nihil vnquam ea de re actum à nobis est.* Vbi videre est amici illi tui, quos memoras, quàm sanctè obseruent vt *Cretizandum* sibi *cum Cretensibus* esse sentiant. Falsum verò est hoc totum quod narras, nihil ibi tale Faukesius, nihil quisquam alius, & impudentissimè hoc totum à te tuisque confictum est. Quin si septem illi de quibus sermo est, reos se proditione recognouissent, nihil ab illis negotij duodecim Iuratis extitisset. Inde verò negasse certum est quòd res ad [d] Quæsitores relata; quorum sententia rei renunciati sunt. Et tamen quàm frustrà hoc de Iesuitis, vbi te non tu modò ipse quod iam vidimus, mendacij conuictum das, sed & tantundem Martyr quoque tuus, qui eo se ad profitendam sceleris conscientiam inductum agnoscit, vt antè quoque visum est, quòd reliquorum propè omnium indicio se appellatum comperisset. Cæterùm video te fabellâ ista tua ad illud alludere, de quo sequens tibi sermo est, vbi *Faukesius interrogatus cur non se reum agnosceret, nihil habens quo se excusaret, respondit, ideò fecisse quòd in* in-

d *Act. pag. 43.*

indictione accusationis colloquiorum quorundam mentio facta esset quæ ille se ignorare professus est. Omissum est ibi ab interprete nescio quo modo quod Anglicè habetur; *Responsum illi, factum id ex forma iuris quòd designationem tanti facinoris colloquia eiusmodi præcessisse necessariò præsumendum est.* Hìc tu, *de Iesuitarum innocentia ac nonnullis alijs rebus falsò additis eadem,* nescio quæ, *repetijsse memoratur;* at *actuarij,* inquis, *de Iesuitarum innocentia ne verbum quidem.* Nec immeritò quidem, quia de Iesuitarum innocentia nihil dictum à Faukesio, & quidem frustra dictum iri intellexit, quicquid de Iesuitarum innocentia dictum esset. Cæterùm quod ad formulas iuris attinet, propitium te esse par est, quia in foro quoque Romano tibi, si vsus feret, nonnisi ex præscripto agendum est. Petuntur illæ quidem ex eo quod probabilitèr & plerunque fit, vbi qui capitali causa reus est, nonnisi puerilitèr & stultò se defendit quòd in accessorijs & circũstantijs quibusdam immunis sit. Atque hæc tua defensio tuorum est, quos non negas in principali negotio succubuisse, tantùm eo negasse accusationem quòd de Iesuitis quædã admista sint. At quid ad illos de Iesuitis vbi pro se respondendũ fuit? Interrogati quippe sunt non de Iesuitarum sed de reatu suo. Et respondent illi quidem pro communi more, neq; enim alitèr ferè quisquam quanquam millies conuictus facit, *Minimè se reos esse, Deo patriæq; causam committere,* non alia certè sententia quàm Rookwodus expressit, qui ea tantùm causa se reum inficiatus est [c] *vt vitam potius per alios amitteret, quàm ipse projceret.* Iam in eo quod sequitur planè eodem modo Cretizant, vt supra, amici tui. Habuit Garnetus in publico suorum cœtu precationẽ *pro fælici successu magnæ Actionis sub initio Parliamenti,* cui subiunxit versiculos ex Hymno, *Gentem auferte perfidã Credentium de finibus vt Christo laudes debitas Persoluamus alacriter.* Interrogatus hac de re *respõdit,* inquis, *casu factum esse vt cum Hymnum omniũ sanctorum ad quem ij versiculi pertinent more suo infra octauã omnium sanctorum vsurpasset, eos quoq; recitaret; quod illi crimẽ cùm in Actis obijciatur, respõsio,* inquis, *nusquã apposita est nequid officeret causæ.* Itanè verò *nequid officeret causæ?* Itanè verò nequid officeret causæ? At quid officeret, quam, si vnquã vlla fuit, Garnetus ipse destruit & falsissimam esse conuincit? Attende verò duo illi testes quos insidiatores colloquij eius cum Hallo esse diximus, quid iuramento confirment

c Act. pag. 44.

firment, qui hæc illum verba loquentem se audisse testantur: f *Precationem meam de fortunato successu Actionis magnæ in initio Parliamenti mihi obijcient, nec non versus illos in fine precationis additos, Gentem auferte perfidam, &c. Verum quidem est*, inquit, *me de prospero magnæ illius Actionis euentu preces obtulisse, dicam tamen eo sensu factum quòd seueriores quasdam leges contra Catholicos eo tempore promulgandas subuererer; atque hæc responsio commodissimè satisfaciet.* Porrò literis *ad patres & fratres* narrat se hoc modo à testibus accusatum; vide vt ipse rem ibi referat. g *Dixi quidem (verissimum est) obiecturos illos mihi precationem quandam. Verum est tale quiddam fuisse; sed dicam, orasse me aduersus leges malas tunc sanciendas.* Vide vt neutrobique aliquid de *casu* illo tuo habeat, & nisi casu quoque oratum velis, frustrà dixeris *casu* versiculos adductos qui cum oratione coniuncti sunt.

f Act pag. 101.

g Autograph. ad patres & fratres April. 1.

Sequitur obiectio *de perturbata actorum serie, multisq́; ibi mendacijs* interiectis, quæ tu omnia more tuo Cretica fide sic exponis vt & nihil nobis officias, & ipse vbique mendacij palmam feras. Ac primò quod post accusationem dicitur, *Deinde repetita fuit particularis cuiusque criminis probatio tum ex spontanea Garneti & coniuratorum confessione, tum ex testimonio duorum spectatæ fidei pro tribunali iuratorum quos Garnetus viua voce loquentes audiuit*, hoc eo reprehendis *quòd duo illi testes non antè citati sunt quàm Garnetus de doctrinâ, de potestate Romani Pontificis, de Recusantibus, de Iesuitis perorasset ac de seipso dicere cœpisset, &c.* Stulte, quid hoc *ad perturbatam actorum seriem?* Post accusationem mox probationes de scripto recitatæ sunt, nominatim quæ duo illi testes anteà per quęstionem de Garneti colloquio respõderant, quibus vt fides maior fieret, producti ipsi coràm in iudicio & iurati confirmant *examinationem ibi exhibitam resq́; in ea memoratas esse veras.* Hoc factum significat ibi Actuarius; qui factum sit, narrat postea suo loco, & quid hic tandem perturbatum est, nisi quòd humidato cerebro vectus animus fucum sibi facit vt arbores loco suo decedere videantur? In altero illo stultior adhuc es qui probare vis, *criminum omnium probationem durorum illorum testimonio niti non potuisse.* Quasi verò quisquam ita dixerit; quando vides ad probationem non illorum tantummodò testimonium, sed *Garneti & coniuratorum confessiones*

com-

commemoratas ibi esse, vt quod à duobus illis non claruit, intelligas tamen ab alijs clarere potuisse, ita vt nihil ibi omninò non probatū sit. Porrò vt stultum etiamnū stultitiâ proficere sciamus, quod dicitur in Actione,[h] *duos istos testes eiusmodi fuisse vt agnosceret Garnetus nihil sibi esse quod aduersum illos exciperet*, in eo mendacium esse ais, quia *Garnetus*, inquis, *etsi nihil aduersus homines excepit, excepit tamen aduersus testimonium*. At vbi est acumen tuum? An verò te oculi fallunt vt non videas nihil ibi aliud dictum nisi,[i] *aduersus homines non habuisse quod exciperet*, quos *scire se* profitetur *viros probos esse*. Iam verò aduersus *proborum virorum* consentiens testimonium leuicula in iudicijs exceptio & nullius momenti est. Et illa tamen exceptio quàm frigida, quàm timida & incerta est, & tanquam inuita dentibus exit? *Existimauit*, scilicet, *nonnulla aliter ac prolata fuerint, illos auditu accepisse*. Quid autem? an aduersus iuratorum testimonia res nunc agitur *existimando*? Quàm tu verò homo ridiculus & ineptus qui *exceptionem* hìc *grauem nec sine magno fundamento* datam asseris? Porrò *coniuratorum*, inquis, *testimonio nihil aduersus Garnetum probari potuit*. Quid ita verò? Quia *cum nullo eorum qui capti sunt, his vnquam de rebus locutus est*. Quî constat? *Coki* scilicet *testimonio*, inquis, *supra probauimus*. At refert tantùm Cokus quod à Garneto dictum est (quî enim ipse scire potuit?) ita Garnetus ipse pro se testis est, cuius in omni re studium, quod ipse alicubi profitetur[k] *colligere sibi sensus vt formalem fabulam*, hoc est, merum mendacium excusandi sui causa, *confingat*. At hoc iterum quàm otiosè? Porrò *etiamsi quid ij sciuissent*, inquis, *ita nihil ab illis elici potuit, vt à colloquio Garneti cum Hallo lucem probationis obortam Salisburiensis confessus sit*. At ita multum ab illis elicitum, vt illorum indicia Garnetum partim quidem ad confessionem adegerint. Non defuit ab illis quod ad accusationem satis esset; defuit aliquid ad conuictionē quod ab illo primùm colloquio suppeditatum est, quod alioqui per tormenta exprimendum esset. Iam de conscientia proditionis ad confessionē vsque conuictus, cæterorum coniuratorum testimonijs ipse aduersum se fidem facit. At inquis *ex ipso confessionis eorum libello constat nihil ab coniuratis esse dictum, quo vel Garnetus vel vllus alius è nostra societate in crimen vocaretur*. Qualem verò tu *libellum* dicis, quando confessio edita nulla est præter spontaneas illas Faukesij & Thomæ

h *Act. pag. 96.*

i *Ibid. pag. 101*

k *Autograph. Garnet ad Patres & fratres*

Winteri, primo adhuc æstu datas, quibus multum abfuit vt omnia in aperto collocata sint? Interrogati illi sæpiùs, interrogati quoque reliqui, & quò sæpiùs eò magis magisque omnia in lucem educta sunt, quæ postea Garneto ipsi, vt dictum est, confessionem extorquent; non illam quidem de *singulis criminibus*, neque enim id Cokus dicit, neque verò opus fuit, sed qua coniurationis indicio suo manifestè reus esset. At illud tamen malè habet dictum à Coko *primarium coniurationis authorem & architectum*. Non dixit illum Cokus absolutè *primarium authorem & architectum*; dixit tantùm, *primarium quendam authorem & procuratorem fuisse*, quæ tamen distinctio ab interprete non satis accuratè seruata est. Frustrata ergò litigatio omnis tua qua Salisburiensem, qua Primarium Angliæ Iustitiarium, qua Recordatorem Londinensem adducis, vt ostendas de Garneto *principali & primario coniurationis authore* minimè constitisse. Quanquam quod illis, hoc nobis quoque persuasissimum est, futurum vt ille se totius negotij authorem fateretur si coactus equuleo consiliorum suorum arcana prodidisset. Interim *Primarius quidam author & procurator* meritò dictus à Coko, quòd de re interrogatus, probauit eam; quòd particularitèr indicatam celauit; quòd pro successu publicè precatus est; hæc enim ab illo argumenta prolata sunt. Verùm ista iam mittimus, quia quatenus ille coniurationis author fuerit, dicendum occurrit suo loco. Iam quæ de accusatione in Garnetum in publicis regni Comitijs instituta tam multa deblateras, ludibria tantùm illa tenebrionum vestrorum & mendacia tua sunt. Quippe in Comitia venit Cokus non animo suo sed imperato Regio; non vt in Garnetum actionem indiceret, sed vt Ordinum conuentui totum coniurationis negotium clarissimis iam indicijs in lucem proditum enarraret. Quod fecit ille quidem prudentèr & grauitèr, & ex reorum responsis rem totam luculentèr exposuit, ita vt de Garneti quoque conscientia satisfactum sibi omnes, quantum quidem visum, abundè sentirent. Latitarunt tamen in herba illa forsitan angues aliqui vestri, quorum alter interim alteri, quoad ausus, venena sua subsibilat, qualis *Primarius* ille *vir tuus forense genus hominum* indignissima contumelia proscindens, homo vobis paritèr nobisque perfidus, qui Regi *iuramentum fidelitatis* exhibuit, cùm Regijs tamen rationibus & consilijs tam infestus esset. Cæterùm

codi-

codicillus inde Parliamento exhibitus, cui mox omnes in assensum accurrunt, & ex rogatione lex facta qua ex coniuratis nonnulli Maiestatis capitalitèr accersiti, renunciati proditores, & ad pœnam iuris proscripti atque damnati sunt. Commemoratus ibi per occasionem Garnetus, & quidem sceleris sui stigmate notatus, sed Regio fauore, velis nolis, nihil vltrà in illum actum, qui etsi non ordinario fortasse iuris nostri processu, tamen ex illis quæ habebantur indicijs, communi coniuratorum testimonio & voce firmatis vt irrita esse non possent, suprema illa Comitiorum authoritate iustissima sententia damnari potuisset. Iam quæ tu hac de re porrò dicis, extra oleas eunt omnia, & ludificatus tibi est impostor, nescio quis, pro omaso tibi stramen in buccam infarciens, quo tu tamen homo gula Cretica delicias tibi magnas absque fastidio facis. Tale illud maximè de Westmerlandio Iesuita, cuius ne spectrum quidem nominis in Comitijs auditum est. Tale illud quoque quod sequitur de Nicolao tuo pusillo, quē Ouenum dicere debueras, Garneti homulo, quem nobili mendacio fingis post sex dierum tormenta sic equuleo distentum vt intestina rupto ventre diffluerent, atque ita cruciatu per mortem ereptum. Vbi percommodè cadit quòd ipsa se fabula tua mendacem prodit, quia nemo est qui vsu ipso non intelligit talem esse ventriculi structuram, illamque cuticulæ leuitatem & mollitiem, vt nisi dorsi priùs & lumborum compage soluta, discerpi illa equuleo ad iliorum effusionem omninò non possit. Quare animus tibi hìc & ingenium defuit, neque fides magis quàm prudentia in quæstionem adducta est. Certè in odium tota res ista conficta à vobis est, quos nunquam piget audacissimè mendacia mentiri quæ conflare nobis inuidiam possint. Quòd si veritatem velis, habe tibi illam; si nolis, fruere quæso vt libet mendacio tuo. Ouenus ille tuus comprehensus & in carcerem contrusus, Arcem nempe Londinensem, cùm de Garneti rebus interrogatus nihil ferè responderet, colligatis manuum pollicibus pro quæstione porrò facienda paululùm ad furcam appensus est. Cùm nihil eo profectum esset (nihil quippe factum vt non mox vtriusque digiti ad vsum satis compos esset) veritus ne ad fidiculas & equuleum traheretur (neque enim hoc tormentum ei adhuc intentatum est) consilium iniuit præoccupandi tortores, desperati furoris & amentiæ plenum. Ergo altero die cùm ei lectu-

lum adhuc ſimulata inualetudine tenenti prandium à cuſtode apportaretur, & cultellus, pro more carceris, diminuta cuſpide ſecandis cibis in manus daretur, cauſatus pulmenti frigiditatem & cuſtodem obteſtatus vt igni admouendum curaret, ipſe interim cultello ventrem ſuum horribili vulnere & quidem repetito lancinauit. Reuerſus ad illum cuſtos cùm os pallentem & vultu quaſi conſternatum intueretur, qui ſe habeat interrogat, & circumſpiciens mox ſanguinem videt, leuataque ſtragula ſaucium & cruentatum animaduertit. Itaque ablato cultello feſtinatò dominum ſuum, Præſidem Arcis, accerſi facit, apud quem erant tum in prandio vir honoratus Ioannes Sheffield Eques Auratus, & Guil. Craſhaus in Theologia Baccalaureus, & Forſetus Iuſtitiarius à pace Regia, qui omnes Præſidem properantem comitati ſunt. Ouenum offendunt mortali vulnere laborantem, ſed agunt tamen quod poſſunt vt viuum conſeruent. Sciſcitantibus cauſam cur ſibi vim afferre tentaret, reſpondet, quòd ſibi de grauiori cruciatu metueret, quo aliquid extorqueretur quod Catholicis ſuis lædendis eſſet. Cæterùm admonitus de offenſæ grauitate qua iniuſſu & contra imperium dominantis in nos Dei mortis ſuæ iam authorem ſe fecerat, pœnitudine facti commotus profeſſus eſt, ſi infecta res eſſet, nunquam ſe, quodcunque tandem eueniret, tam impiè facturum, atque ita haud multò poſt è viuis exceſſit. De nece hominis, prout lex iubet, duodecimviralis quæſtio inſtituta eſt; iurati teſtes qui adfuerunt denunciant Quæſitoribus quid ab illius ore auditum percepiſſent, à quibus parricida ſui ſuæque necis artifex & author pronunciatus eſt. Ita veram huius rei hiſtoriam breuitèr complexus ſum, ex qua omnes intelligant quàm tu improbo ſis ad mentiendum ingenio, qui in re aperta & tot hominum egregiorum & illuſtrium teſtimonijs & iuramẽtis exploratiſſima, ſceleratam tibi fabulam fingis quæ probabilitatis ne ſpeciem quidem habet vllam, totaque malleo malitiæ veſtræ fabricata eſt. In qua nefariam Regi quoque Sereniſſimo iniuriam facis, qui tibi haud meliore loco eſt quàm vt illudi ſibi tam craſſis figmentis tam facilè patiatur, habeatvè qui auſint Principem tam oculatum & ſagacem meris præſtigijs ſuis circumſcribere conari. Qui vt eſt vbique rerum æſtimator circumſpectus & prudens, ita in illo negotio religioſiſſimè cauit pro effugienda calumnia veſtra, nequâ ſuppliciorum inſolentiâ

solentiâ in vestros animaduerteretur, quin potiùs consueta ipsa molliùs & mitigatiùs exercerentur, habiturus alioqui confessiones multò ampliores; quas tamen habuit satis amplas; vt Oueni confessione inchoata tantùm, siqua fuit, & de cæterò morte præoccupata nihil in Garnetum opus esset.

CAP. VIII.

Iesuitas proditionum consultores fuisse & quibus Patricius Cullenus, Williamus, Torkius, Squierus damnati sunt. Accedit defensio iudicij quo in Fennium sacerdotem animaduersum est.



Vae capita proditoriæ accusationis hactenùs à Iesuita perstricta sunt, quàm infœliciter sibi suisq; tetigerit, & in ijs ad Garneti, Martyris, in rem malam, sui apologiam quàm parùm profecerit, satis, opinor, ex antilogia nostra manifestum est. Sequuntur in hoc capite plura alia Iesuitarum cum proditoribus nostris communicata consilia, quæ à Coko Aduocato Regio eo fine commemorata sunt, vt perspectum sit omnibus ingenium illorum quàm ferax semper proditionum fuerit, nec alienum ab illis credi debere quod insedisse penitus in illorum moribus & longo vsu inueterasse compertum sit. Quæ illorum consilia, quanquam detecta à reis ipsis & in apertam lucem prolata subque ipsis oculis constituta sunt, tamen Andreas meus sic in tenebras remittere ac præstigijs suis obducere conatur, acsi persuasum esse velit non vidisse nos quod vidimus, & nonnisi vmbras & insomnia fuisse quæ luce ipsa clariora & testimonijs atque indicijs omni exceptione maioribus asserta sunt. Vbi tamen quia *præiudicio publicorum Actorum* prægrauari se sentit, & suspectum esse videt priuati hominis & quidem inimicissimi & veneno malitiæ propè dirupti testimonium, quo sancta iudiciorum fides impetitur, quę in tam magno theatro tot iuratorum conscientijs subnixa haud ferè absque sacrilegio in suspicionem iniuriæ venit, sedulò Rhetorculum agit vt hoc offendiculum amoliatur & lectorem hac in parte præoccupet, non ignotum sibi significans quanta illa ratione cum difficultate in hoc negotio versetur; & porrò *mala faciliùs credi consueta quàm bona*; *præreptas illi primas in narrando*

rando

rando partes impedimento esse; rem in occulto gestam maiorem inferendæ quàm propulsandæ calumniæ opportunitatem præbere, sed tamen veritatem quantumuis fraude ac mendacio tegatur, intermicare & ipsam se nonnihil prodere. Ita qui ioculatorum & circulatorum mos est vt vbi maximè præstigijs vtuntur, simpliciter tamen se agere præseferant; qui Satanæ vt vbi maximè tenebras inducit, transfiguret se tamen in angelum lucis, idem hìc est mali Dæmonis nostri vsus, vt velo simplicitatis & candoris astus suos & perfida consilia tegat, & nonnisi veritatem specie ostentet vbi totus in mendacio sepultus est. Atque vt vertigine illum sua magis quàm veritate duci sentias, nec iudicio sed cæco furore causam impiam agere, vide qui capite sententiæ *publicorum actorum* mentionem facit, quomodo mox altera ferè linea *rem in occulto gestam* insinuet, vt nodum scilicet innectere putetur, quem tamen ipse priùs ita solutum dat, vt liberos nos dimittere cogatur quos maximè vinctos videri vult. Ineptè tu verò, Andrea, *rem in occulto gestam* narras, qua celebrior vlla aut spectatior dici non potest. Et semper quidem iudicia nostra in propatulo & tanquam sub dio publicæ conscientiæ geri solent; celebriora plerunque cæteris in quibus causarum vestrarum disceptatio decreta est; Garneti verò tui foro nihil ferè memoria nostra augustius; nihil ad authoritatem & fidem ponderosius aut grauius visum est, vt nisi qui sponte sibi cæcitatem inducit, nemo non illum nefarium proditorem, te, qui illum defendis, Apologistam sceleratum & impium esse pronunciet. Atque illud quidem constantissimo æquitatis & iustitiæ studio consecuti sumus, vt ad fidem apud exteras gentes plùs valeat authoritas & existimatio nostra, quàm insolens vestra maledicendi rabies & calumniandi ferè incredibilis audacia ad perfidiæ vestræ dissimulationem. Quippe per nos benè iam noti estis orbi Christiano, qui fraudum vestrarum artes sceleratas, & infesta reip. Christianæ consilia persentire iam cœpit, neque verò dubitamus quin per nos futurum sit vt magis adhuc magisque noti pariter & exosi omnibus sitis. Atque hùc nonnihil facturum arbitror quòd repetenda mihi hìc per importunitatem tuam seditionum vestrarum & proditionum anteactarum inuidiosa memoria nouum vobis vulnus infligit, vt quæ à Coko nonnisi nominata facilè transigi cum silentio potuissent, hæreant deinceps altiùs per defensionem tuam in nomine vestro,

&

& eruta postliminiò iam è latebris suis, iteratam vobis infamiam creent. Nam quòd tu nos hìc ais, *calumnia sæpe detecta fraude conuictos, risum à vobis & sibilum retulisse*, intellige quæso *sibilum* illum nonnisi anserum vestrorum fuisse, qui vbi togam leuissimè vellicant, superasse se credunt & gingritu victoriam clamant; *risum* verò tantummodò *Sardonium* qui iam morituris rictu ora diducit, vt [a] *risus* vobis *dolore misceatur, & extrema gaudij luctus occupet*, quòd pessimo exitu calumnia illa vobis in veram accusationem cessisse comperta sit. Quod vt abundè liqueat, retexenda mihi est ex Actis proditionum illarum historia & inde liberanda Coki fides, vt tantò vir ornatissimus veracior apud omnes asseratur, quantò nequiorem & impudentiorem te esse constat, quem aduersarium nactus est. Quanquam quid ego actum ago, & liberandæ hac in parte fidei nostræ superfluo labore desudo, quando leuauit me hoc onere vestrorum hominum conscientia & fides, quos habemus proditionum illarum, quas tu negas, & Iesuiticarum instigationum constantissimos assertores? Certè Bluetus è Seminario Sacerdos, vir vt ferè quisquam ex illis eruditus & grauis, habens sibi coniunctum in opere Watsonum, in libro lingua nostra edito quem inscripsit, *Important Considerations*, præclusit tibi defensionem hanc qua Patricium Cullenum, Williamum, Yorkium & Squierum à proditionum consilijs immunes statuere videri vis. [b] *Subornatus est, inquit, à Iesuitis Hesketus circiter annum 1592. idq; conscio & consentiente Parsonio, qui Comitem Derbiensem ad rebellionem contra Regiam maiestatem incitaret. Haud multò post bonus pater Holtus & cum illo alij Patricio cuidam Culleno Hyberno homini persuaserunt, & quidem ipso confitente, vt Reginæ violentas & sceleratas manus afferre tentaret. Mox anno 1593. nobile illud stratagema designatum est, nouit tota Anglia per quem, quo Lopez Reginæ medicus ei venenum adhiberet, qua de re anno proximo mortis ille pœnam luit. Ea designatione per Dei prouidentiam frustrata, idem Holtus Iesuita vnà cum alijs Yorkium quendam & Williamum illexit & animauit, vt cruentis manibus perficere moliretur interitum Reginæ, quem Lopez veneno meditatus fuerat. Quibus addere liceat, quod dudum accidit, impium facinus Edwardi Squieri 1599. ad quod inductus & incitatus fuerat à Walpolo Iesuita perniciosissimo.* Taceo quæ de istis alijsque alibi Watsonus, quæ Gallicus author *Catechismi Iesuitarum*

a Prouerb. 14. 13.

b Import. Considerat. pag. 33

suitarum; quæ alij plures apertè libereque dixerunt, quibus ad fidem veritatis nostræ faciendam quis plura desideret, quam ipsis quoque aduersariorum testimonijs comprobatam agnoscit? Sed tamen non pigebit aliquid ex rebus quoque nostris afferre, quo pleniùs de hoc toto negotio deque hominis huius profligatissima perfidia, qua vt liberè ipse mentiatur, exprobrandi alijs mendacia finem non facit, constare possit.

Ac primò venit hic in mentionem Patricius Cullen anno 1592. quo tempore ingens illis animus ad Elizabethæ Reginæ necem incubuit. Ita fuit [c] *vt illo anno mensis Maij die secundo ad Ioannem quendam Danielem Hybernum in horto Iesuitarum Bruxellis deambulantem Iacobus Archerus Iesuita Hybernia quoque oriundus accederet, & Stanleij atque Oweni nomine vehementer rogaret vt, quòd illis Reginæ cædes destinata esset, militem illis aliquem strenuum & animosum subornaret, cui huius negotij curam darent; pium opus facturum testatus & salutis æternæ meritorium; mercedem habiturus suscipiendi facinoris centum aureos coronatos; peracti, si periculum euadat, bis mille alios, & triginta aureorum menstruum, durante vita, stipendium. Post tres dies aggreditur illum Holtus quoque Iesuita & eiusdem consilij suasor est. Rem deinde repetunt ei die altero primi ipsi authores Stanleius & Owenus, & quòd se ex voto illorum facturum promitteret, orant vt consilium quoquo modo festinaret. Annuit ille, & mox occasionem nactus popularem quendam suum Hugonem Cahill experiri decernit; habere se narrat quod cum illo conferat, sed ita vt arcani taciturnitatem iuramento promittat. Quo facto communicat ei rogationem sibi factam; suadet vt prouinciam illam subire videri velit, sed interpositis diris ne vnquam effectam dare cogitet. Adductus ille ad Holtum, Archerum, Owenum, significat paratum se designare quod cupiant. Laudant hominem & animos addunt, hortanturq́; vt ad hoc inceptum strenuè incumbat; futurum quippe vt cælum lucretur; ibique in numero Diuorum sit, & in terris quoque æterna memoria consecratus. Post diem alterum aut tertium mittuntur ei ab Oweno, internuncio Archero, centum aurei; quibus acceptis haud multò post simul cum Daniele Caletum properat. Ibi aliquandiu moratus,* à Maio scilicet *mense ferè ad Nouembrem; incidit fortè fortuna in Archerum & Walpolum Iesuitas Hispaniam versus iter facientes, quorum alter, Archerus, grauem ei culpam dicere quòd negotium*

c Ex Confess. Ioan. Daniel. & Hugon. Cahill. Feb. 5. & 21. anno 1593.

tium cunctando protraxerat; vterque (nam & hic symbolum Walpolus quoque addidit) vt susceptum opus tam pium & honorificum constanti animo perficiat vehementer hortari. Pergit ille in Angliam ad Danielem antè profectum, sed ex condicto detecta ab illis res tota & preditores impij spe sua simul & auro frustrati sunt. Sub idem tempus tentata res eadem per [d] Guilielmum Polewheele *quem Iaquez Franciscus Stanleio succenturiatus de hoc incepto solicitauerat; quem primò hæsitantem Sherwooddus Iesuita ad facinus confirmauit,* [e] *& verbis aliquantulum corripuit quòd haud citiùs consensisset; quippe qui peragendæ rei honorem habere potuisset; iam verò,* inquit, *Patricius Cullenus eo fine missus est, & plures assiduè mittendi sunt. Iaquez illum vt tenax propositi sui sit plurimùm hortatur; testatur si sibi in Angliam proficisci liceret, primum sibi hoc negotium in voto futurum; & sexaginta aureis donatum à se ablegat vt properè in Angliam concedat; qui hùc appulsus, totius rei arcanum prodidit, & de Culleni aduentu & intentione nefaria significationem dedit.* Hic ille est Cullenus quem Apologista noster hoc in loco excusat, & à proditione illa prorsus immunem existimari vult, rectenè an secùs iudicet orbis Christianus. Atque aliàs quidem ille perduellionis & proditionis reus fuit quòd contra leges confœderatus cum proditoribus Stanleio & Iaquezio illo, iisdem authoribus se in Hispani Regis, professi tum Reginæ hostis, militiam daret, & ab eodem pensionem quindecim aureorum menstruam perciperet. Porrò in Anglia comprehensus, & de negotio interrogatus [f] *agnoscit submissum se à Iaquezio vt Antonium Perezum Hispanum, tum in Anglia versantem occideret, quod etsi primò haud licitum existimasset, tamen sibi ab Holto Iesuita confirmatum habuisse,* idq; [g] *cum interposito per iuramentum animæ suæ periculo licere vt quemuis occideret, qui se Hispano Regi hostem præberet.* Cæterùm *in nomine Antonij Perezi technam latuisse, idque* [h] *nonnisi in speciem adhibitum fuisse aperuit per examinationem Ioannes Annias* eiusdem perfidiæ confœderatus; *cum quo Bruxellis sermonem habens Oliuerus Eustacius, præreptum sibi è manibus opus illud ab Holto Iaquezio conquestus est; at,* inquit, *mi Ioannes, non est alicuius viri cædes quam intendunt, sed maius quiddam in Aula Anglicana moliuntur; non est in Antonium Perezum machinatio ista, quia nihil ille amplius in Regem potest, sed in Reginam tota est, & nomen Antonij Perezi nonnisi vmbra est. Altero*

d *Ex Confess. Guil. Polewh. mense Decemb.* 1593.
e *Ex altera Febr.* 22.
f *Ex Confess. Patric. Cullen. Feb.* 16. 1593.
g *Ex altera confess. Feb.* 22.
h *Ex confess. Ioan. Annia, Feb.* 5.

i Ex alt conf. Feb 11.

tero post die idem Ioannes Annias obuium habet Patricium Cullenum, eiq; insit in hæc verba;[i] *Audio te in Angliam proficisci, & quidem summa omnium Anglicana negotia machinari, sic enim significauit mihi Oliuerus Eustacius qui primus prouinciam illam subire debuisset.* Cui Cullenus; *Oportet me*, inquit, *proficisci & statutum mihi est; quandoquidem verò tu causam profectionis meæ intelligis, iura mihi te illam nemini reuelaturum, quod ille mox requirenti concessit & fecit. Inde apertè professus est missum se ab Holto & Iaquezio ad Reginam occidendam*; quod ei Annias coràm adductus in faciem testatus est. Iam componat ista qui volet, & dicat seriò cùm viderit Iaquezium toto studio ad Reginæ necem inardescentem, quam teste Guilielmo Polewheele, qui ei ab intimis fuit, vnice meditatus est; cum Sherwooddum audierit Culleni in Anglia negotium exponentem; cùm Culleni ipsius confessionem cum Eustacij interpretatione contulerit; cùm habitum illius cum Ioanne Annia sermonem & recognitionem tam expressam animaduerterit; cùm hæc omnia confessa, iurata, scripta literis & manu eorum quos diximus subsignata intellexerit, dicat, inquam, seriò ecquid esse putet quominus Cullenus proditionis reus vna omnium voce conclamandus sit. Neque verò moramur Fitzherbertum tuum, Andrea, reproba fide hominem, qui eò impudentiæ progressus, vt neget actum à suis vt Anglia sub Hispaniæ iugo mitteretur, quod quidam ex illis libris editis & designata Principis Hispani successione luculentissimè profiteri non erubuerunt; porrò vt tam crasso mendacio nihil vnquam in vitam Elizabethæ Reginæ ab Hispano Rege tentatum defendat; vt Stanleij perfidiam in proditione Dauentriæ cum Alano propugnet; vt Parsonium laudet, quo sub habitu religionis hominem nequiorem orbis Christianus vidit nullum; vt contra conscientiæ suæ dictamen deprauatè causas fingat legum nostrarum in Recusantes & Seminaristas, quas ipse optimè intelligit à manifesta rebellione sumpsisse originem, certè haud tanti cuiquam esse debet, vt apologia tam futili & inepta iudiciorum nostrorum in tanta rerum luce fidem & integritatem minuisse videatur. Quòd autem ais *illum iureiurando affirmare se conscium proditionis vel participem nunquam fuisse; aliosq; à nobis appellatos, ab illo pro familiaritate requisitos ecquid cum Culleno vel Yorkio consilij habuerint vnquam, tantundem de se pariter*

riter sanctè testatos; næ ego te stolidissimum animal esse non dubito qui fabulam nobis tam ridiculam narras; quasi nesciamus; quasi ipse nescias proditoribus alijsque maleficis & sceleratis hominibus tritum esse vt strenuè negent, etiam iurati, quod de se vident absque infamia prædicari non posse; vestris verò multò maximè, quorum haud alia erga nos fides quàm Punica, quibus æquiuocando & sensus reseruando fallere, etiam cum periurio, grande caput religionis est. Quàm facilè verò soluitur noxa vniuersa periurij, adiecta clausula illa tua; *ita vt tenear dicere?* Quare neque quicquam apud nos valet quod Cullenus iam morti tradendus totum facinus cum diris inficias iuit, (quî minùs in morte licitum illi periurium quàm Treshamo?) edoctum certè à Iaquezio non dubitamus, quod [k] Guilielmus Polewheele se ab illo in eadem causa admonitum testatus est; nunquam vt consilium ederet, si res parùm succederet, ne quidem si ad patibulum veniretur. Nihil ista miramur qui mentales vestras exceptiones, & pias videlicet mentiendi ac peierandi artes & indulgentias intelligimus.

[k] *Ex confess. Guil. Polewh, Feb. 22.*

Pari momento sunt quæ perfidus veterator, idem ille Fitzherbertus de Williamo & Yorkio declamitat. Quis enim homini proditori, & cum hostibus patriæ suæ confœderato fidem habeat, qui contra luculenta rerum indicia & consentientes reorũ in causa sua voces, ridiculas nescio quas improbabilitates & stulta cerebri sui figmenta reponat? [l] *Williamus se cum Iaquezio coniunctissimum agnoscit ad contubernium vsque & eiusdem lectuli communionem*; [m] *interrogatum se ab illo fatetur cur Hispano Regi obsequium & operam suam aduersus Reginam in Anglia non deserat*; [n] *Frequentem se ait sermonem cum Stanleio, Holto, Worthingtono, Throckmortono, Pageto, Sherwooddo, Westmerlandio Comite Bruxellæ, Antuerpiæ, alijsq́ locis habuisse*; *Yorkium quoque testatur* [o] *sæpe cum Stanleio in cubiculo suo contulisse*; [p] *cum Holto verò extraordinario quodam modo in Iesuitarum collegio priuatim miscuisse colloquia*; Yorkius quoque dicit, [q] *Iaquezio Williamum magno in precio habitum*; [r] *vnà se cum altero quodam Youngo* dicit *ab Holto Ecclesiæ Romanæ reconciliatum*; [s] *Holtum sibi pollicitum narrat non defutura pro adiuuanda rebellione aureorum siue centum siue ducenta millia*; [t] *Williamum sibi, se Williamo coram Stanleio & Holto iuratos adhibito Sacramenti osculo*

[l] *Ex confess. Williami, Aug 12. 1594.*
[m] *Ex alt. conf. Aug. 13.*
[n] *Ex alt. Feb. 1*
[o] *Ex alt. Aug. 21.*
[p] *Ex super. August. 12.*
[q] *Ex confess. Yorkij, Aug. 12*
[r] *Ibid.*
[s] *Ex altera, August. 15.*
[t] *Ex alt. Aug. 24.*

u Ibid.

x Ex confess. Youngi, Aug. 16.

y Ibid.

z Will. confess. Aug. 21. & Yorkij Aug. 20. 21.

a York. Aug. 24.

b Young. Augus. 24.

lo & perceptione pro fide sibi mutuò seruanda; [u] *Holtum sibi dixisse quòd toties per Anglos de spe sua tollendæ Reginæ decidissent, propositum ipsis esse Burgundum aliquem vel Wallonem ad hoc facinus adornare*; [x] Youngus porrò ille, tertius proditor, commemorat *Yorkij cum Holto & Stanleio se præsente de excitanda in parte Boreali seditione communicationem*; Holtum ait Yorkio dixisse, [y] *Bono vt animo esset, nihil quippe ei defuturum, se enim ad eum singulis mensibus in Angliam posse mittere*; *Yorkium pariter & se testatur nocte antequam in Angliam profecturi essent, ab Holto accersitos, seq́; post multas eis adhibitas ceremonias ab illo admonitum vt Yorkio fidelis in omnibus & taciturnus esset, de quo etsi non dubitaret, tamen quòd spiritualis ei pater esset, per officium hortari debuisse*; hæc, inquam, omnia aliaq; quàplurima separatim interrogati de suo cum Holto, Stanleio cæterisq; commercio & consuetudine constantèr affirmant, & quisquam Fitzherberto vel Dæmoni malo credat Williamum & Yorkium homines illis nullo numero & vix quidem Holto notos fuisse? Porrò conueniunt optimè [z] Williamus & Yorkius, in nominibus & numero personarum à quibus ad hunc sicariatum subornati sunt, nisi quòd Owenum in primo congressu omittit Yorkius, quem tamen altero die præsentē narrat, & posteriore confessione cum [a] Holto & Stanleio in potissimis huius negotij procuratoribus fuisse cōfirmat; annumeratis præterea ab vtroq; Giffordo, Worthingtono, Throckmortono, Pageto; quos Yorkius ter & maximè ad huius causæ consultationē cōuenisse testatur. Et per [b] Youngum quidē intellectum est *septem illos quos dixi, quodam adiuncto Treshamo, quotidie à Missa consessum pro publicis negotijs habuisse, dictosq́; esse Concilium pro statu Angliæ*. Atqui non videtur, inquit, viros illos prudentes & graues cum eiusmodi hominibus de re tali conferre eosve ad consilium admittere voluisse. Quî verò minùs quàm Pontifices & Scribas cum Iuda de prodendo Christo communicasse? quasi porrò locus non detur in Concilio malignantium ijs quorum illi operam sibi ad maleficium quod in voto habent conducendam arbitrantur. Atqui *certum erat illis*, inquit, *mortis periculum quam vitare non possent*; *cui semet expositeros pro mercede quam nunquam percepturi essent haud probabile est, neque hoc à prudentibus sperari posset*. Stulte, quasi per istas stetetit ineptias tuas quominùs reperirentur qui Principem Aurai-

cum

cum, qui Henricum tertium, qui Henricum quartum Galliæ Reges confoderent. Quî minùs speratum existimetur à vobis inueniri posse qui hoc in Elizabetham Reginam tentarent & perficerent quantocunque cum periculo suo, fascinati scilicet à vobis grandis meriti opinione & spe diabolica cœlestis gloriæ pro mercede sua potiundæ? Neque verò prorsus otiosa pecuniæ quoque obtinendæ spes; quippe Williamus; [c] *Ego*, inquit, *ad facinus hoc designandum possem animum inducere, modò pecuniæ satis ampla merces sit quæ domui meæ exaltandæ sufficiat; mihi enim pro certo moriendum erit*, quod à Yorkio & seipso quoque confessum est Bruxellæ dictum in mensa esse. Iterum tamen vrget, *si tale facinus cogitassent, haud verisimile esse quòd tanto numero committerent arcanum, maximè hominum eiusmodi qui erant alij alijs suspecti de prodendis consiliorum arcanis, eáque de re quidam pòst in quæstionem vocati*. Quàm futilis verò exceptio, quando non committunt hi arcanum numero illi, sed à numero illo inuitati ipsi ad facinus & communi consilio incitati sunt. Quòd autem ais, quosdam reliquis in suspicione habitos & in quæstionem adductos, dic qua de re suspecti; qua causa in quæstionem adducti sunt. Certè hoc ipso constat agitatum fuisse apud vos arcanum hoc consilium, de quo illi prodendo suspecti sunt. Atque hæc illa erat Fitzherberte, fundi vestri calamitas. Fuit enim non nemo ex illo numero qui totam coniurationem aperuit, & ad Reginæ Consiliarios perferendum in Angliam curauit, qui homines, quibus authoribus, ad quod facinus subornati & conducti essent, & quo tempore in Angliam venturi crederentur. Eo factum vt mox in ipso appulsu caperentur, & interrogati postea rem totam agnoscerent, iustasque perduellionis pœnas darent. Vnum illud restat quod ais, *non adfuisse Bruxellis eo tempore quosdam illorum qui consilio illi interfuisse memorantur; quo subijsse prudentiores asseris mirari Libellatoris ea in re impudentiam*; sic enim sceleratus furcifer appellas authorem *Declarationis* qua Regia maiestas de iniurijs sibi ab Hispano Rege factis & submissis in illam indignissimè sicarijs apud exteros Principes expostulandum sibi censuit. Vbi si septem illos intelligas qui ante nominati à nobis sunt, & quos spectat Regia declaratio vbi consultationem illam Bruxellensem commeminit, mentiris, nequam, perfidè & perditè, & fuisse illos Bruxellis eo tempore, præterquã

[c] *Ex confess. York & Williami, Aug. 12.*

quòd alioqui explorata res erat, consentiens & constans trium reorum confessio certissimè conuincit. Tu verò, quantum opinor, inde contradicendi ansam arripis, quòd actores primò numerantur in coniuratione illa præter septem quos diximus etiam Tippingus & Garnetus & Moodeus, qui pòst in conuentu Bruxelliensi narrando, quanquam absentes, non tamen excipiuntur. Eo verò te patet proditoria peruersitate & indurata in Principem & patriam malitia calumniandi occasiones captare voluisse. Verissimum est enim quod Declaratione dicitur, *partes supra nominatas* tres illas pro designando facinore tam tetro & atroci cōsultationes habuisse, vtut non omnes ibi adfuerint; vtut abfuerint, vt dicis, in locis suis Tippingus, Garnetus, Moodeus, quos ibi apertè significatum est actores tantùm & administros sceleris, non authores & consultores esse debuisse. Quare apage, Fitzherberte, tu cum stultitijs istis tuis, & patere vt eò te hominem sceleratiorem habeamus, quò te videmus audaciùs & impudentiùs proditorum causam agere, ijsque iudicijs authoritatem detrahere conari quæ clarissimis indicijs & euidentissima rerum veritate propugnata sunt. Ac te quoque, Andrea, hominem pessimo ingenio esse decernimus qui sponte tibi ducem facis hominem in hac causa fidei suæ tam prodigum, & in patriæ suæ contumeliam ita turpiter effusum, cuius in re grauissima defensio tam futilis & inepta admonere te debuit, suspectum meritò esse qui contra data à vestris indicia, contra partium confessiones, contra fidem regni publicam & munitissimam, nonnisi præsumptiones suas & vanissima fictarum probabilitatum somnia sectatur. Atque vt intelligat orbis Christianus quàm hìc vtrique nonnisi veteratores sitis, capita proditionis ex ipsis reorum responsis & testimonijs luculentiùs & pleniùs explicanda sunt. Postulatus ergò [d] Williamus liberalitèr agnoscit *obtulisse se operam suam Giffordo & Oweno ad quodcunque negotium pro Rege Hispano in Anglia obeundum; habitum Bruxellis in mensa sermonem de Regina occidenda, quo tempore professus est se hoc in animum inducere potuisse, prout ante vidimus, si satis ampla pecuniæ merces daretur.* Addit Yorkius, quod Williamus quoque, etsi haud ita prorsus apertè, testatur, [e] *dixisse ibi Youngum pollicitum se Holto per literas (quas in cubiculo suo scriptas & à se visas idem Yorkius affirmat) se Reginam interfecturum, modò præsens ei aliqua pecunia,*

[d] *Ex confess. William Aug. 22.*

[e] *Ex confess. Yorkij Aug. 22.*

nia, reliqua re peracta numeretur, & sponsionem hanc seruaturum iurasse. Eo audito respondisse se; Tu verò Domini Thesaurarij equulum interficies, & inde illum ingeminato iuramento denunciasse, se & Reginam & Thesaurarium quoque occisurum: Williamum porrò & Youngum vtrunque optasse pecunias sibi dari quò cerneretur facturine ex voto & promisso suo sint. Iam verò *Williamo posteà numeratos à*[f] *Giffordo quadraginta aureos* refert Yorkius, & Yorkio, *ex auunculi bonis*, quorum ferè nihil ante hoc susceptum facinus obtinere potuit, [g] *persolutas ducentas & quinquaginta libras* Youngus affirmat; præter [h] *viginti aureos quos ipse se ab Holto pro expensis in itinere Williami & suis percepisse fatetur, stipulatione porrò addita futurum vt cum Londini essent, quingenti illis aurei in cubiculo suo quod in vico Holburno habiturus esset, numerarentur.* Ita namque visum ait, [i] *ne hæc cum grandi pecunia venirent, sed paupertatis & inopiæ speciem præferrent vt tantò minor ab illis suspicio esset, quantò magis à suis miseri & desperati profugisse viderentur.* Iam hæc omnia quò tendant facile cogitare est. Certè Williamus tandem statutum animo habens veritatem fateri & totius proditionis consilium aperire, narrat [k] *se ab Holto & Stanleio præcipuis authoribus submissum vt Reginam occideret, magna sibi mercede proposita, seq. promissis inductum, ad facinus aggrediendum acquieuisse, & vinculo Sacramenti ab Holto in Iesuitarum collegio, Yorkio simul communicante, percepti, se ad consilij executionem obligasse; rationem verò & modum exequendi arbitrio suo relictum esse.* Quam confessionem postquam ediderat, denuò confirmauit & *in ea se ad mortem vsque perseueraturum, vtut Yorkio repugnante, promisit.* Yorkius verò rem totam latiùs & pleniùs exposuit; [l] *accersitum se primò ab Holto & Stanleio ad eiusdem Holti cubiculum in collegio Iesuitarum; significatum ibi ab eis quàm facile illi esset auunculi bona, hactenus detenta, recuperare, modò in grandi aliquo negotio operam suam Hispano Regi accommodaret, respondisse paratum se ad quiduis audendum quod honorificum videri posset; post dies circiter tres aut quatuor missum ad se Williamum qui iterum ad Iesuitarum collegium adduceret; offendisse ibi ad mensam accubantes Holtum, Stanleium, Giffordum, Worthingtonum, Throckmortonum, Pagetum, & altero die Owenum, proposuisse sibi Holtum faciendam Reginæ cædem, opus honorificum, vtile & quod animæ suæ condu-*

f Confess. York. Aug. 24.

g Cōfess. Youngi, Aug. 24.

h York. vt supra Aug. 24.

i Ibid. & ex confess. Young. Augusti. 16.

k Ex confess. William. Aug. 27.

l Ex confess. York. Aug. 21.

conduceret, mox si inter rem agendam periret in cælum prouehenda; aßignationem interim à Stephano de Ibarra Regis Hispani Procuratore consignatam, ostensam ab Oweno & apud Holtum depositam, qua aureos quadragies mille pro parricidij mercede pactus est, data porrò fide de suorum plenissima restitutione; Williamum, qui ante ad hoc negotium conductus fuerat, comitem sibi ex illorum consilio coniunctum habuisse, qui facinus primò tentaret, cui ipse secundas adderat, vel illum, cæde facta, ab astantium impetu & furore vindicaret; Holtum adhibito Sacramenti osculo iurasse, mox atque inceptum perficeretur, nummos illis promissos absque mora persoluendos; consensisse vtrosque in scelus, votoq́; se & iuramento obstrinxisse, & [m] *pro obligatione seruandi iuramenti Sacramento Eucharistiæ ab Holto communicatos & noxa omni absolutos esse, indeq́; aliud iuramentum pro arcani fide sibi mutuò seruanda præsentibus Holto & Stanleio præstitisse;* [n] *Williamum post dum iter facientes in Burgundia pariter de monte descenderent optasse ensem suum in Reginæ visceribus infixum, festinandum ipsis esse addens quòd mora Salisburio exitium attulisset;* [o] *eundem porrò professum sibi aliàs, eò quòd Reginæ necem iuramento & Eucharistiæ sumptione vouisset, non decessurum se à voto, ne quidem si equis ferocissimis in partes discerpendus sit; venisse denique ambos in Angliam vt sceleratum hoc consilium executioni mandarent, aut si id commodè non possent, seductionem tamen alicubi & rebellionē excitarent.* Ac de proposito seditionis excitandæ, [p] *Eaq́; de re cum Holto, Giffordo & Stanleio communicatione* præter Yorkium & Williamum Youngus quoque punctim & enucleatè testatur, parricidalis illius coniurationis hactenus quoque reus, quòd de illa ipsa re, miser, votum & voluntatem suam expresserat, vt ante vidimus, & *pro* [q] *Williamo literas ad Giffordum scripserat, quibus ille officium hoc, numeratis sibi ducentis aureis, se illis facturum receperat, modò re perfecta domum eius si fortè ipse occideret, euehendam curarent, dato responso futurum vt cum altero quodam in illo negotio mitteretur, & ab Holto sit admonitus Yorkio vt obsequens & fidelis esset; & Yorkium præter alia sibi dicentem audierit,* [r] *Benè verò; tu esto taciturnus, & nihil dubito quin breui futurum sit, vt in plateis Londinensibus cum phaleris argento intertextis obequitaturi simus.* Ita habes, Andrea, vel potiùs habet per te orbis Christianus descriptam breuiter proditionis huius historiam, cuius ita capita omnia cohærent, & ex ore reorum circumstantijs suis

[m] Ex eādē & altera, Aug. 14

[n] Ex alt. conf. York. Aug. 28.

[o] Ex super. August. 24.

[p] Conf. Young. Aug. 16.

[q] Ex alt. conf. Young. Aug. 12

[r] Ex altera August. 24.

ſuis munita ſunt, vt ipſa tibi veritatis ſuæ luculentèr & apertè fidem faciat. Cæterùm quòd Fitzherbertus irriſum refert tanquam ab vſu veſtro alienum, quòd Holtus hoſtiam Sacramentalem pro fide facienda oſculatus ſit, ſiquid ibi ridiculum fuit Holti eſto. Certè ab illo factum nihil dubitamus, & nobis, vtut inuſitatum, minimè mirum eſt, quibus optimè nota eſt Ieſuitarum impoſtura, qua pro circumueniendis hominibus mimos agunt ritibus ſuis & hiſtriones & circulatores, nouaſque ſibi è re nata ceremonias fingant, quæ vſui ad fallaciam eſſe poſſint. Cæterum vbi Coko mendacium impingis quòd Williamo & Yorkio Sacramentum adminiſtrante Holto perceptum narrat, cùm liber ille Reginæ declaratorius *tantummodò porrectum ad exoſculandum dixerit*, in eo pro more tuo miſerè mendax es, quia liber ille Holtum tantùm exoſculantem, Williamum & Yorkium ab illo percipientes expreſſè facit. Atque hoc mendacium altero mendacio cumulas, vbi Cokum dixiſſe ais, *coniuratos in cubiculo myſticum panem accepiſſe*, cùm in Coki verbis prout à teipſo poſita ſunt, nulla mentio cubiculi reperiatur; dixit autē Cokus Anglicè *in collegio Ieſuitarum accepiſſe*. Quod porrò reprehendis dictum ab illo, *Culleno ſacramenti calicem ab Holto datum, cum laici apud vos calicis vſu abſtineant*, intelligere debes non hoc Coki vitio accidiſſe, qui tantùm Sacramenti perceptionem Anglicè commeminit, ſed ab interprete poſitum eſſe, à quo negari non poteſt multa nimiùm indiligenter & haud ſatis cautè eſſe conuerſa.

Quo in genere haud minimum eſt quod proximè occurrit in hiſtoria Squieri, qui dicitur hùc *ex Hiſpania tranſmiſiſſe hortatu & conſilio Walpoli Ieſuitæ id temporis in Anglia deliteſcentis*, vbi illum Cokus expreſſè & clarè *in Hiſpania reſidentem*, non vt interpres, *in Anglia deliteſcentem* facit. Quod nihil dubito quin tibi optimè animaduerſum ſit, qui alioqui librorum Anglicorum tam peritus es, ſed ita penitùs in te calumniandi libido inſedit, vt quamuis anſam maledicendi malis arripere quàm perſpectæ veritati conſentire. Cæterùm in Squieri cauſa Fitzherbertus tuus grauitèr & anxiè laborat, quippe accerſitus ipſe in partem criminis, cuius ſuſpicionem quò magis mendacio & impudentia depellere conatur, tantò certè fortiorem in ſe facit. Eò verò minus tibi author eſſe debuit cuius fide in negotio exponendo, in quo

ipse appellatus est, tibi nitendum existimares, quo factum est vt pro vera historia meram nobis fabulam narres, artificio vestro & familiari vobis improba fraude concinnatam. Squierus ab Hispanis, capto, in quo erat, nauigio, in Hispaniam delatus, seductus ibi à Walpolo in religione, & Ecclesiæ Romanæ, pessimo fato suo, reconciliatus est. Quem Iesuita postquam hoc vinculo superstitionis sibi arctissimum obligasset, nactus ab illo quo ante loco pro Regij stabuli ministerio deputatus fuisset, & nihil dubitans quin ibi pro veteri consuetudine commoditatem maleficij captare posset, tentandum censuit ecqua lenocinij arte subire porrò animum eius, & ad facinus aliquod pro illa, qua iam imbutus est, superstitione audendum obtinere valeret. Postquam verò ille se ad nefaria consilia cereum & facilem applicuisset, [s] apertè cum illo agere cœpit vt pro Regina tollenda, pariterque cum illa Comite Essexio, operam suam exhiberet. Id verò ita consultum narrat vt absque periculo fiat, nec præsentia Regiæ Maiestatis impediat, quòd per absentiam expedienda res sit, & ita quidem vt vel mediocri adhibita cura, oculos cuiusuis & suspicionem facilè fugiat. Explicat deinde consilium, idque nequid hìc à sacris Iesuitarum scitis alienum putes, cum Marianæ sententia coniunctum, præcipientis [t] *in veneno adhibendo vt exterius* fiat, & *tanta vi sit vt sella eo aut vestis delibuta interficiendi vim habeat*. Venenum ergò se illi in manus daturum significat vesica clausam, quam, cùm vsus foret, perterebrare acu debeat, & in ephippij Regij verticem, manui ad leuamen corporis reponendæ comparatum, duriùs premere; relicturam ibi luem infectionis quæ Reginæ manum corripiens, & in venas abiens certissimam nihil suspicanti mortem afferat. Hoc vt dextrè perficiat, oportere monet vt in veterem necessitudinem se insinuet, profusiùs cum illis agat, colludendo, compotando familiares sibi faciat, multùm cum illis versari assuescat; ita fieri posse vt equo Reginæ, cum obequitatura sit, adornando, opem eius aliquando sine suspicione postularent, hoc ei ad sceleris opportunitatem commodissimum fore; nullum hìc discrimen subeundum, & quanquam vita illi propterea amittenda sit, deficere animo non oportere qui opere tam pio & meritorio fungatur, pro quo in cœlestium Sanctorum album referendus sit. Has blanditias Squierus placidè amplexus est, & interpellatus sæpe per confessionem

[s] *Ex confess. Squieri, anno 1598. Octob. 19*

[t] *Marian. de Rege & reg. instit. l. 1. cap. 7*

ſionem à Walpolo, facinus ſibi hoc conſtantèr decretum eſſe denunciat. Sed tamen quodam die ita factum eſt vt illum Walpolus triſtem & cogitabundum animaduertens interrogaret, quî ſe haberet, ecquid ei deeſſet, ecquid animo moleſtum eſſet; dic, inquit, mihi, & ego pro te faciam quicquid in me eſt. Minimè, inquit Squierus, ſed animus meus in Anglia iam agit. Ille verò; Bono eſto animo, inquit; peruenire in Angliam poteris magno cum tuo tuorumque gaudio & ſolatio. Sed hìc tamen ſuſpicionis aliquid hæſit, & proxima confeſſione Walpolus vehementèr dubitare ſe ait, ne non ſatis conſtaret illi animus ad perficiendum quod promiſerat. Squierus verò certò hoc ſibi ſtatutum eſſe conſtantiſſimè profitetur. Tum Walpolus ſeriò monet quanto periculo eſſet ni omnibus modis ageret vt votum illud ſuum effectum daret; nec metuendam iam mortem, vtcunque quaſi ad ceruicem imminentem videret; nam *Quid prodeſt*, inquit, *homini totum mundum lucrari, & animæ ſuæ diſpendium facere*? quòd ſi vel ſemel de rei licentia vel merito dubitaret, ſatis eſſe quod illum in infernum daret, & raró peccatum illud veniam obtinere. Quo dicto rapuit illum in amplexum, & ceruicem ſiniſtra circundans, dextra ſignum crucis ad frontem impreſſit, dicens, *Benedicat tibi Deus, fili mi, & vires confirmet; bono animo eſto; ego pro anima tua animam meam oppignorabo; & ſemper preces meas habiturus es, ſiue viuus ſiue mortuus, & plenam peccatorum tuorum indulgentiam & remiſsionem*. Et aliàs, *Vnum*, inquit, *eſt neceſſarium; quod ſi omnibus rebus anteponas, & in effectum perducas, habeo quod deſidero, & tu Sanctus eris in cælo glorioſus*. Squierus dæmone iſto Ieſuitico plenus in Angliam venit, Greenwici tum agente Regina, vbi Squieri habitatio fuit, & ad Comitis Eſſexij contra Regem Hiſpanum expeditionem marinam paratis omnibus. Mox vt Greenwicum venit,[u] honoratum quendam virum ſibi notum interceſſorem pro ſe facit, vt cum Comite in profectione illa fortunam ſuam experiatur. Quo conceſſo poſt ſeptem dies ita contigit, vt equum Reginæ intelligeret in apparato ad profectionem eſſe. Ille mox in aream properat, & habens manu veſicam, quomodo edoctus fuerat, perforatam, ad equum accedit, & manum in ephippij polum cum pondere mittens; *Deus*, inquit, *Reginam ſaluam faxit*. Precem eius contra mentem eius exaudiuit Deus, & Reginam ancillam ſuam mirabili virtute

[u] *Ex altera confeſſ. Oct. 23.*

ſua conſeruauit illæſam. Profecta quippe eſt prout conſtituerat; ſalua tamen, Deo gratias, reuerſa eſt & ſalua permanſit. Supererat iam vt porrò tentaret ecquid in Comitem proficere poſſet, cum quo vnà profectus ad opportunitatem committendi ſceleris diligentèr aduigilat, quam veſpere quodam ante cœnam arripuit, quo cathedræ verticem, vbi manu niti conſuetum eſt, veneno imbuit, ſat ſciens Comitem ibi ad cœnam eſſe ſeſſurum. Sed neque hìc venenum vires ſuas obtinuit; nihil mali Comes, nihil Regina perſenſit; & Squierus ſolus ſibi facti ſui conſcius, & nihil iam à re ignota mali metuens in vtramque aurem ſecurus indormit. Dixerat verò ei Walpolus futurum vt citò venenum vim ſuam exerat; mox verò ab audita Reginæ morte venturam claſſem alteram Hiſpanicam, quæ ad expeditionem præparata tum fuerat, ad Angliæ regnum inuadendum. Grandis ibi iam expectatio mortis Elizabethæ, & dies ille optatiſſimus mox venturus ſperabatur. Poſt moram verò ſatis longam cùm nihil ſuccedere viderent, indignantur & fremunt, & credentes illuſum ſibi à Squiero, vindictam animo meditantur. Dimittitur ergò ab illis quidam qui tanquam ſurreptas furto literas ſecum ferret, quibus ſignificata negotij ſumma & Squierus proditionis conſultus indicatus eſt. Interrogatus Squierus primò rem totam pernegat. Iterum atque iterum interrogatus dat paulatim aliquid quod interrogandi magis magiſque curioſos faciat. Veritus tandem nequid per Ieſuitam in publicam conſcientiam emanauerat, rem integram pandit, quî non conſulta illa modò à Walpolo, ſed & acta à ſeipſo ſit. Poſtea verò recognoſcens animo confeſſionem ſuam, & ſe ſibi haud ſatis conſultò feciſſe ſentiens, qui facinus ſuum, ſoli ſibi conſcitum, indicaſſet, retractat illam confeſſionis ſuæ partem, & conſilium quidem hoc ſibi communicatum à Walpolo, & ei ſe aſſentiri videri voluiſſe, ſed nunquam executioni mandare cogitaſſe. Quod cùm in iudicio pro ſe reſponderet, vt reatum omnem Walpolo relictum à ſe depelleret, perurgendus viſus eſt momentis & circumſtantijs confeſſionis ſuæ, quibus apertè conuictus acquieuit, & noua illam recognitione veriſſimam dedit. Neque verò aliud quicquam ſub mortem profeſſus eſt, vbi ſe de machinatione omni purgare voluit, de communicatione cum Walpolo habita nihil vnquam reuocauit. Ac Illa quidem confeſſio

fessio spontanea fuit, & interrogando tantùm elicita, non tormentis expressa, non vllo cruciatu extorta est. Quare gemino mendacio Fitzherbertus apologiæ suæ fundamentum ponit, qui & coactā equuleo accusationem, & integram ab illo refixam scribit. Vtrinque fefellit te, miser, relator tuus; aut certè tua te malitia spontè mentientem facit; nunquam adductus ad tormenta Squierus est, vt futilis hic & otiosa prorsus declamatio tua sit; nec vnquam retractauit quicquam eorum quæ ante de Walpoli consilio narrata sunt. Sed angit te quòd tu quoque hic vocaris in crimen, & coniurationis huius particeps insimulatus sis. Iuras te conscium non fuisse: at non credo tibi hic, Fitzherberte, ne millies quidem iurato. Scio in causis istis Catholica vestra iuramenta quàm æquiuoca, quàm captiosa sint. Quanquam hactenus tibi credo, quod tu fortè vis, conscium te coniurationis initio non fuisse; non venisse pòst in societatem perfidiæ, non credo tibi, nec perficere vllo modo poteris vt credam. Credo multò potiùs Guilielmo Mundeo qui iuratus testatur, [x] cùm Madriti ageret anno 1598. inter festa Pentecostes & Ioannis Baptistæ, ibique fortè in aula domus tuæ moraretur, venisse te à Creswello ira vehementer inflammatum & æstuantem, & deambulantem ibi dixisse, *Quàm improbi nebulones Squierus & Rollus qui Regem Catholicum ita fefellerunt, nosq; omnes pessunderunt; prodiderunt enim numerum magnum piorum in Anglia Sacerdotum, & arcana eorum omnia aperuerunt ita vt actum de illis sit*; se verò percontatum à te, quid Squierus & Rollus perpetrassent; respondisse te, *Squierum ephippium Reginæ veneno imbuere promisisse, Rollum verò illam occidere*, & mox vehementer stomachantem discessisse. Testatur porrò eodem iuramento post duos vel certè tres dies venisse ad se Ioannem Stanleium & dixisse ei, Walpolum Creswello & tibi scripsisse literas, quibus intellectum dedit Squierum & Rollum sceleratè vobiscum & perfidè egisse, & planè vos prodidisse. Hic est, Fitzherberte, quòd tibi vlcus tangitur, hic repugnas & recalcitras; in Stanleium inueheris, iuras te Stanleio nunquā quicquam tale dixisse, & mirum est quas turbas frustra das. Immò operæpretium est animaduertere quàm hic astutè & per dolum agas, vt qui non nescias te illa, quæ memorauimus, Mundeo audiente dixisse, strenuè des operam vt persuadeas nunquam tale aliquid Stanleio esse locutum,

x Ex confess. Guil. Mundei Nouemb. 3. 1598.

 Nolu-

Nolumus tibi hac in re Stanleij nomen, siue Stallagij velis, esse molestum; Stanleius ille qualis homo fuerit nihil hìc refert; Mundeum intellige esse qui hanc in te accusationem dicit. Quòd si à Stanleio illo aliquid quoque audire desideres; dicit ille [y] audisse se Creswellum in Squierum & Rollum inuehentem, & sceleratos ac perditos appellantem quòd votum fregissent, pro quo præstando pecuniam benè largam accepissent. Porrò testatur [z] Walpolum ei dixisse quo tēpore Seuiliâ Madritum discederet, Rollum & Squierum circa Reginæ personam adhiberi & pecuniam pro opera ibi collocanda accepisse; datas etiam post literas ab aliquibus vestrûm, te, ni fallor, & Creswellum intelligit, quas ad Consiliarios Reginæ perferri voluistis; dicentes, Rollum & Squierum designata sua & consilia prodidisse. Plura hìc addi possent; quæ tamen, vt res habent, iam dici haud par est; sufficiunt ista certè ad veritatem accusationis & æquitatem Actionis in Squierum habitæ contra calumnias tuas tam futiles asserendam. Aut si ista non sufficiunt, remitto te ad [a] *Moderatam detectionem Iesuitarum Anglorum & Parsonij actionum*, qua ostendit è vestris quidam, Bagshaum vestrum scelerato Parsonij stratagemate quē conscium coniurationis fuisse significat, in illius negotij distributione in vitæ suæ periculum adductum. Remitto te porrò ad [b] *Replicationem contra Parsonij libellum famosum* ab altero consacerdote tuo scriptam, qua ex proposito refellit quod à te dicitur fictionem esse totam hanc de Squiero historiam, confirmat quod ante de Bagshao dictum est, quod etiam cum articulis quibusdam Squierianæ confessionis optimè concurrit; inane esse conuincit quod excipitur tale venenum esse non posse; Rollum & Stanleium Squieri accusatores ob conscientiam proditionis nimium diu celatam incarceratos, stetisse etiamnum agnoscit, quod tu negas, accusationi suæ; Squierum in morte sua etsi suam perficiendi voluntatem infitiatus sit, confirmat tamen nunquam ab eo recessisse quod de Walpoli consilio antè confessus est. Denique quod Squierum nostræ religionis hominem fuisse ais & inde tam stolidè ludis, qui tā multa nonnisi ludis, non credidisse eum operum merita, proinde meritum in cæde Reginæ nullum existimare potuisse, totum ex mēdacio profectum est, quia fatetur [c] Squierus fuisse se, cùm ex Hispania in Angliam rediret, de Pontificia religione persuasissimum, quam si postea, conscientia sceleris admonitus,

[y] Ex confess. Stanleij Sept. 23. 1698.

[z] Ex altera confess. Octob. 18.

[a] Dicitur Anglicè, A sparing discouery of English Iesuites and of F. Parsons proceedings.

[b] Anglicè dicitur: A Reply to father Parsons libell by W.C.

[c] Ex confess. Squier. Octob. 23.

monitus, detestari didicit, tantò certè propior ad pœnitentiam & salutem fuit.

Iam ad te redeo, Andrea mi, qui vides qualem defensionis tuæ authorem nactus sis; vides à Coko nihil non rectè factum qui Squierianam proditionem tanquam à Iesuitis profectam & illis iure optimo inuidiosam & infamem, commemorandam putatus est. Quod verò ille ait, *à primo Iesuitarum in Angliam ingressu nunquam integrum quadriennium effluxisse in quo non exitialem aliquam proditionem in totius reip. perniciem Iesuitæ machinati sint*, hoc tu vellicas & refellere videri vis, *si ex te quæsiero*, inquis, *ab anno* 1581. *quo anno Campianus necatus est, ad* 1588. *quo bellum Hispanicum Iesuitarum opera Angliæ illatum criminaris, quod in vos extiterit eorum scelus, ne fingendo quidem inuenire poteris quod nobis obijcias*. Quàm tu verò hic ineptè rerum vestrarum ignarus esse prætendis? An excidit tibi animo Parus qui anno 1584. Iesuitico dæmone plenus vt ante vidimus, exitium Elizabethæ Reginæ meditatus est? An [d] Sammierus Iesuita tibi non occurrit qui per illos annos res nouas assiduè molitus dum Elizabethæ struendas curat insidias, Mariæ Scotorum Reginæ clarissimæ fœminę, quã exhæredandam quoque cum filio Serenissimo Rege nostro statuerat, tristissimam & intempestiuam necem attulit? Quin & emissarij illi vestri è Seminario Sacerdotes quorsum huc, vobis authoribus, per illa tempora densissimi venerunt, nisi vt partem Pontificia superstitione confœderatam cum Hispanorum venturis copijs ad internecionem regni coalituram compararent? Ex hoc numero fuit Fennius ille tuus, quem hìc cum Haddoco obtorto collo trahis in scenam, *cuius*, inquis, *iudicio nihil vnquam turpius aut impudentius vidit Anglia*. At nihil ibi turpitudinis, nihil impudentiæ fuit, & tua te stultitia rerumq; nostrarum inscitia temerarium calumniatorem, non nos iniquitas aliqua iudicij nostri obnoxios facit. Et calumnia quidem tua eò speciosior apparet quòd duos illos solos memoras in illo iudicio postulatos, cùm nouem fuisse compertum sit, in quos tum accusatio indicta est. Neque enim Fennius tantùm & Haddocus, verumetiam Arthurus Pitts, Guilielmus Warmington, Richardus Slacke, Guilielmus Hartly, Richardus Norris, Guilielmus Deane, Guilielmus Bishop, omnes simul appellati eiusdem proditionis & rei omnes denunciati sunt. Fuit autem accusatio, venisse

[d] *Catechism. Iesuitar. l.3.c.* 15.

nisse illos in Angliam ex condicto vt ciuium & subditorum animos ad seditionem inflammarent, magnasque rebellionum turbas ad Reginæ ac regni perniciem excitarent. Qua de re coniuratum refert accusatio [e] *Septemb. 20. anno Elizabethæ Reginæ vicesimo tertio, apud Rhemes in Campania & diuersis alijs diebus & vicibus tam ante quàm post, immò tam apud Rhemes quàm in diuersis alijs locis*, vt ne Roma quidem ipsa excepta sit. Et certè vtut locus vnus pro more nominatim exprimatur, tamen de coniuratione non minùs Romæ quàm Rhemis inita institutam fuisse accusationem [f] Martyrologium vestrum Hispanicum non dissimulat. Spectat quoque ad formulam iuris quòd certus ille dies nominatus est, quia cùm *alios dies* subijcit *tam ante quàm post*, significat non ab illo die cœptam coniurationem, sed diem aliquem ex quo coniuratio cœpta est designare voluisse. Cauti sunt enim hac in parte Iurisconsulti vt cùm facti dies dicendus sit, nec tamẽ in diuturnioribus maleficiorum negotijs certa vel reo vel testi certorum dierum memoria occurrat; diem aliquem ponant quo rẽ iam *fieri* fuisse constet, qui propterea perinde existimetur acsi illo primùm die cœpta sit. Postulatur dies à confitente reo, postulatur à teste, cuius haud satis semper memoria tenax est; iubetur tamen ex coniectura dicere, & quod dicitur admittitur, nec interesse putatur quòd dierum aliquis, modò rerum error nullus sit. Quin & coniurationis ab illo die nominato reus sine discrimine accusatur, qui post diem illum ad coniurationem accedit cuius reus esse comprobatur. Quid hic ergò tandem est quod Fennium tuum vel Haddocum iuuet? Haddocus qui Romæ fuit non potuit Rhemis coniurare cum Fennio. At potuit Romæ cum coniuratorum altero; esto vt non vicesimo Septembris, certè tamen *alijs diebus & vicibus ante* vel *post*. Non nescimus frequentia tum apud vos de Regina occidenda & facienda seditione agitata consilia, non Rhemis modò, sed & Romæ, vbi sub id tempus cum Mundeo & Haddoco tertius quidam obambulans multum se profitetur desiderare tria maximè capita eorum qui erant Reginæ à secretioribus consilijs; cui Haddocus mox, optare se præter illa Reginæ caput, vt figura quadrata esset, quod [g] Martyrologium vestrum ex accusatione Mundei cõmodissimè refert, &, velit nolit, verissimè, & quo ita mentem suam aperuit, vt proditorem illum sceleratum fuisse dubitari non possit.

[e] Ex Actis curia.

[f] Histor. particul. de la persecut. de Ingalaterra, l. 4. c. 33. num. 24.

[g] Histor. particul. vt supra l. 4. c. 33. num. 32.

sit. Cæterùm intercessisse ibi tum qui arcana ista vestra & scelebratas designationes vtrinque communicarent, extra controuersiam nobis est, per quos vel per quorum aliquem Haddocus etsi Fennio minùs notus, in partem tamen coniurationis eiusdem asciscì potuit, quem ascitum fuisse satis compertum est. Neque verò rarum est vt vnus quisquam è numero proditorum nouos sibi coniuratos adiungat, qui cæteris fortè haud magis noti sunt quàm Fennius sibi Haddocum dicit. Denique si bini tantùm coniurati dicerentur, quorum alter Rhemis, alter Romæ extitisset, speciem aliquam haberet defensio tua; nunc cùm tam multos fuisse certum sit, per intermedios fieri potuisse, vt bini illi in eandem coniurationem coalescerent, nullus dubitandi locus est. Quanquam ita hæc à me dicuntur, vt vera esse credantur, quæ à te adducta sunt, quæ ego certè vera esse non credo, qui te toties de tam multis, & quidem iam ante de Squiero audio tam apertè mentientem, quasi ad mortem negauerit omnia de Walpolo, quæ vestri tamen ipsi Sacerdotes nunquam ab illo negata esse confirmant. Postquam verò omnia pro Fennio tuo dixeris, certè illum vel Martyrologium vestrum ipsa confessione sua proditorem in iudicio conuictum, & meritò damnatum demonstrat, [h] *Qui interrogatus an Papa Reginam deponere, regnoq́; suo posset exuere, respondit, esse Papæ authoritatem qua illam deponere posset, & omni imperij iure spoliare, idq́; ipsum posse in quemuis Principem Christianum, qui in Ecclesiæ gubernatione sedis Apostolicæ authoritati resistit; quod si faciat,* inquit, *teneor ego Ecclesiæ partes agere, eiusq́; Catholicis decretis me obedientem exhibere.* Abi verò, furcifer, in malam crucem; immò meritò in crucem abijsti; & properè te sequatur Apologista tuus qui eandem tecum in Principes perfidiam & perduellionem probans, pari tecum cruce dignus est. Vide, Andrea, quàm gratum tibi facio, quandoquidem *non abnuere te* dicis, qui te cum Fennio tuo, proditorem cum proditore, connumero, quem ego certè hominem recognosco tantò deteriorem, quantò impudentiùs te video teipsum & populares tuos homines scelere & perfidia pessimè vbique audientes, & siquando ad crucem postulamini, nonnisi teterrimarum proditionum & flagitiosissimè actæ vitæ iustissima supplicia perferentes, in Christi tamen causam & crucem induere, quasi vos scilicet orbis Christianus propter iustitiam & nomen Christi

[h] *Hist. partic. vt supra, l.4. c.35.§.8.num. 57.*

persequatur. Quinimò si dixisset Christus; Beati proditores, fœdifragi, seditiosi, sacrilegi, fraudatores, hypocritæ, Sodomitæ, implerent tunc cœlum Martyres vestri; quia verò beati non alij nisi qui *propter iustitiam* & pietatem pœnas luunt, væ vobis quibus iustis & pijs absque culpa esse non licet, & proinde nonnisi Pontifici & diabolo Martyres estis. Singularis interim hypocrisis vestra & dissimulandi ars, qui cùm priuatim Basilidianis & Gnosticis & Valentinianis per occulta mysteria turpiores sitis, publicitùs tamen *forma pietatis* & sermonibus ad benedictionem comparatis orbi terrarum supra fidem, supra opinionem omnem illuditis. Quòd verò nos *Machiauelli præceptionibus institutos, & ad illius normam remp. administrare* pronuncias, quia illustrior est reip. Anglicanæ splendor & gloria, quàm quæ te authore, fœdissimo hominum excremento, sordidari queat, haud dignor te, maledicum pecus, altera responsione quàm à tuis hominibus profecta recriminatione. Watsonus enim vester è Seminario sacerdos, cuius multò magis in vos experientia rerum vestrarum quàm tua in nos concepta tantùm per malitiam calumnia valebit, (quanquam non ille suam tantùm sed reliquorum quoque Sacerdotum sententiam expressit) cùm passim in Quodlibetis vestros Iesuitarum Machiauellismos & Atheismos & impios dolos exagitat, tum vnum ferè librum, maximè integrum [i] caput vnum satis longum in eo consumit, vt ostendat in illa Machiauelli schola quàm exercitati sitis, vbi ita concludit, *Si politiam intelligas vafritiem callidam, veteratoriam, versutam, dissimulatione plenam quæ ad Atheismum tendat & irreligionem, in ea Iesuitas Machiauellum multis gradibus antecellere, & credo,* inquit, *quoscunque alios huius temporis politicos.* Profitetur quoque [k] librum se scripsisse, cuius vna parte Iesuitarum cum Templarijs, altera eorundem cum Machiauello comparationem facit. Tu verò qui *meditationes vestras & lectiones, & colloquia & exercitationes* nobis narras, audi de ijs quid ille quoque pronunciet; [l] *Quæ illorum studia sint vitæ ratio ostendit, & quantumuis perfectiones suas, sanctitates, meditationes, exercitationes iactent, institutum tamen illorum Ethnicum esse, tyrannicum, satanicum, & tale, vt ad scholam eorum discipuli veniant Aretinus, Lucianus, Machiauellus, etiam dominus ipse Lucifer, cui propè impossibile est omni arte sua æquè homines fascinis suis dementare.* Ista de vobis Prophetæ vestri decantant,

i *Wats. Quodlib. 4. art. 2.*

k *Idem Quodlibet. 2. art. 9.*

l *Quodl. 3 art. 3*

tant, quæ leuia existimari non debent quòd ab illis profecta sunt. Noli ergo in agro nostro requirere, quæ domi vobis tam fœcunda nascuntur. Desine Machiauellismum nobis obijcere; desine, animal impurum, de Elizabetha mentiri, de qua nisi quòd scio malitiam sæpe homines in amentiam & stuporem dare, non crederem te fabulam tam stultam, tam insulsam amplecti potuisse. *Quæsitum est* scilicet *ab Elizabetha ecquis superesset ex Machiauelli familia, vt eum ex Italia aduocatum beneuolentiæ obsidem haberet apud se.* An tu verò ita fungus es, vt sic animum inducas? At Elizabetham intellige supra quàm heroica virtute fœminam nunquam eò abiectam otij fuisse vt muscas eiusmodi & ranulas sibi captandas iudicaret. Tu hoc *ex consanguineis Machiauelli accepisse te* dicis. Nempe agnosco familiare tibi esse, vt vbi certum tibi mendacium tuum est, ibi prætexeras quicquid est ab alio quodam, hoc vel illo, vel nescio quibus literis accepisse. At illis vnde acceptum hoc? Certè si acceptum, & non prorsus à te confictum, nonnisi à fugitiuis nostris acceptum, in quorum incude maleuolentiæ atque inuidiæ mille eiusmodi despectissimæ calumniæ fabricatæ sunt. *Iurauit illa se Catholicam religionem conseruaturam*, &, Deo gratias, conseruauit, sed verè Catholicam, non Catacatholicam vestram. Non Catholica religio vestra, sed *Catholica Romana*, de qua non iurauit Elizabetha. At de nostra religione non immutanda fidem dedit Norfolciensibus Maria & fefellit, quam postquam violasset, nihil ei vnquam prosperè cessit, retroque ferri omnia mox atque in peius abire cœperunt. *Permisit Elizabetha se oleo liniri*, quòd ius regni habere, & *vnctam Domini* se esse agnosceret, non irrisa nisi ab Ismaelitis & Edomitis & Micholæ spurijs, quos compellat Esaias Propheta; [m] *Vos accedite huc filij auguratricis, semen adulteri & fornicariæ, super quem lusistis? super quem dilatastis os & eiecistis lingam? nunquid non vos filij scelesti & semen mendax?* Certè non ab alijs Elizabetha irrisa est, & tu ex hoc pessimo genere catulus fœdissimus rictu illo & cachinno tuo eiusdem ignominiæ mercedem reportaturus es. Cæterùm quod sequitur *de iniecta Comiti Arundelio spe inani nuptiarum suarum qua illum induxit, vt ne diutius mutationi religionis in Comitijs aduersaretur*, in eo singularis impudentia tua & Sanderi tui mirabilitèr elucet. Nam primis illis Comitijs quibus mutatio religionis non magno labore, quanquam

m Esa. 57. 3.

persequatur. Quinimò si dixisset Christus; Beati proditores, fœditragi, seditiosi, sacrilegi, fraudatores, hypocritæ, Sodomitæ, implerent tunc cœlum Martyres vestri; quia verò beati non alij nisi qui *propter iustitiam* & pietatem pœnas luunt, væ vobis quibus iustis & pijs absque culpa esse non licet, & proinde nonnisi Pontifici & diabolo Martyres estis. Singularis interim hypocrisis vestra & dissimulandi ars, qui cùm priuatim Basilidianis & Gnosticis & Valentinianis per occulta mysteria turpiores sitis, publicitùs tamen *forma pietatis* & sermonibus ad benedictionem comparatis orbi terrarum supra fidem, supra opinionem omnem illuditis. Quòd verò nos *Machiauelli præceptionibus institutos, & ad illius normam remp. administrare* pronuncias, quia illustrior est reip. Anglicanæ splendor & gloria, quàm quæ te authore, fœdissimo hominum excremento, sordidari queat, haud dignor te, maledicum pecus, altera responsione quàm à tuis hominibus profecta recriminatione. Watsonus enim vester è Seminario sacerdos, cuius multò magis in vos experientia rerum vestrarum quàm tua in nos concepta tantùm per malitiam calumnia valebit, (quanquam non ille suam tantùm sed reliquorum quoque Sacerdotum sententiam expressit) cùm passim in Quodlibetis vestros Iesuitarum Machiauellismos & Atheismos & impios dolos exagitat, tum vnum ferè librum, maximè integrum [i] caput vnum satis longum in eo consumit, vt ostendat in illa Machiauelli schola quàm exercitati sitis, vbi ita concludit, *Si politiam intelligas vafritiem callidam, veteratoriam, versutam, dissimulatione plenam quæ ad Atheismum tendat & irreligionem, in ea Iesuitas Machiauellum multis gradibus antecellere, & credo*, inquit, *quoscunque alios huius temporis politicos.* Profitetur quoque [k] librum se scripsisse, cuius vna parte Iesuitarum cum Templarijs, altera eorundem cum Machiauello comparationem facit. Tu verò qui *meditationes vestras & lectiones, & colloquia & exercitationes* nobis narras, audi de ijs quid ille quoque pronunciet; [l] *Quæ illorum studia sint vitæ ratio ostendit, & quantumuis perfectiones suas, sanctitates, meditationes, exercitationes iactent, institutum tamen illorum Ethnicum esse, tyrannicum, satanicum, & tale vt ad scholam eorum discipuli veniant Aretinus, Lucianus, Machiauellus, etiam dominus ipse Lucifer, cui propè impossibile est omni arte sua æquè homines fascinis suis dementare.* Ista de vobis Prophetæ vestri decantant,

i *Wats. Quodlib. 4. art. 2.*

k *Idem Quodlibet. 2. art. 9.*

l *Quodl. 3 art. 3*

tant, quæ leuia existimari non debent quòd ab illis profecta sunt. Noli ergo in agro nostro requirere, quæ domi vobis tam fœcunda nascuntur. Desine Machiauellismum nobis objicere; desine, animal impurum, de Elizabetha mentiri, de qua nisi quòd scio malitiam sæpe homines in amentiam & stuporem dare, non crederem te fabulam tam stultam, tam insulsam amplecti potuisse. *Quæsitum est* scilicet *ab Elizabetha ecquis superesset ex Machiauelli familia, vt eum ex Italia aduocatum beneuolentia obsidem haberet apud se.* An tu verò ita fungus es, vt sic animum inducas? At Elizabetham intellige supra quàm heroica virtute fœminam nunquam eò abiectam otij fuisse vt muscas eiusmodi & ranulas sibi captandas iudicaret. Tu hoc *ex consanguineis Machiauelli accepisse te* dicis. Nempe agnosco familiare tibi esse, vt vbi certum tibi mendacium tuum est, ibi prætexas quicquid est ab alio quodam, hoc vel illo, vel nescio quibus literis accepisse. At illis vnde acceptum hoc? Certè si acceptum, & non prorsus à te confictum, nonnisi à fugitiuis nostris acceptum, in quorum incude maleuolentiæ atque inuidiæ mille eiusmodi despectissimæ calumniæ fabricatæ sunt. *Iurauit illa se Catholicam religionem conseruaturam*, &, Deo gratias, conseruauit, sed verè Catholicam, non Catacatholicam vestram. Non Catholica religio vestra, sed *Catholica Romana*, de qua non iurauit Elizabetha. At de nostra religione non immutanda fidem dedit Norfolciensibus Maria & fefellit, quam postquam violasset, nihil ei vnquam prosperè cessit, retroque ferri omnia mox atque in peius abire cœperunt. *Permisit Elizabetha se oleo liniri*, quòd ius regni habere, & *vnctam Domini* se esse agnosceret, non irrisa nisi ab Ismaelitis & Edomitis & Micholæ spurijs, quos compellat Esaias Propheta; [m] *Vos accedite huc filij auguratricis, semen adulteri & fornicariæ, super quem lusistis? super quem dilatastis os & eiecistis lingam? nunquid non vos filij scelesti & semen mendax?* Certè non ab alijs Elizabetha irrisa est, & tu ex hoc pessimo genere catulus fœdissimus rictu illo & cachinno tuo eiusdem ignominiæ mercedem reportaturus es. Cæterùm quod sequitur *de iniecta Comiti Arundelio spe inani nuptiarum suarum qua illum induxit, vt ne diutius mutationi religionis in Comitijs aduersaretur*, in eo singularis impudentia tua & Sanderi tui mirabilitèr elucet. Nam primis illis Comitijs quibus mutatio religionis non magno labore, quanquam

m *Esa.* 57. 3.

renitentibus vestris, indicta est, rogatione ad illam à populo facta vt de nuptijs cogitaret, ex quibus spes posteritatis ad regni successionem & securitatem haberi posset, apertè illa & expressè habita publicè oratione respondit; [n] *Alieno se semper fuisse à nuptijs animo; vitam cælibem, ex quo vitæ formandæ consilium iniuit, semper & maximè placuisse; in ea se adhuc mente perseuerare; siquid secus in posterum faxit, communi vtilitati haud minus quàm vitæ suæ consulturam; sed ita stare sententiam, facturam se vt marmoreus lapis posteritati testetur Elizabetham Reginam post tot annorum regnum virginem vt vixisse, sic obijsse.* Ecquis verò apud vos rerum pudor, quibus tam apertè mentiri tam nihil est? ecqua habenda vobis fides, quorum haud melior conscientia quàm vt se calumnijs istis & meris commentis tam spontè subijciat? Mentiris, Andrea, mentiris; non spe Reginæ potiundæ, sed miserrimo vestrorum in disputatione subterfugio & tergiuersatione plusquam Donatistica Comes Arundelius cum cætera nobilitate ad restaurandam quam ante probauerat religionem adductus est. Et tamen postea, verum est, non illa illum, sed ipse se Regij thalami spe inani ludificatus est, fretus magis granditate animi & ambitione sua quàm amatoria vlla Reginæ inuitatione. Certè nihil quibusdam tam facile est, quàm vt amari se sentiant, & blanditias omnes mox sibi fingant ad nuptias patrocinari, quo fit vt ipsi se frustra torqueant, thorum ibi ambiendo & expectando, vbi, quod hic factum est, nihil minùs sperandum sit. Iam qui tantùm audes in Elizabetham, illustrissimam & beatissimæ memoriæ Principem, nihil mirum si multùm audeas canino latratu in Cecilium honoratissimum virum & fidissimum Reginæ consiliarium, quem singulari prouidentia Deus Antidotarium contra venena vestra suscitauerat, qui mira sagacitate consilia vestra subodoratus ita semper anteuertit, vt arcana vestra & insidiarum artificia in Reginæ vitam contexta in vestrorum magis perniciem vestramque omnium infamiam & meritissimam Pontificiæ superstitionis, & perfidiæ apud nos execrationem redundarint. Quo nomine, quæ inuisa vobis, ea nobis illustrissimi viri memoria colendissima semper futura est. Proximo loco Caluini ossa rabidus canis arrodis & authorem nactus verè te dignũ, Hieronymũ Bolsecum, conspurcatum scelere & infamia nebulonem, post fabulas nescio quas, quibus immorari haud operæpretium est,

[n] Stoi. Annal. 1559.

est, esse ais in Ecclesia Geneuensi ex Caluini disciplina certum & constitutum quasi dogma, vt vbi agitur dei gloria & impiorum Euangelij hostium euersio, mentiri & mendacium veritatis specie fucare atque adumbrare non modò licitum esse sed & nonnunquam necessarium. Vbi non possum non mirari te Iesuiticæ impietatis & perfidiæ vestræ conscium & consortem, hoc in Caluinum & Geneuenses ex Bolseco commemorare voluisse, neque animo subdubitasse ne data nobis tangendi vlcus vestrum occasio, cederet vobis in tormentum, & præter opus nouam vobis infamiam crearet manifestata certioribus indicijs improbitas vestra. Certè Watsonus & reliqui cum eo Sacerdotes quiq; Catechismi Iesuitarum author in Gallia fuit, vestri omnes homines & omnes ritu vestro Catholici, authores nobis sunt, nihil tam nefarium, nihil tam indignum esse quod non sit vobis actus pietatis & zeli, modò prætextus faciendi non desit, [o] iunioribus *propter obedientiam*; superioribus *propter bonum societatis & in ordine ad Deum.* Quin & illud sacrum vobis est, *fidem hæreticis datam non esse seruandam*; [p] *non esse seruandam fidem vbi religio periclitatur*, immò nec dare fidem quam seruandam putetis, quippe qui per æquiuocationes & mentales clausulas mendacia & periuria ludificamini & picta coloribus istis plurimùm vobis licere putatis. Hæc ex vestris & vestrorum libris, hæc è moribus assiduè vestris testimonium habent luce clarius; quæ tu propterea de Caluino aut tacere debuisti, quæ præter Bolsecum nemo testatus est, aut certe ita dicere vt minime reprehendenda putares quę vobis cũ illo cõmunia esse non ignoras. Certè verò Bolsecus tibi quoque, scio, apud animum tuum testis malefidus & suspectus est, qui scelere suo pulsus Geneua & totus ad vindictæ libidinem inardescens atque id solùm agens vt in Caluinum & Geneuenses virus suum euomeret, scripto ea complexus est quæ nemo sobrius non planè videat & agnoscat ab indignissimo balatrone & homine tui simillimo ad omnem maledicendi spurcitiem turpissimè effuso esse conficta, instigante illum & indurante Satana vt deposito rubore omni & conscientia violentèr oppressa nihil non in illos mentiri auderet, id tantum sibi consulens vt vobis ad calumniandi facultatem gratificaretur, &

Pôpulo (vestro) vt placerent quas fecisset fabulas.

Quare siquid in Caluinum velis, da ex libris suis, da ex certis rerum

[o] *Watson. Quodlibet.* 3. *art.* 4. & *Quodlibet.* 4. *art.* 2. *in marg.*

[p] *Math. Parisiens. in Henrico* 2.

rum indicijs; noli amplius Bolcecum afferre, sepeliatur in tenebris æternis nomen infame, & vide quoque ne tui nominis memoria pariter infœlix & exosa sit, qui tam proximè scilicet ad illũ accedis, verè monstrum mendacio & calumniæ natum, ex cloaca illa tam fœtida tam impuri pectoris tui maledicentias passim & excogitata per malitiam probra tãquam vomitu quodam assiduo & importuno regurgitans. Omitto hìc recoctam Cramben tuam & congestas in Cokum ex superioribus calumnias, quæ quia sigillatim in locis suis iam antè protritæ sunt, nouum hìc negotium Lectori, nouam nauseæ molestiam facessere non debent.

CAP. IX.

Initæ coniurationis impudentissimè ab Eudæmone conficta narratio refutatur, & reus eiusdem Garnetus certis confessionum indicijs & argumentis luculentissimè comprobatur.



QVæ te, Andrea, temeritas & stultitia ad superiorum iudiciorum reprehensionem præcipitem dedit, ea te facit in causa Garnetiana multò audaciùs insolescere, vt quæ à vobis calent adhuc vulnera & sanguine suo tam recenti madescunt, ea per vos nulla vnquam fuisse defendas, quæque foro omnium ferè hac ætate celeberrimo clarissima luce cum publica omnium conscientia fidelissimè transacta sunt, ea perstringere stylo ferreo non verearis, & cauillationum tuarum atque calumniarum strophis ac præstigijs eludere conari. Miror te verò hominẽ peregrinum & ab vsu fori nostri tam longè diuisum, earum rerũ historiam instituere non veritum quarum nemo est sanus qui credat certam ad te notitiam peruenire potuisse. Quod enim ais *authores tibi esse tum eos qui post patefactam coniurationem rem totam à coniuratis acceperunt, tum alios qui eo ipso tempore in Anglia versabantur,* certè vtrinque narratio tua suspiciosa est. Quæ namque fides coniuratis ipsis habenda est, ea tota à nobis est, apud quos extant spontaneæ confessiones ipsorum, adscripta vniuscuiusque manu firmatæ, & publicè ab ipsis in iudicio recognitæ, à quibus qui diuersum aliquid admiserit tanquam ab ipsis acceptum, certè aut falsarius aut insanus est. Qui verò de rebus solenniter & splendi-

dissimo

dissimo theatro gestis ex fugitiuorum & transfugarum rumusculis & fabulis, quas scimus semper ad captandam gratiam concinnatas historiam contexit, planè se ostendit velle in rem suam esse mendacem, & non quid verum, sed quid instituto suo accōmodatum sit, omninò spectare. Quanquam hic ausum dicere, quo te improbo ingenio & ad malitiam obfirmato esse video, neutro illo modo te narrationem quam ponis accepisse, sed data opera narrationem nostram ad tuæ libidinis institutum detorquere non dubitasse. Et tamen vt olim Celsus libro suo ex fabulis Ethnicis consarcinato [a] *Veræ orationis*, siue *veri sermonis* titulum apposuit, ita tu fabulæ tuæ ex tuis tuorumque figmentis impudentissimè confectæ *vera narrationis* elogium inscribis, insidiosè posito nomine *veritatis*, vt hoc prætextu pateat tibi aditus ad immittendam falsitatem. Quod spero facilè liquebit postquā narrationem tuam excussam dederimus, & certissimo argumento constiterit quanta vbique fraude ad occultandum iniquitatis vestræ mysterium intertexta & conspersa sit. Atque hìc non possum initio non stomachari prodigiosam petulantiam tuam, & mirari plurimùm non te Principes Christianos vna voce ad suspendium postulare, qui insolentissima proteruia & audacia sic in potentissimos Monarchas incurris, acsi tibi cum fœce populi res ageretur, aut Thersites tibi aliquis probro indignissimo & contumelia vexandus sit. Nec verò vereris hìc iterum more tuo natales Elizabethæ perstringere, spurius ipse furcifer, quem cùm os illud tuum rictu insano distortum & halitum tuum tam putridū & venenosum, & cauernosam mendacij linguam animaduerto, videtur mihi certè Incubus aliquis infernalis ex infausta nescio qua Lamia vel Circe progenuisse. Atqui natales Elizabethæ Deus sacros esse iussit, quam repudiata cum ingloria Maria vestra sublimem regno euexit, quam de tot insidijs vestris incolumem non sine miraculo conseruauit, & Balaamorum vestrorum in illam maledictiones prorsus in irritum vertit; quam Balako quoque tum vestro frœno & terrori esse fecit; quam opibus & beneuolentia subditorum & victoria hostium & pace domestica quadraginta quinque annis (ipso numero te crucio) ita firmauit, vt nullum sub cœlo nomen illustrius quàm Elizabethæ fuerit; quā denique post tot damnatos inferno Pontifices & coniuratos cum illis proditores suos; post commissos inter se hostes suos

Am-

[a] Origen. cont. Cels. lib. 1.

Ammonitas & Moabitas mutuisque telis confossos, maturâ ætate piâ morte suscepit in cœlum, immarcessibilis gloriæ coronâ redimitam & cum Christo, cui hic regnauit & regnando seruiuit, regnaturam in æternum. Iam illam ais initio regni *veritam ne si primo statim impetu totam persecutionis acerbitatem effunderet, feroces tum potentia, neque malis assueti Catholicorum animi in seditionem verterentur*. At vnde tibi hoc quando metuendæ seditionis ne species quidem vlla emicuit, Elizabetha communi totius Angliæ gratulatione, ita nunquam erat cur iure suo diffideret, ad regni fastigium euecta, reformatione religionis, vtut tu mentiris, nullo ferè negotio sancita; ita compositis omnium animis vt paucissimi essent qui non sibi preces nostras frequentandas existimarent; ea vestris humanitate præstita, quod Sacerdotes vestri antè testati sunt, vt maiorem certè requirere non possent, ita longè absuit vt illos quoquo modo opprimendos cogitaret. Et quanquam qui ex illis fugitiui erant & in transmarinis partibus agentes libellis famosis & scriptiunculis ad calumniam comparatis odiosiùs illam interpellarent & lacesserent, tamen domesticos eadem benignitate habere non desijt, nec ante seditionem Borealem Pontificia Bulla concitatam lex vlla in vos durior rogata est. Cùm verò Sacerdotes vestri Watsonus, Bluetus, & vna voce reliqui ex illo numero omnes tam constanter & apertè demonstrent, quæ leges postea sensim & quasi per gradus decretæ in vos sunt, omnes ab hoc fonte & sequentibus consilijs & moribus vestris occasionem & originem habuisse; nec voluntate Principis & studio quæsitas, sed necessitate reip. conseruandæ propemodum extortas esse; & quidem pro re nata nonnisi iustas fuisse & miserecordia ac benignitate temperatas, vt mirum sit non promulgatum lege tristiori ne quisquam vestrorum in regno esse sineretur: hæc, inquam, omnia cum vestræ religionis homines tam disertè confirment, prout ante ostensum à me est, næ tu te Sycophantam egregium præbes & ad quidlibet audendum miserrimè desperatum qui non modò contra rerum ipsarum clarissimam lucem, sed contra tuorum quoque fidem, causas legum nostrarum de Fitzherberti tui perfidi hominis cerebro fingis, easque suades de studio persecutionis, quâ admonita licet periculis suis Elizabetha semper abhorruit, & certo vestros opprimendi desiderio profectas esse. Vexatis verò, quantum in te est, Elizabethæ manibus,

nibus, ad Iacobum descendis Britannici Imperij ter maximum Augustum, ortu, maiestate, doctrina, pietate, mansuetudine, iustitia, virtute omni cum toto orbe certantem, quem tu tamen, vilissimum pecus, mendacijs tuis onerare non dubitas, & ex fabulis Romæ factis & fictis, fidei, quam nunquam dedit, violatæ reum postulare. Mentiris agitasse eum cum Romano Pontifice, vel Cardinalibus occulta consilia. Mentiris dedisse eum non dubia propensæ in Catholicos vestros, quod ad religionem attinet, voluntatis suæ argumenta. Mentiris habita ad Catholicos Principes epistolarum eius exempla, quibus spem fecerat fore vt si rerum in Anglia potiretur Catholicorum causæ faueret. Quin tu, carnifex, profer epistolas illas, quas nesciuit Bellarminus tuus, vetus fraudum istarum artifex, omnia in Regem Serenissimum calumniarum argumenta satis auidè conquirens, qui tamen nullas habuit quas obijceret præter literas fraude surreptas à Balmerinocho, quibus nunquam habita fides à vobis est; quas Balmerinoch ipse suppositititas & dolo ac perfidia sua submissas iampridem confessus est. Quæ verò narras de expectato in Reginæ morte (vestrorum certè operâ futuro) tumultu & concursu Principum extraneorum ad regni occupationem inhiantium, & spe inde habita de constituendo Rege vestro ritu Catholico, & recreatis hac cogitatione vestrorum animis, credo tibi omnia, sciens optimè hùc consilia illorum omnia, hùc vota spectasse, vt perturbatis rebus, immò etiam, si opus foret, euersis, ad fortunas sibi fingendas abuterentur, de iure regni seruando, de hærede legitimo nihil pensi habuisse, nihil ab illis curatum, modò res suæ succedant, susque deque vt irent omnia. Quare quod ais *latissimum illis fuisse nuncium* de Iacobo Rege suscepto, miserè tu ibi & omninò impudentèr gratiam petis, quando notissimum est nihil illis ferè grauius, mentem illorum quod attinet, accidere potuisse. Non ignota nobis illo tempore conuenticula illorum, & murmura, & consultationes, & missiones, & incerta voluntas, nisi quòd primus quisque in illo negotio esse pertimuit, & de succenturiandis sibi repentè copijs haud satis securus fuit. Et fuit aliquis è loco non medioeri qui postquam deliberatio non succederet, paululum iam compositis rebus, deambulauit in procestrio anxius, & se crucians totusque ad tempus in tristitiam & gemitum effusus, actum iam dicens

Ll de

de existimatione sua, degenerem se & ignobilem habitum iri, fefellisse habitam de se opinionem & fidem. Porrò cæterorum ferè omnium (est enim vt aliquos excipiamus) par & vna voluntas fuit, si consilia sua perficiendi commoditas non defuisset. Hùc enim antè, Iesuitis authoribus, adducti sunt vt Iacobum Regem animo detrectarent & refugerent, aliumque sibi præficiendum exoptarent; nempe inculcantibus illis assiduè, prout [b] à Watsono indicatum est, potiùs vitam illis profundendam quàm Regem hæreticum, qualis fuit illis Iacobus, admittendum censerent, & quidem omnes excommunicationis vinculo innodari, quibus Rex alius quàm ritu vestro Catholicus acceptus esset. Quin & Parsonij opera & arte factum est, vt missi in Angliam Sacerdotes iuramento promitterent operam se omnem daturos, vt Infantissæ Hispaniæ ius ad regnum Angliæ promouerent. Hoc enim Alanus & Parsonius proditionum architecti constitutum apud se animo habebant, non conuenire rebus suis vt Iacobus Scotiæ Rex ad regnum Angliæ proueheretur, quippe de quo *plures è gente illa viri docti & graues qui multis annis bono eius procurando sudassent, interpositis conscientijs testimonium Alano dederant, nullam fuisse spem, nullam probabilitatem conuersionis eius ad Papismum*: sic enim Parsonius retulit in Breuiculo quodam, quo descripsit *opinionem & iudicium Cardinalis Alani propè mortem suam de libro successionis*. Ac eo quidem fine liber ille à Parsonio scriptus est, vt perplexatis & distractis hominum de successionis hæreditario iure sententijs, faciliorem sibi aditum ad sceleratas illas quas contra Regem pro Hispanica successione destinauerat, machinationes & exitiosa patriæ suæ consilia præpararet. Atque his proditionum vnguentis delibutos esse curauit suorum animos ante mortem Elizabethæ superaddita sub id tempus Bullæ Pontificiæ cautione, nequi ius regni habere censerentur, [c] *quantumcunque propinquitate sanguinis niterentur, nisi eiusmodi essent qui non modò fidem Catholicam tolerarent, sed etiam eam omni ope ac studio promouerent ac more maiorum id se iureiurando prestituros susciperent*. Quando verò post hæc omnia Iacobus, nemine auso vel hiscere contra, regnum Angliæ adeptus est, rodere illi ferè penitùs linguas suas, & illa propè illis rumpi cœperunt. Sed tamen perpensis rebus, postquam præoccupatas iam spes suas & interclusam seditionis opportunitatem animaduertissent,

b *Autogr. Watson. Aug. 10. 1603.*

c *Ex Garneti confess. Mar. 26. 1606.*

uertissent, liniendas oleo facies suas, & vultus sibi placidiores, spe nouarum adhuc occasionum concepta, sumendos & simulandos arbitrati sunt. Itaque in officio Regis, quando aliter fieri non poterat, assidui esse voluerunt, ire illi in occursum, aduentum gratulari, signa lætitiæ dare, quid non præseferre quod subditos Regi præstare deceret? nec fuere tamen ex ijs qui *tanta rei nuncij ad Regem aduolarunt*; serò illi aduolarunt, & hoc à melioribus viris curatum est. Et ibi tamen addis; *Quos ille peramantèr exceptos ac benè sperare iussos ita dimisit, vt liberam Catholicæ religionis facultatem impetrasse se crederent.* Noli verò *Catholicam religionem* dicere, dic Romanam vestram, illam enim intelligis, & tunc insigne mendacium tuum est. Mentiris, inquam, mentiris; nunquam crediderunt impetrasse se liberam facultatem Romanæ vestræ religionis, nunquam crediderunt; immò nec vnquam datum erat vnde crederent. Immò quis ille vestrorum fuit qui tum ausus sit Regem ea de re postulare; aut si sit ausus, responsum retulit dignum fronte illa & audacia, qua Regi paciscendas quodammodo conditiones initio dare non dubitaret? Quin & frustra se ausuros intellexerunt, qui mentem eius ea de re antè pertentauerant, quibus nulla vnquam ab illo vel scintilla lucis affulsit, qua alere spes suas tam inuisas possent, vel promittere indulgendam sibi illam, quam exoptarunt, spuriæ superstitionis immunitatem. Quanquam negari certè non potest Watsonum & Perceium, qua erant in Regem perfidia, vt apud illum aliquo numero esse viderentur, quibus consilium suum scilicet tam arcanum impertiri dignatus sit, submurmurasse apud suos, ita se Regem affectum reperisse, vt de Romanismo suo siue Papismo tolerando haudquaquam sibi dubitandum intelligerent. Id verò quàm falsò dictum sit, existimari vel inde potest quòd Watsonus vitæ Regis mox ab ingressu insidiatus sit, nunquam certè facturus, si voto suo potiundi spem antè obtinuisset. Quin & idem ipse sub exitum ab illustrissimo Comite Northamptonio, Rege ita iubente, interrogatus, & seriò requisitus, mox iam supremo Iudici sistendus, conscientiam ea de re suam ingenuè profiteri, [c] *Pactus animam suam testatus est, nihil se vnquam à Rege prolicere potuisse, quo spem sibi de optato suo faceret; semper ab illo audisse, nullo se regnorum honore ad deserendam quam imbiberat religionem adduci potuisse*; de huius regni causis & negotijs,

c *Actio in prodit. pag.* 53.

tijs, quorum imperitum se dixit, nihil designaturum, donec explorata sibi omnia & comperta sint. Denique nihil vnquam erat ex quo vel Pontifex vel Cardinalis, vel Iesuita, vel Seminarista, vel Papista quicquam sibi hac in parte de Regia indulgentia, vel fauore adpromitteret. Et tamen ille peramantèr omnes accipere, nihil asperè agere, census ad pœnam indictos intermittere, leges silere iubere, aditum ad se non difficilem dare, communes alijs honores non negare, omnia denique ad mansuetudinis & clementiæ delicias temperare, facturum se ratus benignitate quod duritia & seueritate non posset. Nec certè alia in vestros Regis mens nisi per ipsos extitisset. Hìc enim insolescere illi, & spiritus sibi nouos sumere cœperunt; alere magis magisque seductores Iesuitas & Sacerdotes, augere indies sibi numerum & multitudine superbire; audaciùs se vbique, & apud omnes venditare; petulantèr in magistratus se gerere, & palàm in iudicio irridere, denique lenitate Principis ita ad iniuriam ipsius abuti, vt essent Regi à consilijs qui admonendum censerent maturè vt periculo suo occurreret; haud satis sibi cauere qui partē sinat in ditione sua crescere hosti externo ad imperata obsequentem. Alioqui quod ad calumnias attinet, quibus alienatum à vobis artificio Regis animum existimari vis, stultè omnes abs te confictæ sunt, & nec tam paucæ mentis Rex vnquam fuit, vt fraudes istiusmodi, siquæ fuissent, non animaduertisset, nec defuerunt vnquam qui minuerent periculum magis quàm amplificarent, qui sedulò calumnias omnes absque re natas propulsare voluissent. Quòd verò coniurationum inuidiam ad vestros deriuatam queruláris, nihil hìc secus factum quàm oportuit; & tu vt illam auertas, nonnisi aperto mendacio agis qui in Rauleana coniuratione neminem fuisse ais qui non Ecclesiæ vestræ infensissimus fuit, quando illa quoque ab homine nunquam vobis infenso pro reducenda superstitione vestra suscepta est. Watsoni verò & Clarki proditio, spero, ad vos pertinuit, vbi risu dignum est quod de *ingenti vestrorum dolore, & re illorum indicio patefacta* narras, quando constat tempore illo deliberatum serio à tuis esse, expediret necnè cum illis se coniungere, visum verò non conuenire rationibus vestris, eoque rem astutè ab Archipresbytero, homine vestro, detectam, partim vindictæ studio in Watsonium & Seculares, partim quòd incœptum illud designa-

tionibus

tionibus vestris multo tetrioribus impedimento futura esset. Nec minùs ridiculum quod de motu Herefordiano memoras, quem ais *Londinensium Sacerdotum opera quieuisse*, qui certè nisi maturè à nostris præoccupatus, quantum quidem existimari poterat, in apertam rebellionem exijsset. Nimiùm tu verò in tuos officiosus es, qui quod semper abhorrent, id eis per laudem attribuis, vt motibus & seditionibus, quas sibi semper compendio esse non dubitant, impedimento sint. Cæterùm in re illa Herefordiana tu astutè Lectorem fallis qui funebrem tantummodo motum illum leuiorem commemoras, alterum verò grauiorem, qui spirauit planè rebellionem, tacitus prætermittis. Quanquam & illum quoque ita mutilum refers, vt te non rem ipsam dicere sed tuorum seditiosos mores occultare velle manifestum sit. Nam quod ais Ministrum fœminę demortuę corpus in cœmiterium ad sepulturam inferri vetuisse, falsum omninò est, neque quicquam ab illo dictum vel factum est, quo prohibendam ei sepulturam significaret. Excogitata hæc ab illis in prætextum fabula, nec negata sepultura, sed insolentiæ suæ iactandæ cupiditas & tumultuantium animorum pruritus & titillatio istius turbæ occasio fuit. Mortua namque muliere nihil curæ illis de ordinata sepultura; sed altero die primo manè conueniunt ad quadraginta, è quibus armati plures vt suo more contra leges funus efferant. Minister præeuntis tintinnabuli pulsu excitatus, festinus ad illos occurrit & conuentionis tumultuariæ causam sciscitatur. Respondent illi, venire se vt mortuos suos sepeliant. Pergunt illi & propter quod veniunt, hoc agunt, neque quicquam ibi tum amplius negotij fuit. Postero die Minister Episcopum adit Herefordiæ tum ad duo milliaria distantis versantem, & negotium ei totum renunciat. Ille dato ad Præfectum centuriæ præcepto mandat vt comprehensi ex tumultuosis aliqui sibi sistantur. Data ergo opera vt Iacobus quidam Couleus textor, qui proximè occurrerat, caperetur. Resistit ille, & vt se vindicet, homo Catacatholica patientia, inferiorem quendam ex Præfectis pro pace Regia, quos Constabiliarios dicimus, cultello suo vulnerat, eoque pacto prorsus aufugit. Comprehensus tamen alter, Leonardus Martius, cui, dum Herefordiam deducitur, vindicem se dat à suis hominibus adiutus Guilielmus Morganus, & è deducentium manibus eripit illum. Qua de re certiores facti ab Episcopo Iu-

stiarij pacis Morganum capiunt, qui Londinum missus, in carcerem coniectus, & non multò pòst libertati restitutus est. Ita habes veram perturbationis illius historiam, in qua non paululū elucet vestrorum ingenia quàm ad seditionē incitata sint; quam tu mendacijs more tuo perspersam ponis, vt tegas falsitate quod perspectum veris coloribus turpitudine sua odiosum est. Sed erat inde alter adhuc motus periculosior ad vicum *Darren* in eodem Herefordiensi comitatu, quò instigantibus Sacerdotibus quibusdam vestris turba vestrorum magis numerosa confluxit; quò armati concurrere cœperant & apertam minitari perduellionem graueque aliquod malum parturire visi sunt, altero tum è Winteris *deuouente & diris mancipia, quibus tam præceps furor vt animi sui ante tempus indicia darent*. Quo tempore missus vir quidam illustris è prima nobilitate qui collectis, si opus esset, copijs seditiosos furores tempestiuè comprimeret, & nascentis incendij tam graue periculum propulsaret. Sed operam illius cura Deputati Præsidis cæterorumque ad pacem Præfectorum anteuertit, igne quamprimùm extincto, & turbâ tumultuaria, tantò faciliùs quòd *bellua multorum capitum* duce nullo vteretur, imminentis periculi metu profligata. Quare frustra tu hìc tuorum officium præfers, & stulto figmento Sacerdotum vestrorum opera sedatā seditionem narras, quam constat illorum opera concitatam, mota tum inter eos priuatim ea de re quæstione, & decernentibus ita multis quòd vestra alioqui consilia ignorarent licitam hanc & commodam procurandæ religionis viam esse. Quorum furoribus compescendis missæ quoque tum, opinor, Archipresbyteri literæ, sed tantùm eo fine vt postea patebit, quod & Winteri execratio manifestum facit, ne intempestiua seditio puluereo negotio impedimento esset. Cæterùm quod ais *submissos clam à nostris qui motus illos fouerent*, constat te in eo scelerate mendacem esse, neque probabile quidem est quenquam ignem ædibus suis admouere velle, qui postquam in flammam eruperit, nescit quanta cum difficultate restinguendus sit. An verò tam facilè quisquam in eam se causam committere putetur, qua læsæ maiestatis accersendus & capite plectendus sit? Apage, insane, tu cum commentis istis tuis tam ab omni fide alienis, & agnosce quod res est, efferatos euadere vestrorum animos & ad rebellionem, vbi commodè fieri poterit, comparatos, nec conscientia & religione officij

sed

ſed tantummodò metu & terrore à tumultu & ſeditione contineri. Quod etſi Rex ſereniſſimus edoctus experientia ſua plus ſatis animaduerteret, difficilè tamen à naturæ ſuæ ſuauitate recedens, ita tulit vt paſſim ſubditi fideles & quicunque in Regem & remp. mediocri voluntate eſſent, proditorum hominum petulantiæ plus æquo datum, ſibi, ſuis, religioni, reip. haud ſatis ab illo conſultum communi voce quererentur. Et quanquam erant Regi à ſecretioribus conſilijs qui rerum vicem grauiſſimè dolerent, & quanto cum diſcrimine patientia illa coniuncta eſſet, haud ſibi tacendum arbitrati ſint, ita tamen periculi ſignificatio nihil valuit, vt vſu ferè omnes paulatim ad indolentiam perducti ſint. Reſancitæ interim Parliamento leges Elizabethæ, ſed ita quaſi quæ in ſpeciem extarent & tanquam gladius in vagina reconditus, quippe quòd executio legum in cauſis capitalibus interdicta, mulctæ verò preciolo ſtipendiario ita tranſactæ vt planè irritæ factæ ſint, & diplomata potius exercendæ ſuperſtitionis quàm coercendæ remedia viderentur. Quare quæ de concione in Camerâ Stellata & altera ad ædem diui Pauli habita & de admonitione ad Iudices aduerſum Catacatholicos tuos data commemoras, ocioſè illa à te afferuntur quia dicta illa, fruſtra quidem, ſed dicta, inſoleſcentibus veſtris, tantummodò ad terrorem, in quos interim ferè nihil agi permiſſum eſt. Eodem modo edictũ eſt Proclamatione Regia ſemel, iterum, tertiò, Ieſuitæ vt omnes & initiati authoritate Pontificia Sacerdotes de regno diſcedant; alioqui lege in ſe agendum expectent; at quis paruit? & cui tamen illorum ea de cauſa vel digitus ferè læſus eſt? De Canonibus verò quod narras Epiſcoporũ opera & conſilio promulgatis, planè ridiculum habendum eſt, quia comparati illi maximè in Puritanos noſtros, in veſtros vix quicquam aliquando, non aliquid certè, quod ſcio, illorum authoritate tentatũ eſt. Ac *rumores* quidem illi quos *ex prouincijs allatos meminiſti nuncios crudelitatis in veſtros*, nonniſi rumores & mera figmenta ſunt, vt planè mirum eſſe debeat ita vos pudore omni & conſcientia deſtitutos, vt in tam recenti rerum memoria & manente ferè adhuc ſub oculis luce non verecundemini dare in orbem tam inſignia mendacia eaque pro veris obtrudere quæ apertè conſtat ſcelere veſtro & impiæ fraudis artificio eſſe contexta. Eius farinæ eſt quod exempli cauſa ſubijcis, audito apud vos duos Catacatholicos in prouincia,

uincia quadam sine vlla iusta causa morte mulctatos, virum quendam è vestris nobilem hoc apud Regem, dato supplici libello, questum, ob eam rem ignominiæ causa in pluribus vrbibus in publico populi conuentu stetisse, inserto in asserem capite, hancque ignominiam per integrum diem Londini in summo frigore pertulisse. Quod improbum esse mendacium vel eo Lector intelligat, quòd neque nominatur à te vir ille nobilis, neque duo illi morte mulctati, neque de qua prouincia fuerint indicatur. Certè non ita nihil tribuere soles memoriæ tuorum vt per te nomina sepeliantur, & non magis, quantum opera tua fieri potest, cum omni honore celebrentur. Nihil verò mirum quòd spectra ista vestra Confessorum & Martyrum, quia nomina non habent (neque enim habent) sine honore abeant, creentque infamiam vobis quæ de tam nulla rerum veritate & prorsus de mentiendi vanitate per singularem impudentiam profecta sunt. Quare in illa, quam ponis, tragædiæ vestræ descriptione es tu certè *apertus & non nebulosus nebulo* qui tenebras supremo meridie fingis, & mœrorem ac consternationem lugubrem narras vbi procacitas & insolentia non ferenda & audacissima totius disciplinæ contemptio palàm perspecta est. *Ingens offerebatur*, inquis, *atque ineuitabilis miseriarum moles*. At ô te sceleratum caput, de quo portenta ista fictarum miseriarum tam sponte nascuntur; & ô ingratum genus vestrum quos nulla Principum mansuetudo cicurare, nulla lenire benignitas, quorum ita nihil domare ferociam potest vt non clamoribus & querelis & calumnijs impleant omnia, nisi omnia illis pro impia libidine permissa sint. Siquid vsquam inter leges remissum & clemens, siqua vsquam in rebus patientia, siqua indulgentiæ cum iniuria sua & periculo coniuncta facilitas, tibi Rex serenissime, laus illa, vide tamen quatenus laudanda, debetur. Certè quidem dum mœrores istos & consternationes & crudelitates hi homines tam importunè per mendacium vociferantur & apud exteras gentes declamitant, hoc illis agitur vt intermissa legum disciplinâ, & laxatis sibi frænis rem quantũ possint paulatim eò deducant, vt iura tibi dare queant, non à te accipere, sibique figere capita conditionum quæ à te non petere sed extorquere præsumant. Vtinam, Rex inclytissime, animaduertas & satis tibi, satis periculo tuo metuas, nec illis sibi fræna vsurpare permittas, quibus tanta

te

te refrænandi voluntas est. Cæterùm vt ad te reuertar, Andrea, qui duritiem illam & seueritatem puluerariæ coniurationis initium & occasionem facis, dic quæso per illam coniuratos vestros quid malè habuit? quid incubuit oneris, quid grauaminis quod externa illa consilia sequi compelleret? quod stomachandi, quod expostulandi causam daret? quid vnquam dictum ab illis quo se quererentur non pari cum reliquis ciuibus iure vixisse? qui nempe in Vrbe, qui in Aula Regia læti & alacres volitarunt; quibus rebus suis vti frui nunquam negatum; quibus proficiscendi, transfretandi, commeandi, remeandi, militandi, transigendi, litigandi, quibus conueniendi, consultandi, conuiuandi, venationes & ludos exercendi, & quid non faciendi facultas fuit? Quis hìc ergò furor, quæ furiæ, quis dæmon ita transuersos egit animos, vt per quem & apud quos benè illis omnia steterunt, in eosdem flammas illas infernales immittendas curarent? Quæ verò eorum conditio, eadem quoque reliquorum fuit, aut si fuisse neges, dic qua ratione factum vt illos superstitione vestra, vt qui plurimùm, effascinatos communis illa quam dicis calamitas non inuolueret? Sed fuere tum res vestræ paritèr omnium plus satis fœlices, & plus æquo indultum moribus vestris, qui vt Cancrorum vlcera remedijs, ita beneficijs, nisi libera detur superstitionis insania, exasperari soletis. Quare otiosa declamatio tua, & huic causæ non accommoda qua Dominos mones, lepidus Rhetor, de non armandis in se suorum odijs; potiùs in eo stylus versari debuit, vt moneres quàm minimè fides habenda illis sit quos Iesuitica perfidia semel imbuit; quàm nullo vnquam beneficiorum vsu mansuescant, quàm nihil apud illos tutum sit, nisi ad Iesuitarum voluntatem eant omnia; proinde interesse plurimùm ad reip. salutem, vt lues ista tam pestifera, seueritate omni & disciplina coerceatur, nec illis impunè esse sinatur per quos immunis à periculo nemo bonus est; qui eousque tantùm consilia sua differunt donec, crescente paulatim numero, viribus & potestate superiores sunt. Certè Iacobus omnium qui vnquam erant potentissimus Britanniæ Rex, postquam illos humanitèr & benignè tractasset, nec suspicio erat, si officiosè agerent, vnquam aliter fuisse facturum, suffulminatus tamen ab illis puluere tormentario vnà cum suis & Optimatibus, & totius regni flore miserrimè perijsset, nisi qua manu Elizabetham, qua illum toties è tan-

tis periculis tam inexpectatò eripuisset, eadem illum Deus pro singulari bonitate sua, conseruandæ causa religionis, ab hac iterum internecione vindicasset. Vbi tu, *Atrox*, inquis, *& inhumanum facinus, sed quod miseris hostium importunitas extorsisset.* At tu, miser, cui nunquam deest sceleri parare operculum, dic in ordine seculorum omnium, vbi fuerint pij homines, vbi vixerint quibus hostium non ficta illa, quam narras, sed vera importunitas tam atrocis & inhumani facinoris excusationem tulit? Vsquamnè verò gentium audita est vox ista tua de Christianis; *Atrox & inhumanum facinus, sed quod miseris hostium importunitas extorsit.* Includebantur miseri, cædebantur, strangulabantur, ignibus, equuleis, craticulis, vngulis torquebantur, omni genere molestiarum, iniuriarum, cruciatuum sine modo, sine fine assiduè vexabantur, nec vnquam tamen illis libido insana immanitatis & sæuitiæ sceleratas hasce vindicias expressit. Sed pro religione vestra, patientia vestra, digna vtraque quam orbis Christianus exterminandam putet, ne tantæ sceleris atrocitati via dehinc patere possit. Cæterum quòd proditores dicis singulos fidem iureiurando obstrinxisse se consilium *ne confessarijs quidem patefacturos*, in eo mendacium dicis, quia manifestum est exceptionem illam in [d] iuramenti formula minimè repertam esse, & [e] Batesius pòst ab hero suo Catesbeio in coniurationem ascitus, missus ad Grenwellum ilicò communicandus ab illo, & quod dubitari non potest, quia factum est, ad diri facinoris incœptum confirmandus. Ridiculum verò est quod subiungis, *Quos quamuis alioqui venerarentur, abhorrere tamen ab his consilijs experimento didicissent.* Apage verò, stulte; quibus tu tandem ista scribis? Ecquis tibi credat Iesuitas à proditionum consilijs abhorrere, quando tu tibi non credis? Miror verò an subriseris sinu tuo spe aliqua futurum, vt liber tuus in homines excordes & amentes incideret, qui cùm exardere orbem videant furijs & incendijs vestris, tibi tamen fidem attribuant, Iesuitas, pium scilicet pecus & innocua simplicitate, à seditiosis machinationibus & consilijs omninò immunes & alienos esse. *Catholicorum*, inquis, *nonnulli ad retardandos eo metu ab iniuria hæreticos* (nos intelligis, calumniam interim stultitiæ tuæ condonamus) *nitendum summa ope existimarunt, ne nisi concessa Catholicis libertate conscientiæ res cum Hispano componerentur.* Religiosè verò factum & antiqua fide; sic

d *Act. pag.* 34.
e *Act. pag.* 26. 34.

ſic veteres Chriſtiani, vt pacem publicam impedirent, niſi rebus ſuis pro arbitrio ſuo conſultum eſſet. Certè non defuit ibi vltima veſtrorum opera, nequid Hiſpanus abſque licentia veſtra de pace tranſigeret, quæ tantum præualuit, vt interpoſitam ab illo importunitate veſtra conditionem illam meminerimus; quando ille tamen conſultior, vt par erat, ſibi quàm vobis, haud incommodandum pro commoditate veſtra rationibus ſuis ſatis prudenter arbitratus eſt. Quod autem *metum noſtrum* ibi fingis, vertiginis tuæ ſpectrum eſt: ſcit optimè Hiſpanus nihil à nobis metu extorqueri potuiſſe. Quare ridiculum eſt quod addis, *Fuiſſe qui armis etiam, ſic aliter non poſſent, extorturi libertatem illam viderentur.* Inſulſum animal, quid tu nobis ſiue inſomnia iſta tua, ſiue veſtrorum apud vos ventoſos crepitus iſtos & otioſas iactationes mittis? Deo verò gratias, quòd tam longè ab eo abſint vt extorturi videantur; quod ſi poſſint, ſi eo loco eſſent vt experiri auderent, ſatis compertum nobis quàm citò, quàm animoſè, quanto vindictæ ſtudio & ardore facturi ſint. Quare quòd illos à Ieſuitis retentos videri vis, *qui alienum cenſebant à præconibus Euangelij fouendis bellis ſeditionibuſq; concitandis religionem tueri*, fruſtra tu tuis hoc officium facis, quibus nihilo maiorem gratiam mendacio tuo tam manifeſto adepturus ſis. Neque verò literis Garneti tui quicquam proficis, quia notæ nobis artes & ſtratagemata veſtra, quibus finguntur interdum literæ quæ fuerunt nullæ, interdum mittuntur quas interceptas cupiatis, quæ pacis ſtudium præferant, quando in animo nonniſi perfidia & dolus eſt. Et certè nonniſi aſtutè ſcriptum eſt à Garneto, *Edicat ſummus Pontifex pro imperio nequis Catholicorum commouere ſe audeat*, quia notum illi, notum vobis, deteriùs inferueſcere vlcera quæ immaturè ſecta ſunt, & qui ferrum nondum ignitum malleo præoccupat tela ſibi commoda formare non poſſe. Hæc vna vobis cura ne ante tempus molitio vlla; ne nondum freta viribus ſuis oppreſſa perfidia maiori vobis damno ſit. Eſt autem aliquid in illis Garneti literis, vel potiùs *in ſecretioribus*, quas appellas *notis*, quod ad commonefactionem noſtram plurimùm faciat, *Si negotium tolerationis minùs ſucceſſerit*, inquit, *id verò Catholici non videntur laturi. Quid igitur agendum? nam Ieſuitæ quidem eos in officio continere non poterunt. Edicat ſummus Pontifex pro imperio nequis Catholicorum commouere ſe audeat.* Vide verò an ego ve-

stros rectè antè depinxerim, effrænato ad rebellionem ingenio, & semper ad turbas & seditiones incitato. Egregiè verò à vobis officium in Principes & patientiam edocti, quos Garnetus tuus agnoscit à vobis ipsis absque imperio summi Pontificis à tumultu & seditione contineri non posse. Confirmatum ergò iam nobis Garneto authore, laxante frænos Pontifice, Iesuitis annuentibus, futurum mox vt vltrò in arma procurrant, cædeque ac sanguine permiscenda curent omnia; meditari interim furores suos & nonnisi tempus opportunum expectare. Alteras verò illas literas, siue scriptas à Garneto, siue à vobis confictas, mendacissimas esse constat, totasque ex dolo & fraude confectas, quia falsissimum est, & nonnisi superbæ vanitatis ostentatio stultissima, pacem illorum opera esse sancitam, vel laudatos illos eo nomine à primario regni viro, vel compertum vnquam Watsonianam coniurationem ab illis alia mente impeditam quàm vt peioribus consilijs suis viam munirent commodiorem. Ac in illa quidem Watsoniana coniuratione quo in illum Iesuitæ animo essent, optimè intellectum Regi est, qui quos antè offenderat in iure regni aduersarios proditores, & iam tum agnouit sibi reique publicæ grandem aliquam calamitatem parturientes, nunquam certè illis non infensus ipse esse potuit, nec verò vnquam à Consiliarijs Regis alij quàm hostes Regis & regni existimati sunt. Quare apagete fraudes istas & mendacia vestra, quorum si Garnetus vobis author, fuit ille hic, vt alibi, sui similis, nusquam impostura vacuus, vbique ingenium ad veteratorias artes accommodans, vt haud mirum sit fuisse illum apud Iesuitas loco principali, qui tam verè, tam intimè, tam exquisitè, Iesuita fuit. Quòd autem tu illum à nostris laudatum introducis, intellige nihil illi laudis attribui, quod non Catilinis & Cethegis, & hominibus sceleratissimis conuenire possit. Ac tu quidem interdum callidè quædam prætermittis, quæ ibi addita laudes illas prorsus euertunt; interdum homini pessimo Interpres nimium fauet, & vertendo auget nonnihil ea quæ Anglicè multò mediocriùs dicta sunt.

...pag.59. Ioannes Crooke Eques Auratus Garnetum ait, *à Deo & meliore natura dotibus ornatum multis*. Hoc tu auidè rapis; at siste parum, & simul accipe, quæso, quæ coniuncta sunt. *Est quidem ille vtcunque multorum nominum, nequaquam boni nominis, à Deo & meliore natura dotibus ornatus multis, modo diuina gratia accessisset,*

fisset, quæ deficiente, quantò cætera ornatior, tantò nequior. Porrò quod Comes Northamptoniensis vir honoratissimus dixerat, *Dotes tuæ naturâ simpliciter consideratæ & in aliena persona, miserecordiam potius commouerent quàm humanitatem exasperarent; quem enim non afficeret eiusmodi hominis ruina, quem & specie temperantem, & intelligentia maturum videre est?* hoc interpres ampliat plus satis; *Illæ dotes tuæ præstantiores si in naturâ seorsim sua expenderentur, miserecordiam potiùs commouerent quàm humanitatem exacerbarent. Quotum enim quemque non ad placabilem quandam animi facilitatem redderet propensum tanti viri interitus, si vultum intuecamini & gestum summa cum moderatione & solido iudicio?* Quin & in altera sententia plus satis complacitum tibi est, vbi vir idem inclytissimus postquam commemorasset Garnetum Wrighto internuncio & adiutore Winteri mortuis ferè consilijs de expeditione Hispanica procuranda denuò animam indidisse; nullum non mouisse lapidem, quo reip. nostræ pacem læderet, capitulum eius ansas omnes arripuisse, manum per omnes regiones obambulasse; spiritum molitiones omnes & machinationes agitasse; subiungit in hunc modum; *Et tamen si protestationes æquiuocationibus temperatæ atque munitæ momentum habere possint, hoc toto tempore fuit animus vester qualis bonorum pastorum esse debuit, ad patientiam formatus, cogitationes obsequio plenæ, innoxia consilia.* Quæ verba multùm miror per interpretem in illam quam tu citas sententiam exire potuisse, quando nihil ibi dictum quod non reliquis commune cum Garneto sit, & illa tamen certè omnia simulata magis quàm vera fuisse confirmat. Porrò & altero loco dictum refers *virum grauissimum & literatissimum*, quod paginâ à te notatâ non reperio, nec aliud quam quòd per ironiam *Magister in Israel & Rector Chori* nominatur, non vt qualis reipsa ille, sed qualis vobis sit habitus indicetur. Theologum satis mediocrem fuisse constat qui oblato certamine haud graui, pugnam omninò detrectauit, professus non studio se Theologiæ sed tantùmodo iurisdictioni operam dare quomodo Archiepiscopus vester, inquit. Superbus furcifer, qui sibi in vsurpatione illa proditoria, vitaque erratica & tenebricosa cum Archiepiscopo nostro conferendus visus est. Cæterum exile est satis nec dignum memoria tua quod à nostris pro Garneto tuo dicitur, & tale quod illum

improbum & infamem fuisse nihil impediat; tu vide ne hominem perditum laudando iustissimam tibi eiusdem infamiæ maculam feras. Tu, credo, non ignoras fuisse cur se ad Patres de ebrietate purgare satageret; quod tamen quî potuit, qui ex inueterata consuetudine nocte altera antequam moriendum illi fuit, immani & fœdo spectaculo ad brutum ferè stuporẽ ebrius fuit. Quàm sanctè cœlibatum coluerit, Anna illa, tibi non inaudita, testis est, quam nempe *sororem mulierem circunduxit*, quæ dies simul noctesque in procinctu ad obsequium esset; quæ literis ad illum scriptis subscribit, [f] *Amantissima tui soror A. G.* ad quam ille; [g] *Si potestatem haberem, quam habuerunt aliquando quidam serui Dei, euocandi amicos meos, equidem te euocarem postquam hac misera vita dissolutus sum*; ad quem illa; [h] *Spes mea est te me perpetuò curaturum, & illi commendaturum qui propter te mihi adiumento futurus est: Absque te viuere non vita mihi sed mors est: Video iam quantam patiar iacturam; tua sum & ero in perpetuum; & vt talem me habeas, humillimè precor: O si te videre possem; Tua & non mea A. G.* cum qua concubuisse illum in ædibus Abingtoni, Robertus Winterus palàm & constanter testatus est. O columbas, ô turtures, ô sanctum par. Vide interim qui vir Martyr tuus, quem tantopere dilaudas, quem *talem ac tantum virum* prædicas; quem pertædebit te, spero, tam in sublime sustulisse, postquam illum ex ebrioso & scortatore non mẽdacem solùm & periurè perfidum, sed proditorem quoque impium & patriæ suæ perduellem indicijs atque argumentis indubitatis conuictum dederîmus. Quam tu infamiam vt depellas, ipsum illum imitaris, & *fabulam*, vt postea loquentem audies, *formalem fingis*, & verè te nebulonem egregium ostendis qui istas in sereno nebulas facis. Rideo verò vbi te lego repetentem Garneti *solicitudines, & infirmationes & obseruationes & suspiciosos metus* & versatas animo ingentes curas, dum præuertere seditiosos motus, omnemque à rep. vim excludere meditatur. Hoc lepido sale visum tibi est condire mendacia quæ sequuntur & tanquam præmunire reliquam texturam araneosæ telæ tuæ. Sed vt perfidia tua cernatur clariùs, intelligendum est consilium illud de displodendis puluere tormentario Comitiorum ædibus, tempore ipso Elizabethæ Reginæ agitatum clam esse; id quod interlocutio Garneti cum Hallo confirmat, qua Garnetus habitam tum

[f] Autogr. ad patres & fratres. April. 13. 1606. in ram. Palmar.

[g] Autogr. ad Ann. Vaux Apr. 3. 1606.

[h] Autogr. Annæ Vaux ad Garnet. Feb. 25.

à Catesbeio ea de re quæstionem Hallo confessus est. Sed tamen rem initio à Iesuitis, nominatim verò à Garneto profectam, duo sunt quæ me planè securum faciunt. Extant enim alicubi (vtinam mihi hoc tempore non per infortunium desideratæ) Catesbeij literæ scriptæ ad *spiritualem patrem suum* (quem verò illum intelligas nisi Garnetum?) quibus gratias illi agit de tanto sibi commisso arcano, & immortali officio se ei deuinctum profitetur quòd tantam ipsi fidem haberet; nec vllo modo tantæ de se existimationi vicem accommodam posse reddere; denique rem se promittit, etiam cum extremo fortunarum omnium vitæque suæ periculo effectui daturum. Porrò quo tempore Watsonus cum Clarko alijsque coniuratus vim Regi meditatus est, Gerardo cæterisque Iesuitis communicatio intercessit (itanè vt ignorante Garneto?) foretnè è re sua operas cum illis & consilia miscere. Quod cùm minimè probaretur, quia gloriam rerum gestarum Iesuitæ Secularibus communicatam nullo modo patiuntur, & porrò indignè ferunt incœptis suis & destinatis quocunque aliorum prætextu remoram dari, clam detectæ ab Archipresbytero Iesuitarum mancipio & quidem odio Presbyterorum, insidiæ illæ, & comprehensus inde Watsonus, qui ad mortem vsque constantèr asseruit, designationem illam quæ tunc Archipresbytero & Iesuitis in consilio fuit, tantæ violentiæ tantique periculi visam esse, vt ipse cum suis ad facinus tam atrox & immane præoccupandum aliam sibi rationem ineundam arbitrati sint. Taceo hìc aliquid, bone Lector, de quo fortasse curiosiùs inquiras, sed intellige reip. sua quædam esse arcana quæ euulgare nefas sit, quæ tuâ scire nihil interest, vbi alioqui de summa rei compertum est. Quod in illis quoque quæ sequuntur interdum accidit, vbi ne te pigeat esse aliquid, interdum quidem pro parcendis nominibus, quod ignorandum putes; de Garneto ac Iesuitis res ita manifesta fiet vt locus dubitandi nullus relictus sit. Postquam verò statum Iesuitis esset, tetrum illud & immane consilium executioni mandare, selectusque esset Garneto intimus sibi Catesbeius quo tam commodo vteretur infandi sceleris instrumento, huius animum subijsse videtur religio quædam de dandis internecioni in promiscua illa cæde insontibus multis, siue insana illorum opinione Catholicis, siue qui animo ab illis essent haud multùm alieno. Ea causa Garnetum adijt qui scrupulum hunc eximeret; nisi

forte

fortè quod suspicor, color hîc tantùm & velamentum fuit, nec sua iam causa qui Garneti mentem priùs intellexerat, sed ad securitatem alijs faciendam qui erant in partem facinoris aduocandi, quæstio illa de insentibus instituta est. Video certè hac in re vacillasse Garnetum, qui cùm initio dixisset solum ad se consulendi causa venisse Catesbeium, pòst agnoscit Grenwellum simul adfuisse, sed [i] communicationem tamen non inaudisse; tandem verò ingenuè fatetur non adfuisse modò, sed [k] eo fine venisse cũ Catesbeio vt ambo illa de re consilium captarent. Ac bis quidem consultatio illa habita: Primò in area suburbica ambulatoria cui nomen **Moorefields**, & illa quidem [l] mense Ianuario Regis anno primo, quo tempore *subijsse sibi* in animum ipse manu sua testatus est *grande illos malum aliquod & perniciosum sinu suo fouere*. Iterum quoque in [m] priuatis ædibus quas habebat Londini in platea quæ de *Thamesi* nomen habet, quo tempore Grenwellus vnà adfuit. Hæc omnia Garnetus, si ad fidiculas ventum fuisset, magis explicatè tradidisset, sed dum tomento immunis esse iubetur, certum habet pertinacissimè negare omnia, & *formalibus fabulis*, mendacijs, periurijs impudentissimè occultare; nusquam vt veritati aduersùm se concedendum putaret, nusquam vt fateri quicquam adduci posset, quod non clarissimis alioqui indicijs comprobatum esset. [n] Interrogatus de literis ad Grenwellũ missis, negat strenuè. Requiritur in verbo Sacerdotis vt fateatur quod res est; persistit in negatione. Literæ interim Dominis Delegatis in manibus habentur. [o] Altero pòst die huius perfidiæ postulatus, *nihil à se factum respondet quod iure facere non posset; & perperàm factũ à DD. Delegatis quòd de literis quas penes se habebant interrogassent, quippe quas, siquidem ostendissent, inficiari noluisset; quòd verò existimasset apud ipsos nõ esse, ideo abnegasse.* Iterum [p] de colloquio cum Hallo interrogatus, perinde negat, & quidem diris in se aduocatis siquod intercessisset. Admonitus rem ab Hallo proditam, pergit tamen, &, si ille falsò, inquit, accusare se velit, faciat; ego certè non faciam. Vbi aperta res facta, veniam ab honoratissimis Dominis implorat & peccatum à se agnoscit nisi æquiuocationis prætextu saluus sit. Porrò de Breuibus Pontificis quæstione habita quibus cautum fuerat ne Rex quisquam admitteretur, qui Papisticæ religioni non adhæreret, quorum authoritate fretus Catesbeius nihil se illicitum in Regem

i *Garnet. confess. Apr. 4.*

k *Confess. Garnet. Apr. 6.*

l *Actio. in prodit. orat. Comit Northãpt. pag. 120.*

m *Garnet. Autogr. liter. ad Grenwell. Apr. 4.*

n *Garnet. confess. Apr. 25.*

o *Garnet. confess. Apr. 27.*

p *Action. pag. 107. & Liter. Garnet. Dilectiss. patribus ac fratribus Apr. 13. in Ram. Palmar.*

Regem scelere tam inaudito tentare præsumpsit, respondet [q] *coniecta à se in ignem quamprimùm Rex Iacobus publico præconio denunciatus est*, qui postea tamen *adiuratus in verbo Sacerdotis* minùm est quàm incertè respondeat, [r] *quantum meminit sua manu Ayrithæ vel Caughtonæ combusta esse*. De Bainhamo misso, & à se commendato ait, [s] *non aliter commendatum nisi ad militiæ præfecturam, nec innotuisse sibi illum longiùs iturum*. Et tamen hìc quoque apertè conuictus de mendacio, pòst agnoscit Romam illum consultò missum, [t] *vt Papam generalitèr informaret*, vel certè te teste qui [u] literas eius in commentarios refers, vt Pontificem consuleret quid Catacatholicis suis agendum censeret. Iterum quoque postquam à Greenwello quem elapsum existimauerat, se dixisset coniurationis conscientiam accepisse, nunciatum ei est ex composito, comprehensum illum & in custodia detentum. Inde se excusat ad Patres & fratres: [x] *Coactus sum Greenwellum quoque appellare, quod tamē minimè fecissem nisi quòd pro certo indicatum mihi ab amico est, illum trans mare incolumem euasisse: nisi ita credidissem, colligere me oportuisset sensus meos ad aliam* FORMALEM FABVLAM *fingendam*; id verò quid, nisi ad mendacium aliud excogitandum? ita vbique veterator & falsus, vt haud iniuria cum [y] *patre* ipso *mendaciorum* confœderatus existimandus sit. Ac tu quidem hæres illi facultatis mentiendi, *formales fabulas* pro illo quamplurimas narras, meritò exosus orbi Christiano futurus, qui ingeniolum illud tuum tam pessimè accommodas, & perfidorum hominum patrocinio non sine noua perfidia mancipatum facis. Certè tota hìc historia tua mero figmento contexta est; mendacissimè posita sunt à te omnia, neque quicquam dicis quod cum rei gestæ veritate coniunctum sit. Quod vt manifestè liqueat, sciantque omnes qui tu homo sis, quàm ad omnem mentiendi audaciam profligatissimus, initium totius negotij paulò nobis diligentiùs aperiendum est. Sciendum ergo est (quod [z] Fauksius sibi ab Oweno in Belgio dictum refert) consilium illud de sufflando Comitio Elizabethæ Reginæ tempore à Thoma Morgano nequissimo altero proditore consultum esse. Atq; ita quidem iam tum ea de re agitatum est, vt ad Catesbeij notitiam consultatio perueniret, à quo se Garnetus per colloquium cum Hallo interrogatum illo tempore confessus est (quod [a] ipse contra se à Corycæis illis duobus iuratum testatur, & por-

[q] *Actio. in Prodit. pag. 77.*

[r] *Garnet confess. Apr. 25.*

[s] *Hall. Relat. interlocut. cum Garn. Mar. 25*

[t] *Autogr. lit. ad Patres & fratr. Apr. 13.*

[u] *Pag. 253. 254.*

[x] *Lit. ad Patr. & frat. in Ram Palmar. Apr. 13.*

[y] *Ioan. 8. 44.*

[z] *Autog. Fauk. Ian. 20. 1605.*

[a] *Autogr. Garnet. Apr. 13. in Ram. Palmar. 1606. Dilectiss in Christ. Patrib. ac fratrib*

rò literis ad Sayerum aurantiarum succo scriptis refert à duobus popularibus suis recognitum & confessum, [b] *tantundem ipsis à Catesbeio dictum esse*) possétne per pietatem & salua conscientia fieri quod ita designatum est? Postquam verò Elizabetha fato suo functa, & suo Iacobus regni iure potitus est, hoc illis etiamnum in animo hæsisse Watsoni indicio satis compertum est, qui etsi rem ipsam acu attingere non potuit, tamen hoc subodoratus est, quod quidem admonuit, & in eo ad mortem vsque perstitit, [c] *Machinari tum Iesuitas grande aliquid quo Regem simul Regiamq́ prolem tollerent*: & fuisse Gerardum quendam, nisi errem in nomine, illum quidem è factione Iesuitarum, qui Cobhamo res suas ægrè ferenti in conuentu quodam in aurem immurmuraret; [d] *Patienter vt se gereret, futurum enim breui vt Catholici ius sibi faciant, & iniuriarum suarum damna resarciant*. Et ille quidem eo fine coniurationem suam à se initam professus est, vt præoccupato, quantum putauit, Iesuitarum tam diro consilio, truculentam illam à rep. cladem auerteret, quam tantas porrò seditionum turbas, tamque atroces sanguines daturam putauit. Hic verò prætereundum non est quod Watsonus de seipso confessus est, [e] spem inanem se è Scotia reuertentem fecisse Catacatholicis suis de Regis in eos propensa voluntate, quippe significasse non esse se in religione qualem illum Parsonius alijque Iesuitæ diffamauerant, otia illis facturum polliceri, quibusdam quoque honores decreuisse, onera quoque reip. minuenda profiteri; quæ omnia non à Rege percepta, sed è suo cerebro sceleratè conficta eo fine iactitata testatus est vt suos sibi retineret, viamque rumusculis istis designationibus suis expeditiorem muniret. Ac Catesbeio quidem ista narrasse haud dubium est, quem [f] habuit secum vt ante diximus in proditione confœderatum, & tum quoque iuramento ad scelus obligatum. Ergò Catesbeius post Regis aduentum, cùm sibi suisque spem falsam illudi sentiret, neque Rex illorum voto respondere videretur; ad Garnetum accedit & narrat [g] *Regem datam illis fidem fefellisse, proinde futurum breui vt turbarum aliquid in Anglia nascatur*. Hoc Garnetus incerta, vt videtur, memoria repetens circa festum Michaelis, à primo Regis ingressu contigisse refert; ego verò dum momenta rerum expendo, Garnetum hic arbitror celare aliquid voluisse, & citiùs verba illa, de Watsoniana coniuratione,

b Autogr. lit. Mar. 3. ad Sayerum.

c Autogr. Watson. Aug. 10. et 18. 1603.

d Ibid.

e Autogr. Watson. Aug. 10. Comit. Northã arat. in indic. Euerar. Digby

f Confess. Wats. Septemb. 3.

g Autogr. Garnet. Mar. 13. 1605.

ne, quam ille fortè nesciisse videri vult, enunciata esse. Certè in festum [h] illud Michaelis Garnetus incidisse confirmat collocutionem illam Catesbeij cum Perceio, qua [i] *hic se Regem spondet intersecturum, ille verò multò minori periculo rebus suis consuli posse significat, viamq́; sibi in animo faciliorem esse qua voti sui compotes forent*; quippe qui fulmen illud suum antè meditatus esset. Sed nondum ei tamen arcanum hoc aperuisse videtur; aperuit non multò post Thomæ Wintero & Ioanni Wrighto, quibus rem ante innotuisse testatur [k] Faukesius, quàm quinque illi, Catesbeius, Perceius, Winterus, Wrightus & postremus ipse Faukesius, sub initio mensis Maij anno 1604. iuramento & percepta de Gerardi manu Eucharistia, horrenda sacri mysterij prophanatione, ad dirum scelus consociati sunt. Certè enim designatum antè facinus quàm missus à Catesbeio in Belgium Thomas Winterus; eo nempe [l] fine vt Faukesium de Oweni testimonio reduceret in Angliam, qui negotij commodus administer futurus esset. Ita verò designatum est, vt à Garneti oraculo firmitatem acciperet, qui à Catesbeio priùs generatim interrogatus, præsente ni fallor è coniuratis altero, licerétne in nobili aliquo incœpto pro communi Catholicorum bono, vbi aliter fieri non posset, insontes aliquot cum multis nocentibus promiscua strage tollere, respondit, licere, modò Catholicorum parti grandioris beneficij compensatio proueniret, haud certè minùs, inquit, quàm in expugnanda hostium ciuitate beneuolis fortè quibusdam & amicis infœlix belli alea necessariò ferenda est. Atque hæc illa interrogatio fuit ex qua Garnetus subijsse sibi animum confessus est, [m] Catesbium grande aliquod malum parturire; quæ diem infando sceleri constitutum totos viginti menses antecessit. Interea verò subinde videntur apud populares illorum clàm agitata seditionum consilia ita vt Garnetus literis ad Generalem ab Andrea nostro [n] positis mox à motu illo Herefordiensi siue Wallensi scribat *se pro parte sua quater hactenus tumultum impedisse*. Ac ad Wallensem illum sedandum misit aliquem, siue Archipresbyter, siue Garnetus, qui [o] *per viscera misericordiæ* seditiosos obtestaretur, vt à tumultu illo desisterent, qui cum scandalo Regis & reipub. cum præiudicio Catacatholicorum suorum, & mandati Pontificij præuaricatione coniunctus esset. Nempe exciderat illis per impotentiam furoris quod antè sibi

h *Garnet. confess. Mar. 12.*
i *Actio in proditores pag. 78*
k *Conf. Faukes. Nouemb. 30.*
l *Autograph. Fauk. Ian. 20.*
m *Actio in proditor. pag. 100*
n *Pag. 253.*
o *Apolog. in scriptis pro Iesuit. & Sacerdot. authore, vt creditur, Blacwello Archipr.*

p *Autogr. Watson. Aug. 10.*

præceptum audierant [p] à Iesuitis, omnia vt in expedito haberent; se verò non ante mouerent quàm ab ipsis commonefacti sint. Fuit autem Wallensis ista perturbatio postrema illarum, quas commeminit Garnetus, sed idem in antecedentibus quoque curatum fuerat, vt mox & absque sonitu comprimerentur, nec ad nos vllo modo notitia rerum istarum vel suspicio perueniret. [q] Garnetus verò cùm suos cerneret ad rebellionem effrænato impetu præcipites, non per occasionem Wallensis illius, quod ille lapsu memoriæ dicit, quæ nempe altero post anno secuta est, sed ex anteriore aliqua molitione comperta Romam se literas scripsisse testatur, mandata vt impetraret à Pontifice pro coercenda illa intemperie, & censuras in illos qui inobsequentes mandatis essent. Cæterùm quo id animo, quo fine Fauksius indicauit, qui [r] *à confœderatis omni modo consultum & curatum* narrat, *vt alias omnes molitiones & machinationes, nominatim verò Wallensem illam, auerterent & impedirent, quò huic consilio locus daretur; quippe stetisse sententiam in huius vnius aleæ iactu rem omnem collocare.* Atque hoc in Watsoniana coniuratione antè animaduersum est, quàm sedulò curatum sit à Iesuitis, nequid aliud succederet præter arcanum illud negotium suum quod obambulauit tunc in tenebris, hîc in lucem allatum est. Cæterùm literis illis Romam missis Garnetus sequente mense Iunio circiter festum Ioannis Baptistæ responsum tulit, quod ille se ait eodem ipso tempore cum Catesbeio communicasse, accedente nempe ad illum cum Thoma Wintero, & significante, [s] *Sibi iam aliquid præ manibus esse pro causa Catholica aduersus Regem & rempub. quod bono effectu futurum esset, & certissimè præualiturum.* Ibi Garnetus, si credimus, *dissuadere se* ait, *nequid eiusmodi negotij tentaret*; illum verò disertè respondere, *Licitum esse quod tentaret; quippe licuisse per Breuia Pontificia aditum Regis prohibere; haud ergò minùs iam licere vt eijciant illum.* Narrat ibi scilicet *ante obitum Elizabethæ accepisse se Roma à Pontifice duo Breuia sub annulo Piscatoris de successione in regnum Angliæ; quæ simulatque accepisset, ostendit mox Catesbeio & Thomæ Wintero, de quibus illi vehementer lætati sunt.* Breuium verò illorum quæ mens fuerit postea ex memoria sua testatus est; nempe [t] *vt à iure successionis exclusus denunciaretur quicunque esset* QVANTVMCVNQVE PRO-

q *Garnet. confess. Mar. 12.*

r *Fauks. confess. Nouemb. 7.*

s *Garnet. Autograph. Mar. 13 & confess. Mar. 14.*

t *Autograph. Garnet. Mar. 25.*

PINQVITATE SANGVINIS NITERETVR, NISI EIVSMODI ESSET QVI NON MODO FIDEM CATHOLICAM TOLERARET SED ETIAM OMNI OPE AC STVDIO PROMOVERET AC MORE MAIORVM ID SE IVREIVRANDO PRÆSTITVRVM SVSCIPERET: [u] *Quicunque verò se cum successore aliquo coniungeret qui Catacatholicus non esset & Ecclesiæ Romanæ subiectus, excommunicationis & anathematis vinculo immodatum se sciret*, quod ab Hallo quoque de memoria repetitum est. Garnetus verò literas ibi quoque commemorat ad nuncium Pontificis in Belgio versantem [x] *quibus commendata illi cura est regionum finitimarum, nominatim verò Angliæ*, VT QVANDOCVNQVE CONTINGERET MISERAM ILLAM FÆMINAM EX HAC VITA EXCEDERE, (sic enim Elizabetham Reginam heroica virtute fæminam miserrimus animarum carnifex appellare haud veritus est) *nullo labore supersederet vt Papam ea de re certiorem faceret, Breuiáque illa in Anglia diuulgaret authoritate sua & Papæ nomine qui illi ope sua minimè defuturus esset*. Hæc illa sunt quibus innixus Catesbeius licitum sibi sensit quiduis in Regem moliri quo illum è regno expelleret; repugnasse interim Garnetum quis ipsi credat? Nam sine teste dicit: quis inquam sobrius credat qui cum postremis prima componit; qui illum de Iesuitarum consilijs & moribus æstimat & in Hispanica coniuratione qualis ante fuerit, intelligit, de qua postea, Deo volente, dicendum est? At vide hîc quoque quomodo repugnauit; nam mox ad illum Catesbeius iterum venit comite Grenwello qui negotium hoc coniunctim & pariter agunt, & ne nihil actitari sentiat, quæstionem secundò mouent de innocétibus promiscuè perdendis, [y] *eo fine venientes cum illo Grenwello*, quod tandem ipse Garnetus agnoscit, *vt ea in re satisfactum sibi à Garneto esset*, à quo responsum habuit idem quod ante positum à nobis est. Sed hîc tamen Garnetus videri volens in schola sua siue rep. peregrinus, negat sibi rem apertè designatam, quare [z] *interrogasse Grenwellum quid illud arcani esset; respondisse verò illum se ad taciturnitatem obligatum & prodere nō posse*. Atqui verò mense proximo qui Iulius fuit anno 1604. iterum se literas Romam misisse fatetur, quibus significat [a] *sperare se futurum vt generales turbas facilè compescat, vereri verò ne agatur particulare aliquod stratagema, quare petere prohibitiones & censuras*. Literis istis Pontifex non ante Martium sequentem responsum dedit & tum quidem,

[u] Hall. confess. Mar. 13.

[x] Garnet. autograph. vt supra.

[y] Garnet. Autograph. ad Regem Apr. 6. 1606.

[z] Garnet. confess. Mar. 14. 1605.

[a] Garnet. confess. Mar. 12.

[b] Ibid.

dem, [b] *Gaudere se futurum vt generales motus coerceantur; cæterùm quod ad particulare aliquid attineret, existimare sufficere generalem prohibitionem, nec opus esse particulari aliqua cum censuris; quòd si opus esset, concessurum, vbi illum faceret eius rei certiorem.* Atque hic nebulonum artes & imposturas videre est. Petit ille mandata quibus motus generatim interdicat, nec longum est quin obtineat, nequid grandi illi actioni impedimento sit; de particulari actione nuncium mittit, & post nouem ferè menses audit haud opus esse nouo mandato; quòd si fuerit, iterum scribat; vt interim liberè perficiant quod scelerato consilio designatum est. Iam qui perductam hactenus historiam diligentèr attenderit, facilè opinor animaduertet Garnetum Catesbeij mentem in illa quæstione, vtut rem dissimularit, ignorare non potuisse; saltem hoc sciuisse manifestum est, quod ipse agnoscit, actitatum ab illis aliquid quod Regi, quod regno perniciem afferret, quod ad Regem expellendum certissimo effectu futurum sperarunt, in quo, iure omni diuino pariter & humano proditor fuit, qui teterrimam coniurationem contra Regem & remp. scelerato consilio initam, quatenus sibi notam, pro vitando periculo non patefecit. Interim verò dum Pontifex posterioribus illis Garneti literis responsum parat, [c] quinque illi primò coniurati die mensis Decembris vndecimo cuniculum aggrediuntur per quem in locum Parliamentarijs ædibus subiectum tormentarium puluerem importarent. Erat autem locus ille nescientibus illis cellarium, quo recondi consueta ligna & carbones aliaque necessaria, quod postquam, muro ferè pertuso, ex strepitu inde audito animaduertissent, & domum intellexissent à domino suo priore dimittendam, conduxerunt illam pretio tanquam vsui suo percommodam, & in cellarium vim nitrati pulueris ingentem conuehendam curant. Dum hæc aguntur, [d] asciti in coniurationem Rob. Kaius, Thomas Batesius, Christophorus Wrightus, & non multò pòst Rob. Winterus, Ioannes Grantus, Ambrosius Rookwooddus, quibus omnibus, excepto Batesio, [e] proposita Garneti authoritas nequid se agere sentirent contra pietatem; Batesius Grenwello authore, vt post videbimus, in incœpto confirmatus est. Postquam verò isti omnes impia iam confœderatione coaluissent, omniaque in apparato essent, & nonnisi Parliamenti conuentus expectaretur, [f] Fauksius interim in Belgium

[c] *Fauk. Autograph. Ian. 20.*

[d] *Ibid.*

[e] *Garnet Autogr. ad patres & fratres in Ramis palmar. Rookwood. cō fess. Decemb. 2.*

[f] *Faukś. vt supra.*

vitandæ suspicionis causa proficiscitur, literas à [g] Garneto adeptus quibus Baldwino Iesuitæ commendatus est. Demandatum tum Fauksio negotium à Catesbeio [h] *vt Baldwini opera & intercessione hanc à Spinola Marchione gratiam impetraret, vt ei turmæ alicuius equestris præfectura committeretur, eo fine vt domi sub hoc prætextu equos & arma commodiùs & absque suspicione comparare posset.* Hoc vt succedat, Garnetus quoque operam suam addit,[i] scriptis eodem tempore ad Baldwinum literis quibus Catesbeium commendat vnicum suum, & rogat vt in causa illa se adiutorem & intercessorem interponat. Iam qui interim nescisse se ait quid illis in animo esset vel quorsum istas sibi commendationes tam sedulò quærerent, certè existimare videtur cum stipitibus & saxis se causam agere, quibus nulla rerum intelligentia, nullus vsus est. Enimuero sunt ista, Andrea, satis adhuc fortia in Martyrem tuum, sed tamẽ quia ita vis, audi adhuc fortiora. Nam circiter mediam æstatem ita contigit vt Garnetus Fremlandiæ esset in comitatu Essexiæ, [k] *quo tempore* ait *Grenwellum sibi consilium communicasse Catesbeij & aliorum coniuratorum de Comitio suffulminando &* [l] *post meridiem ad spatium duarum horarum secum ea de re collocutum esse*, quod non negat tum Garnetus citra ambages palàm & apertè factum esse, tantùm excipit, dictum esse per confessionem, cuius sigillum violare nefas & impium esset. Verùm hic miser indicio suo se prodit dum ita nugatur & ludit vt merum veteratorem & mendacem esse agnoscas. Primò se ait rem totam à Grenwello [m] *nonnisi per confessionem accepisse, cuius arcanum non licuit reuelare.* Vbi verò Grenwellum comprehensum credit & audit ab illo dictum, *rem à se citra confessionem Garneto communicatam esse*, quod eliciendi arcani causa prætensum est, respondet, [n] *Non posse se pro certo affirmare fuisse Grenwelli mentem negotium hoc tanquam in confessione siue sub sigillo confessionis enunciare, & fieri posse vt hac ille mente fortasse non fuerit, sed tamen haud aliter à se existimatum nisi hoc illi in animo fuisse.* [o] *Illum fortasse minus aliquod arcani vinculum intellexisse, se verò cum relatione ad confessionem accepisse, sed ita vt semper præsetulerit non taciturum se superiori si interrogatus sit.* Postea tamen requisitus à D D. Delegatis honoratissimis viris [p] *vt missis quæcunque ante responderat, dicat interposita sacerdotij fide, num hoc ei Grenwellus visus in confessione prodidisse*

vel

g Garnet. confess. Feb. 20.

h Fauks. vt supra.

i Garnet. confess. Mar. 12.

k Garnet. confess. Mar. 12.

l Garnet. Autogr. April. 11.

m Actio in Prodit. pag. 102. 127. Autograph. Garnet. Mar. 31.

n Garnet. Autogr. ad patres & fratres in Ramis palmar. Apr. 13. & Autogr. ad Regem Apr. 6.

o Autogr. Garnet. ad Regem. April. 4.

p Garnet. confess. April. 25.

vel secus, respondet *non fuisse quidem in confessione, sed per viam confessionis, quomodo*, inquit, *fieri potest in colloquio de rebus magnis, vel vbi studio opus est vel tempus deest quamuis post aliquantum temporis fiat*. Porrò iterum interrogatus *annon sæpius ea de re cum Grenwello contulerit*, respondet, [q] *solitum se quoties illum conueniret, de negotio interrogare; sed posteriora*, inquit, *omnia colloquia, quotquot illa fuerunt, relationē habebant ad primum & consequenter ad confessionem*. Reliqua de confessione differimus in locum suum, sed qui hæc omnia quæ diximus diligenter inter se contulerit, & attenderit animo Proteus iste quot in formas se conuerterit, planè agnoscet fabulam illam de confessione nonnisi ad prætextum sceleris & nequitiæ velamentum adhibitam esse, nec facilè hominem mendacissimum inuenire potuisse qua illam ratione ad perfidiæ suæ scenam commodè adornare posset. *In confessione*, inquit, *& tamen alia fortassè Grenwelli mens fuit. Non in confessione, sed per viam confessionis. Neque verò hoc, sed cum relatione ad confessionem. Vbicunque occurrit ei Grenwellus, interrogat, & tamen ad confessionem referenda omnia. Non licuit reuelare, & tamen seruata potestas qua superiori, si interrogetur, reuelet omnia, immò* [r] *tunc*, inquit, *& in multis alijs colloquijs statui licere mihi eloqui notitiam meam, si quando accusatus ea de re in quæstionem adducerer*. Ita homo leuissimus nusquam sibi constat; ait, negat, & agit omni modo vt *formalibus fabulis* formam veritatis excludat, qua tamen ita concluditur vt ipse se laqueo suo suffocare cogatur. Quàm verò frustra sibi *confessionis* hoc latibulum paret, ex eo manifestum est quod porrò agnoscit, [s] *secundum sibi fuisse Fremlandiæ colloquium ea de re cum Catesbeio, quo tempore Catesbeium ait fidem dedisse non se vltra in negotio illo processurum priusquam Pontificem generalitèr edocuisset de statu Angliæ, eiusque ea in re consilium & voluntatem petijsset, nominatum verò à se Edmund. Bainhamum Equitem Auratum quem ea in causa nuncium adhiberet; consensisse Catesbeium & dixisse, rem eiusmodi esse vt non existimet Papam impedimento esse futurum*. Hìc iam iterum, Andrea, Diuus tuus extra confessionem reus est, nec nisi probata illi res modò Pontifici non improbata sit, & missus ex consilio illius Bainhamus Baldwino per literas commendatus qui Pontificem de omnibus certiorem faciat. Sed hìc mendax furcifer aliud sibi diuerticulum meditatus est,

q Ibid. & Autogr. April 4.

r Autogr. liter. ad patres & fratres Domi. in Ram. Palm.

s Garnet. confess. Mar. 12.

est, quippe [t] *procurasse Bainhami missionem qui Papam generaliter informaret, & expectasse per illum totius negotij prohibitionem.* Atqui verò agnoscit Bainhamum non ante mensem [u] Septembrem profectum esse; & porrò intellectum est medium Octobrem nostrum prælerlapsum esse priusquam ille [x] Florentiam perueniret; ex quo constat rem ita compositam esse, vt certum esset reditum eius ante diem exequendo consilio destinatum expectari non potuisse; vt hic nonnisi alia *formalis fabula* conficta sit; prorsus ei similis qua se ait [y] *Caughtonam iam instantibus Comitijs eo animo profectum esse, vt Catesbeium ab incœpto remoueret*, cum illum sciret eò non antè venturum quàm confecta res esset. Sed arcanum missionis Bainhami aperiunt nobis Fauksius & Winterus, nempe [z] *Romæ illum præsentem esse debuisse, vt è Belgio de successu proditionis certior quamprimùm factus ab Oweno* (ita namque cautum inter illos est) *Pontifici rem exponeret, eiusq; opem in Catholicorum* (in rem malam) *causa imploraret, aliaq; ibi negotia, prout pòst vsus foret, apud Pontificem procuraret.* Atque idem Thomas Winterus à Batesio interrogatus, [a] *cur apud se Bainhamum non retinuissent:* respondet, *Minimè idoneum fuisse qui in opere illo versaretur, sed aliter se operam eius Romæ collocasse & manere ibi vt Garneto literas reportet.* Iam hic aliud Garneti mendacium videre est, qui cùm ante dixerit, [b] *nunquam se in Bainhami gratiam literas scripsisse, nisi quibus illum ad militiam commendaret*, agnoscit hìc literas se pro illo scripsisse quibus huic impio negotio ad Pontificem perferendo designatus est. Sed hoc ille facit pro more suo, cui certum erat pertinacissimè celare omnia, quousque mendacij conuictus verum fateri non sine turpissimo rubore cogeretur. Cæterùm dum metus simulat, & nomen suum audiri non vult, & omnia hìc à se sancta & innoxia videri vult, videte improbus veterator quid egerit Romæ. Certè ibi res ita nota, vt parata essent à Roma in diem constitutum, teste Baldwino Iesuita, qui sua sponte mysterium hoc effatus est, tria Bullarum Pontificiarum fulmina, mox à scelere peracto in tribus regni primarijs locis eiaculanda, quibus feriendi omnes qui se Pontificijs rationibus minùs præstarent accommodatos, quæ in surreptis Garneti scrinijs in id tempus latitasse postea intellectum est. Hìc ergò videndum Andreas noster quàm sit animal effrons & impudens, quàm reproba fide homo sit, qui mera commenta in-

t Autograph. Garnet. ad Patr. & fratr. vt supra.
u Garnet. confess. Feb. 20.
x Actio in proditor. pag. 100
y Ibid pag. 128
z Fauk Confes. Ian. 9. & Tho. Winter. Ian. 17
a Bates. confes. Ian. 13.
b Garnet. confess. Mar. 6.

ſani capitis ſui venditat orbi terrarum pro veritate, & fingit in Muſæolo ſuo quod in rem Romanam & Ieſuiticam credi vult de Garneto ſuo, & ea quidem quæ Garneti ipſius reſponſa & autographa confeſſionum & literarum falſiſſima eſſe conuincunt, deque quibus nihil illi vnquam in mentem venit. Certè quod de *abalienato à Garnoto Catesbeij animo* tam grauiter narrat, miror ſi vel dæmon ipſe dicere non erubeſcat quod Eudæmon dicere non dubitat, quia ſi Annam excipias, nihil illis inter ſe familiarius, nihil coniunctius eſſe potuit, neque quicquam vnquam contrà cuiquam vel viſum vel auditum eſt; Immò cùm Summus Angliæ Iuſtitiarius de Annæ teſtimonio confirmauit [c] *Catesbeium nunquam ab eius latere diſceſſiſſe*, nihil habuit quod exciperet, nihil quod ea de re reſponderet, vbi tamen hoc in eum argumentum conſcientiæ atque reatus adductum eſt. Et quidem facilè hoc ſuadere poſſim, ſi ex ipſius aliorumque confeſſionibus annotare velim, quot illi conuentiones quàm diuerſis in locis à Maio menſe ad Nouembrem habuiſſe memorentur, etiam mittente aliquando Catesbeio & rogante vt conueniat. Sed non eſt operæpretium Lectorem ea re morari quam vnius amiculæ teſtimonium confirmat ſatis. Quod ad hortationes attinet ad patientiam, [d] quibus in promiſcuis colloquijs vſum nonnunquam eadem Anna teſtatur (nam certè in concionibus vtut tu illum mendacio expolias, haud frequens fuit) quò ſpectarint ante viſum eſt; nempe ad occultanda clandeſtina conſilia, & ad auertendos motus qui huic tam tetro incœpto quouiſmodo impedimento eſſe poſſent. Ac certè dignum eſt obſeruatione quod Anna quoque commemorat, [e] fuiſſe Ayrithæ Treſhamum cum Garneto, vbi Catesbeius quoque tum fuit, & ab illo ſalubre conſilium audiſſe, quo tempore Treſhamus à priuato cum illo colloquio exiens in hæc verba palam loquitur; *Hìc omnia ſpe optima plena ſunt*. Eruat myſterium qui poteſt, ego certè ſub hac herba *boni conſilij* latuiſſe ſerpentem dubitare non poſſum. Quod porrò ais de *Catesbeio Ieſuitas incuſante quòd Catacatholicos veſtros diſtinerent, quominus communi conſilio ſibi rebúſque ſuis conſulerent*, aliud eſt liquidum & palmare mendacium, pullus ex ouo putrido cerebri tui, nec quiſquam vnquam dixit præter te, quod tamen dixiſſet Garnetus & proclamaſſet, ſi tam ſpecioſa prætextura perfidiæ ſuæ atque ſceleris atrocitatem mi-

c *Actio in proditor. pag.* 130.

d *Confeſſ. Ann Vaux, Mar.* 24

e *Ibid.*

potuisset. Literæ verò Garneti nihil ad hoc. *Multi*, inquit, *de Iesuitis queruntur quòd impedimento eos esse dicant quominus aperta vis adhibeatur*. Facilè damus quod dicit, fuisse vel esse potuisse multos qui id quererentur, qui illius arcani minimè participes, neque contenti, ostentata eminus, & in obscuro melioris, vt tu loqueris, fortunæ spe, ac proinde seditiones & motus assiduè parturientes, haud satis placidè tulerunt affectibus suis legem dari; Iesuitis interim nihil hìc excusatis, quibus vna illa ratio fuit turbas alias auertendi, prout ante dictum est, vt vni consilio suo via per otia publica pateret, quo omnia sibi vno momento in potestatem ventura somniarunt. Sed nihil hoc ad Catesbeium, qui Iesuitis intimus semper & coniunctissimus vixit, & communi cum illis consilio temperandum alijs molitionibus, in huius incœpti exitu acquiescendum arbitratus est. Sed & quæ de Bainhamo narras (quem rideo tibi esse *spectatæ fidei ac religionis virum*, qui sibi fuit *è damnata classe popularis*, homo luxu & vitæ dissolutione prorsus infamis) quæ de illo inquam narras, eiusque Romam mittendi ratione ac modo, falsa, ficta, fucata sunt omnia; hùc tantùm accommodata ne Garnetus ante quartum diem Octobris coniurationem resciisse videatur, quo nihil magis pueriliter & ineptè contra clarissimam rerum lucem fingi potuit. Cui tamen mendacio vt speciem aliquam veritatis inducas, literas Garneti nomine affers, sed eas à teipso confictas & consarcinatas; quod nihil dubito, quia cum Garneti confessione rerumque suarum relatione non conueniunt. Tu *Iulij 24. anno 1605.* literas illas datas refers; quibus significatum esse ais, missum ante illud tempus Bainhamum qui Pontificem de suorum rebus consuleret, quod falsissimum esse constat, quia vix tum de Bainhamo mittendo consultum fuerat, nec ille ante Septembrem profectus est. Iam quòd scriptum ab illo refers *de periculo ne priuatim aliqua proditio, vel vis Regi afferatur*, ille se Iulio anni superioris *de particulari stratagemate Romam* literas, vt vidimus, dedisse confirmat; quas tu malè distributas temporibus suis, saltem earum aliquid, vt videtur, immutatum & expolitum cum figmento tuo coniungis, vt nouas hasce literas expleas quibus Garneto tuo colorem aliquem probitatis inducere laboras. Quod eo magis credo, quia manifestum est literas quas tu illius nomine ad Parsonium ponis ementitas esse. Garneti enim confessio aperta

 est;

Garn. confess. Mar. 12.

est; [f] *Parsonium illa æstate literas ad se scripsisse, quas circiter festum Michaelis acceperat, quibus rogauit vt certiorem eum faceret quas tum Catacatholici in Anglia designationes præ manibus haberent, quibus,* inquit, *quòd in itinere tum eram, nihil à me responsum est.* Ita te nebulonem egregium agnoscimus, qui comminisci literas in angulis, & orbi Christiano tanquam veras obtrudere non dubitas. Atque eiusdem farinæ reliquas quas affers literas omnes non sine causa esse statuimus, prorsus fictitias vel certè interpolatas, & ad mentem tuam fabrefactas, vt fabulæ huius quam tam accuratè de tela tua contexis instituto quadrare possint. Qua in re quò es artificiosior, & ad eximiam mentiendi facultatem & audaciam instructior & expeditior, eò magis caput tibi commitigabit Bellarminus, & admirabitur in te verè Romanam indolem, ingenium verè Iesuiticum, quod sperabit rei Romanæ vehementer profuturum. Ac iamdudum ille quidem applaudit tibi, & de tua fide pronunciat *Actionem in Proditores continere multa falsa,* quia non dubitat te per *Sucarim* dæmoniacam vidisse multa quæ nobis oculatis testibus & spectatoribus, nimia fortasse luce cæcutientibus, videre haud datum est. Et ille certè vetus & ferè iam obsoletus impostor est, de cuius mendacijs & fraudibus faciunt plerique vestri fallendo orbi quod ille iam de tuis facit. Cæterum pergis tu, & lepidam hanc fabellam porrò adhuc ingenio exornas, grauiter enarrans, haud certè minùs quàm si veram historiam edisseras, Catesbeium dilatis Comitijs consilio suo vehementer discruciatum Grenwellum Confessarium adiisse, eique per confessionem rem totam exposuisse; Grenwellum re improuisa attonitum vbi se collegit, egisse seriò vt à consilio auocaret; placitum deinde vtrique vt Garneti ea de re sententia rogaretur; cum Grenwellum per confessionem consuluisse; illum horrore perculsum monuisse Grenwellum, vt Catesbeium ab immani facinore deterreret; id Grenwellum profiteri studiosissimè factum à se esse; Garnetum deinde in miseras curas & anxietates effusum, cum religione teneretur ne rem in confessione sibi reuelatam vnquam quoquo modo proderet, precibus & sacrificijs egisse, vt à republica Deus qui nullo negotio posset, tantam cladem aueterret. Atqui quod olim [g] Cato *mirari se aiebat, quòd non rideret haruspex haruspicem cùm vidisset,* conscij quippe inter se quos populo fucos

g Tull. de diuinat. lib. 1.

cos vanissimæ artis ostentatione facerent, idem mihi mirari subit si non rideat Iesuita Iesuitam, cùm viderit, Grenwellus familiariter sibi notum Dæmonem hunc, dum se mutuò mendacijs suis scabunt, & periuriorum ac scelerum inter se Orgijs fœderati, populum tamen arte fallunt, aguntque alter pro altero præstigijs suis vt omnes miro innocentiæ nitore conuestiti videantur. Catesbeium Grenwello proditionis arcanum enuntiasse [h] *pro certo se habere Garnetus agnoscit; existimare quoque tantundem fecisse Thomam Winterum; dixisse verò sibi Grenwellum, Catesbeium solum, non consentientibus è coniuratis duobus alijs consilium communicare non potuisse*, de confessione interim ne verbum quidem: vbi tamen monet *Grenwellum si rem à Batesio per confessionem audijsset, efferre non debuisse, ne Pontifici quidem, nec vnquam dixisse Grenwellum se illam à Batesio accepisse*. Immò nec vnquam Grenwellus ei dixit rem sibi confessione proditam à Catesbeio; [i] *Dixit mihi*, inquit, *obligatum se ne reuelaret, quo inductus sum vt existimarem (quod quidem existimo) illum quoque in confessione audijsse, sed veniam habuisse reuelandi mihi; quod mihi tamen nunquam significauit, sed visus est tanquam ex mente sua reuelare*. Et iterum ad Annam suam; [k] *Dixi Grenwellum solum rem mihi confitendo aperuisse, ita tamen vt eam reuelare liceret si in quæstionem vocari contingeret: dixi quoque arbitrari me Grenwellum eam per confessionem accepisse, ita vt neminipræterquam mihi enunciare posset*. Vide, quæso, illum *arbitrantem* & *existimantem*, sed nusquam habentem vt affirmet rem Grenwello confitendo reuelatam; quod si Grenwellus dixerit, eo ipso agnoscas mendacem esse. Atque hic conuenio, Andrea, fidem & conscientiam tuam, si Garneti mens illa fuisset quam narras, si auertere ille perditionem hanc à rep. voluisset, cur non inquirit auidiùs arcanũ hoc qua ad Grenwellum ratione peruenisset? cur non adiurat in virtute obedientiæ vt dicat religionisne hìc sigillum aliquod fuerit, vt si minùs, adiuret iterum vt quod citra religionis piaculum fieri posset, pro conseruanda patria consilium prodat? Expedi verò mihi causam hanc; nam hìc aueo scire quid dicas. Nescit Diuus tuus & nescisse se profitetur, quo pacto Grenwellus secreti tam perniciosi conscientiam adeptus sit, quod si extra confessionem edidicerat, nulla religio impedire potuit quominus in apertum daret. Cur hoc ergò non sciscitatur? cur

h Garnet. confess. Mar. 12.

i Garnet. confess. Mar. 31.

k Garnet. Autograph. ad Ann. suam April. 3.

Grenwellum non adigit vt dicat? nisi quia miserrimum animal monstrum infoelix patriam suam perditam cupit, & bruto stupore tot sanguinum clamores minimè sibi reformidandos putat. Apage te ergò insanum caput, cui sceleratæ istæ defensiones tam cordi sunt; noli nobis occinere perplexitates illius & cogitationum æstus & noctes insomnes, qui nec vnquam quidem vel inquirit quæ ratio expediendi periculi relicta sit. Quanquam & illud quoque cogitandum est, Grenwellum si rem simpliciter per confessionem accepisset, ne Garneto quidem ipsi ex eorum disciplina communicare potuisse. Dicitur ergò conuentum inter eos & ex condicto factum vt Garneti sententia requireretur. Quòd si Grenwellus ad Garnetum Catesbeij nonnisi internuncius fuit, quid impedit quominùs Catesbeium Garnetus conuenire debuerit & de atrocitate sceleris expostulare? quæ hìc violatio religionis fuit, vt quod ad se Catesbeij voluntate delatum intellexit, de eodem cum ipso conferret & designationis impiæ horrorem ediceret, dirisque ac minis & omni anathematum denunciatione ab illo dæmonum furore reuocaret? Cur Grenwellum non obtestatur, cur per omnia sacra non adiurat vt Catesbeium mox ad se adducat? cur iunctis operis non agunt nec dies noctesuè intermittunt, vt illum ab incœpto illo recedere compellant quo nihil vnquam prodigiosius auditum est? *Immò*, inquit ille, [l] *dixit Grenwellus facturum se vt desistant.* Itanè verò miser? an hoc tibi satis, *Dixit Grenwellus facturum se*, & tu interim nihil facis? Intelligit ignei pulueris vim ingentem in crypta esse reconditam, Comitia iam in proximo esse, tantummodò conuentu & igne apposito opus esse, vt Rex Regiaque proles & regnum vno momento intercidant, & hoc illi ad innocentiæ tutelam sufficit, *dixisse Grenwellum facturum se vt desistant.* Vide verò, bone Lector, qua ratione hæc de re in iudicio loquatur; [m] *Dedi Grenwello in mandatis vt Catesbeium ab incæpto dissuaderet, quod & factum esse arbitratus sum*; & literis ad Grenwellum scriptis; [n] *Nunquam probaui consilium; nec tu quidem quantum existimo;* & ad Annam amiculam; [o] *Dixi nos (me atque Grenwellum) conspirasse ambos ad facinus impediendum, & spero illum ita fecisse.* Arbitratur, existimat, putat, sperat; nescit ille scilicet vir simplicissimus probatum an non probatum; factum quicquam contrà, vel non factum, ita precibus aut certè potationibus intentus, vt tonitrua

[l] *Act. in Proditor. pag. 127.*

[m] *Ibid. pag. 103.*

[n] *Garnet Autogr. lit. ad Grenwell. April. 4.*

[o] *Autogr. lit. ad Annam Vaux. Apr. 3.*

tonitrua & fulmina quæ ipse iam animo suo finxerat, quibus prope iam aures eius vndique circumsonant & æternum patriæ incendium effulminatur, Archimedi similis in puluere suo, ne cogitet quidem. Sed quî factum, Garnete, vt in tanto periculo *putando* rem transigas, totus ipse otiosus sis? *Immò* inquit, [p] *feci quantum in me vt dissuaderem.* Dic verò, carnifex, dic nobis quid fecisti? dicat pro te Dæmon tuus qui certè nihil habet quod fecisse te dicat, quod ad dissuadendum vsui esset. At inquis, [q] *Veni in comitatum Warwicensem ea mente vt Catesbeium illò quoque venturum à proposito reuocarem.* Videte verò sceleratum hypocritam totum ex mendacio & fraude conflatum; qui eo animo se venisse ait vt Catesbeium eò venturum à proposito dissuaderet; quando sat sciuit vt suprà vidimus, scelus ante perpetrandum quàm Catesbeius eò venturus esset. At cur tandem rem in illas angustias redigit? cur totum tempus quod antecesserat intermittit? Agnoscit ipse, [r] sibi Grenwelli confessionem ante festum Iacobi factam esse Fremlandiæ; altero ibidem colloquio pollicitum Catesbeium non multò pôst, nihil se vltrà facturum absque consilio Pontificis, sed quid hoc ad incœptum dissuadendum, ad impediendum quid? quid hic ad proditionem deest vbi arbitrio Pontificis stare iubetur vita Regis & regni salus? Immò ad patres & fratres vide pro Rege, pro rep. quàm frigidè loquatur; [f] *Nunquam*, inquit, *non damnaui apud animum meum absolutè machinationem hanc, & generatim sententia erat omnes aduersus Regem insurrectiones illicitas esse, quòd deesset declaratio Pontificis*, immo (si creditis) *omnes*, inquit, *istiusmodi molitiones interdixerat; & huius opinionis meæ multos habeo testes, quibuscum ea de re ratiocinatus sum, quanquam non sum ausus aliorum opiniones absolutè damnare vel auferre libertatem quam Theologi plurimi Catholicis concedunt, quanquam contra opinionem meã.* Ita nihil illi defuit præter *declarationem Pontificis*, quominus hanc, quominus aliam quamcunque proditionem vel seditionem approbaret; *absolutè* damnat, sed dicente verbum Pontifice, non amplius damnat. Habuit autem ille sententiam Pontificis; habuit in procinctu Bullas & anathemata quibus æterno reip. busto exequias & iusta præstaret. Quid ergò tergiuersatur? cur de dissuadẽdi proposito mentitur? an verò Martyres pudet iam causæ suæ? Quin agnoscat planè quod res est, nihil sibi vnquã minùs in animo fuisse quàm ab

p *Act. in Prodit pag. 128.*

q *Ibid.*

r *Confess. Garnet. Mar. 12.*

f *Garnet. Autogr. lit. ad patres & fratres Apr. 13.*

ab illo incœpto deterrere. Quod vt pateat & reliquam iam histo-
[t] *Garnet. confess. Feb. 20.* riam attexamus, [t] venit ille Caughtonam in Warwicensi comitatu vltimo die mensis Octobris qui vigilia fuit *Omnium Sanctorum.* Atque ibi quidem locus quò constitutum vt coniurati, facto iam illo regni funere, se reciperent. Quare de loco illo graue sibi præiudicium fieri sentiens, ex conscientiæ suæ trepidatione scribit ad Annam; [u] *Tempus profectionis meæ ad Caughtonam, magna præsumptio est*, & in sua cum Hallo interlocutione quemadmodum scribit ipse ad patres & fratres; [x] *Nescio*, inquit, *qua ratione satisfaciam illis de profectione mea ad Caughtonam*; & vt Hallus refert, [y] *Spero D. Iustitiarium Angliæ & Attornatum non habere particularem notitiam rei maximæ quæ me tangit*, *intelligens*, inquit, *aduentum suum ad Caughtonam illo tempore cum Domina Digby.* Sed est quo magis adhuc reatus sui conscientiam prodit: [z] *Murmur hic est de concione siue à me siue ab Hallo habitæ; vereor ne illa mea sit quam Caughtonæ habui.* Quid ita verò de concione sua metuit? Certè aliquid in illa concione fuit quo iam recolendo mens ipsa miseri hominis seipsam fodit. Nempe habuit ille [a] Caughtonæ concionem postmeridianam & priuatam (sic enim Hallus) *in qua rogauit eos qui conuenerant* (repetam [b] Eudæmonis nostri verbis; neque enim precationem hanc inficiari ausus est) *rogauit*, inquam, *vt obnixè Deum orent pro fælici successu grauissimæ cuiusdam rei (magnæ Actionis*, vt ipse locutus est) *in causa Catholicorum* (dixisset *Catacatholicorum*) *sub initium Comitiorum.* Habes verba precationis, bone Lector; in quibus nisi fallor, mentem hominis satis perspicuè vides. Sed illam Andreas noster interpretatur, *vt vel pestem illam Deus auerteret, vel si ita expedire videret, fælicem certè funesto facinori exitum daret.* Tu verò, ridiculum animal, quid habes in verbis illis de peste auertenda? An tu nos fungos putas vt in aperta sententia iam cæci simus? De *fælici successu actionis* habemus, de impediendа vel auertenda nihil prorsus. Immò ipse mentem suam nobis edisserat, qui coram D D. Delegatis agnouit [c] ea lege oratum à se vt non succederet *nisi Catholicorum bono esset.* Ergo vt ille olim, [d] *Me mortuo*, ita Diuus tuus, *Me saluo cum meis, terra incendio misceatur.* Hæc nempe pietas, hæc charitas Martyris tui, qua vult *ignem venire non de cælo* sed de inferno, qui *consumat* sibi suisque parum propitios, quia Romæ iam exoleuit illud

Marginal notes:
[u] *Autograph. liter. ad Ann. Mar. 4.*
[x] *Autogr. ad patr. & frat. April. 13.*
[y] *Hall. siue Oldcorn. confess. Mar. 6.*
[z] *Autogr. ad Ann. Mar. 4.*
[a] *Hall. siue Oldcorn. confess. Mar. 6.*
[b] *Apolog. pag. 265.*
[c] *Actio in Proditor. pag. 102.*
[d] *Sueton. in Nerone.*

Seruatoris

Seruatoris Christi; [e] *Diligite inimicos vestros; benefacite ijs qui oderunt vos;* & illud, [f] *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare.* Sed mens hominis in illa ipsa concione satis luculenta facta est, quia eadem opera monet eos qui adfuerant, [g] *vt orent hoc iam tempore ab hæresi liberari, dixitq́, versiculum vnum aut alterum ex hymno diei; Gentem auferte perfidam Credentium de finibus, vt Christo laudes debitas Persoluamus alacritèr.* Nimirum aperuit hic quem *fœlicem successum* intellexerit, & quò spectarit votum illud hymnicum, nempe vt contingeret illo ipso tempore, Rege ac religione legibusque sibi aduersis simul ac semel exonerari. Quàm verò *non casu* exciderit illi votum hoc, quod Andreas meus videri vult, vel illud argumento esse poterit, quòd suos antè monuerat [h] *Alanum Cardinalem à Gregorio 13. Pontifice indulgentiam quandam illis impetrasse, qui pro Angliæ conuersione deuotè dicerent versiculos illos, & Psalmum, Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c.* Hic ergo scelerati hominis animus fuit, velle tum auferri gentem nostram non perfidam sed piam, non hæreticam sed fidelem & orthodoxam; tantùm vt Antichristi fascinis & incantamentis iterum in Anglia locus sit. Atqui succedere noluit Deus impij proditoris tam execrabile consilium; sed post diem alterum tertiumvè Comitijs iamiam instantibus coniuratio detecta est, deprehensus in ipso negotio Fauksius dum incendendo pulueri funiculos & ignes parat, crypta demum explorata, visum oculis periculum, & funestus ille apparatus omnis singulari Dei beneficio frustratus est. Id coniurati iam persentientes Digbeius, Catesbeius, & alij qui in Granti ædibus tum vnà aderant, scribunt ad [i] Garnetum literas, perferente Batesio, quibus exitum operæ suæ significant, & *consilium ab illo petunt quam iam viam ineundam arbitretur*, rogantque [k] *vt iam in Walliam proficiscentibus adesse velit, & opem ferre ad seditionem ibi faciendam; ni faxit, actum de Iesuitis, actum quoque de omnibus Catholicis.* [l] Legente literas illas Garneto, Grenwellus interuenit, & quid rei esset interrogat, cui mox Garnetus quid acciderat exponit, & *De nobis*, inquit, *omnibus actum est.* Tum Grenwellus; *Walleio*, inquit, hoc est, *Garneto ac mihi nullus hic est amplius morandi locus.* At illum Batesius obtestatur vehementiùs, *Siquam vnquam hero suo (Catesbeio) gratiam facturus sit, iam ad illum vt accedat.* Ille verò, moram omnem periculosam

e *Mat.* 5. 44.
f *Luc.* 9. 56.
g *Hall. confess. Mar.* 6.
h *Hall. confess. Mar.* 5. & *Autograph. de interlocut. cum Garn. Mar.* 25
i *Batesi. confess. Ian.* 13.
k *Garnet. confess. Feb.* 20. *A*
l *Bat. vt supra.*

ſam ratus, ***non recuſaturum ſe*** reſpondet ***ad illum venire quantumuis millies moriendum ſit, niſi quòd malè metuat de ſubuerſione ſocietatis Ieſuitarum.*** Sed tamen poſtquam ad horæ dimidium ſermonem cum Garneto contuliſſet, rectà pergit ad Catesbeium, & cum illo aliud horæ dimidium collocutus, fugâ ſibi conſuluit, & ſparſis inter eundum, quoad poterat, venenis ſuis per ſummum infortunium elapſus eſt. Sed de illo poſtea dicendum erit. Garnetus verò ſibi quoque reus, & proinde malè metuens, tenebras quærit, & in Abingtoni ædes, commune proditorum perfugium, ſe recipiens (quæ eo nomine vnà cum cæteris eiuſdem ſtructuræ, perduellionum latibulis, meritò demoliendæ vel potius nitrato puluere ſuffulminandæ ſint) ibi ſe abdit cum Hallo ſuo, quouſque dato indicio comprehenſi ambo & in carcerem abducti ſunt. Interrogatus ibi de negotio iſto, conſcium ſe conſtantiſſimè pernegat. Accuſauerant illum de Catesbeij teſtimonio proditores ferè omnes, ſed quia mortuus ipſe Catesbeius, eminus id omne viſum, nec ſatis clarum adhuc ad iudicium fuit. Supererat ergò tormentis exprimere confeſſionem, quod certè in hac cauſa æquiſſimum fuiſſet; ſed quia tormentis agere interdictum à Rege fuerat, arte hominem tractare cœperunt. Quarè quod ſibi beneficij loco futurum ſignificauerat, ſi cum Hallo vel per rimulam colloquendi facultas eſſet, hoc ſubornatus è carcerarijs vnus ſe curaturum ſpondet, quantum quidem clam domino ſuo fieri poſſet. Ergo Hallum adducit in cubiculum adiunctum, vbi ad oſtium interclusum inaudiri à ſe mutuò poſſent. Conſtituti interim duo in inſidijs qui verba illorum exciperent, qui omiſſis quæ ab ipſis haud ſatis ſubintellecta viſa ſunt, iuramento teſtati ſunt Garnetum Hallo in hæc verba locutum eſſe; ***Accuſabunt me de prece mea quam habui pro bono ſucceſſu magnæ Actionis initio Parliamenti, & de verſiculis quos in fine addidi, Gentem auferte perfidam, &c. Verum quidem eſt oraſſe me pro fœlici ſucceſſu magnæ illius Actionis, ſed dicam illis, intellexiſſe me illam reſpectu ſeueriorum legum quas pertimui tunc aduerſum Catholicos faciendas, & illa mihi reſponſio ſufficiet.*** Iurarunt præterea dicentem illum audiſſe, *Neſcio quomodo ſatisfaciam illis de eo quòd Caughtonam illo tempore profectus ſum*; & alterum illud quod Hallus quoque confirmat; [m] ***Si me hac de re purgare potero, quod me facturum ſpero, nihil penſi mihi eſt quid aliud habeant quod obijciant***

[m] Hall. confeſſ. Mar. 6.

ant mihi. Quorum verborum sententiam literis ad Sayerum citrei mali succo scriptis ostendit, videlicet, [n] *de Hispanica proditione Regiam se indulgentiam diplomate munitam obtinuisse, pyriopulueream actionem sperare depellere, quòd in se probatio defutura sit.* Iurarunt denique Corycæi dixisse illum Hallo *Catesbeium Elizabethæ Reginæ tempore proposuisse sibi quæstionem, liceré tne puluere sulphurato Comitia sufflare:* cui fidem facit quod illum ante diximus scripsisse ad Annam; *Duos è coniuratis testatos, dixisse ipsis Catesbeium, hoc se à Garneto Elizabetha viuente interrogasse, illumq; annuisse.* De hoc colloquio Garnetus pòst ab honoratissimis Delegatis interrogatus, [o] negauit vllum sibi cum Hallo intercessisse, & vehementiùs postulatus, abiurauit, mendax furcifer, diras sibi grauissimas imprecatus siquod habuisset, non absque stupore aliquo eorum quibus præsentibus tanta perditissimi nebulonis impudentia tam luculentèr perspecta est; vbi Halli confessione & testimonio mendacij conuictus, obmutuit cum pudore & veniam petijt, professus peccasse se nisi ęquiuocatione iuuaretur. De hac re scribit ille ad Patres & fratres; [p] *Vbi me Consiliarij Regij de colloquio cum Hallo postularunt, negaui vllũ interfuisse. Coegerũt me ad diuersas protestationes quibus vsus sum cũ intentione æquiuocationis. Dixerũt, Hallũ confessum esse. Respondi ego, me tamen confiteri nolle; Accuset ille seipsum falsò si volet; ego certè non faciam. Vbi rem illùs exploratam vidi, obticui; scandalizati illi sunt, sed quid facerem? cur non licita omni libertate vtendum esset?* Nempe sic Martyres Iesuitici solent; hæc diuorum vestrorum fides & conscientia, quibus animas suas de mendacio stipulari haud illicita libertas est. Hìc verò Martyr infernalis cùm tot argumentis peteretur, *tantaq;* se *nube testium confundi* videret, & porrò iam hac de re ignominioso rubore suffusus staret, tandem quasi deprehensùs in crimine conscientiam agnouit, remque se à Grenwello accepisse, sed tamen, ne proditioni desit operculum, nonnisi per confessionem accepisse. Mirum quàm ægrè hùc adductus sit, quámque in omnes formas se verterit, quot prætextus excogitarit ne coniurationem sibi vllo modo subintellectam fateretur; qui hìc vndiquaque conclusus, vltrà se sensit elabi non posse. Sed hìc videtur apud suos in notam aliquam reprehensionis incidisse; quare excusat se ea de re ad Patres & fratres: [q] *Causa qua inductus sum agnoscere conscientiam meam, fuit; quòd accusauerant*

[n] *Actio in proditores, pag.* 86

[o] *Actio in prodit. pag.* 106. 107.

[p] *Autogr. lit. ad Patres & fratr. Domin. in Ramis palm.*

[q] *Autogr. lit. ad Patres & fratr. in Ramis Palmarum.*

uerant me omnes qui antecesserant, Catesbeio nomen meum obtendente quo alijs persuaderet, qui me multò magis reum existimarunt quàm verè fueram; ita vt confessio mea multò magis honestaret me & amicos meos quàm secus; maximè verò quod dum ego cum Hallo ad ostia nostra diuersa colloquia haberem, duo testes ad ostium tertium inaudirent omnia, &c. Porrò, inquit, *interceptæ sunt nescio qua perfidia literæ meæ ad Dom. Annam aurantiorum succo scriptæ, per quas aduersum me aliquid ansæ arripuerunt, quanquam sine causa. Quare coactus sum necessariò notitiam meam fateri; nec prudentiæ fuisset contra clarissimam euidentiam tormenta perpeti, quæ, Deo gratias, pro meliori causa sustinere potuissem. Atque hìc coactus sum quoque nominare Grenwellum, quod nunquam fecissem, nisi mihi pro certo dictum fuisset ab amico eum in partes vltramarinas euasisse. Quòd nisi ita sensissem, colligere me oportuisset sensus meos ad aliam* FORMALEM FABVLAM *excogitandam; re verò ita, vt factum est, habente, necessarium illud erat. Primò namque non poteram à coniuratorum aliquo mutuatam dicere notitiam meam; hoc enim contrarium erat religiosissimis protestationibus meis quas scripto feceram Catholicis omnibus, & verbo Consiliarijs Regis. Secundò, vidi eum pluribus confessionibus non minùs quàm me accusatione petitum, & optauerant Commissarij se illum pro me habere potuisse.* Et eadem de re ad Annam amasiam; [r] *Ita me comperi,* inquit, *notatum ab omnibus qui præcesserant, maximè verò testimonio duorum qui confessiones nostras & colloquia audierunt & perperàm intellexerunt* (sic enim credi voluit) *vt ad excusationem actionum plus valere arbitrarer veritatem agnoscere, quàm tormentis stare aut testium probationi.* Et paulò post, *Cogitet quisque apud se, si vicies tricies interrogatus fuisset coram totius regni consultissimis viris præter particulares congressus cum Præside arcis, quid post tot euidentias facere potuisset; nam coniurati omnes se certos putabant, & liberè vsi sunt nomine meo, quanquam profiteor nunquam quenquam eorum* (nam hoc quoque videri voluit) *mihi aliquid dixisse.* Hic videre est malefidum vafri hominis ingenium, à quo nihil vnquam in hac causa ingenuè profectum est, qui negando, simulando, mentiendo, peierando, transferendo, *formales fabulas* excogitando celauit omnia, præterquam quæ clarissimis indicijs & ipsamet rerum euidentia extrita atque expressa sunt. Scilicet [f] *interrogatus quis,* inquit, *à magistratu, respondere*

[r] Autogr. lit. ad Annam, Apr. 3.

[f] Actio. in Prodit. pag. 107

non

non tenetur donec testes in illum producantur, quia nemo tenetur prodere seipsum. Esto verò hoc quod dicit, an ideò licet cum abiurationibus & execrationibus inficiari, quorum tuum te pectus conscium clamat? Certè quidem licet non prodere seipsum, certè tamen mentiri & peierare non licet. Ac per hanc mendaciorum & periuriorum indolentiam multa in hoc negotio latuerunt, quæ facilè fidiculis & equuleo extorqueri potuissent, sed tamē ad reatum satis est quòd conuictus se conscium proditionis agnoscit; benè quòd hoc illi tandem arte atque opera exterebratum est. Atque ab huius conscientiæ stimulo profecta illa sunt quibus tandem reum se profitetur, & veniam petit à Deo, à Rege, gloriamque illam Martyrij quam Martyrianus iste noster, insanus Apologista, dementatus à Satana per incredibilem amentiam attribuit, ipse sibi priùs abrogat quàm attributa sit. Inde extrusæ voces illæ in iudicio, [t] *Plus se fecisse quàm excusare posset;* [u] *orare Deum & Regem ne illius causa reliqui Catholici peius habeantur;* optare [x] *vt nunquam sibi puluereæ illius coniurationis negotium innotuisset.* Inde confessio illa quam post iudicium manu sua descriptam dedit, quam hìc integram appono: [y] *Ego Henricus Garnet presbyter è societate Iesu liberè hìc coram Deo testor, me nuperam illam intentionem puluereæ actionis prorsus illicitum arbitrari, & prorsus abhorrendam; cùm ratione iniuriæ & proditionis in Regiam Maiestatem & Principem aliosq́; qui tunc scelere atrocissimo cædendi fuissent, tum respectu infiniti numeri aliorum innocentium qui tunc præsentes extitissent. Porrò profiteor me semper illa opinione fuisse, haud licitum fuisse vim aliquam in Regem remuè publicam tentare, postquam ille semel in Regem susceptus est. Quinetiam testor obligatum me reuelare notitiam omnem quam habui huius vel cuiusquam alterius proditionis extra sacramentalem confessionem. Et quòd partim spe præuentionis; partim quòd amicum prodere nollem, non reuelauerim generalem notitiam intentionum Catesbeij ab ipso perceptam, agnosco me grauissimè reum, & offendisse Deum, & Regiam Maiestatem, & regni statum; & ab omnibus veniam implorare; Catholicosq́; omnes exhortor nequo modo me sibi exemplum statuant, sed prece alijsq́; modis pacem regni quærant, sperantes in Regis ad misericordiam propensione consueta se pace fruituros, nec meorum vel alienorum delictorum vel criminum onera subituros; in cuius rei testimonium scripsi*

[t] *Actio in Proditor. pag. 127.*
[u] *Ibid. pag. 129.*
[x] *Ibid.*
[y] *Autograph. cōfess. Garnet. Apr. 4.*

 hoc

hoc manu mea. [z] 4. *Aprilis Henr. Garnet.* En hìc, Andrea, vt se Martyr tuus *reum* agnoscat, & quidem *grauissimè reum, tacendo quam à Catesbeio acceptam habuit generalem notitiam*, qua intellexit, vt ante visum est, moliri illum aliquid ad exterminium Regis & regni calamitatem; propterea veniam à Deo & à Rege precari. Tu illum reum negas qui ipse se dicit reum? Ille veniam implorat; & tu nihil fuisse fabularis cur imploraret? Quis te verò alienæ conscientiæ dictatorem fecit? Ac de hac confessione scribit ad Patres & fratres: [a] *Veniam oraui à Deo & à Rege quòd non patefecissem generalem illam notitiam quam habui à Catesbeio; cuius rei ratio fuit quòd sperarem Papæ præuentionem, & repugnaret animo meo amicum prodere.* Tantundem ad Grenwellum scripsit; [b] *Hesterno die scripsi ad Regem, & testatus sum me quod nunc facio semper intentionem illam damnasse, & potuisse me quidem reuelare generalem notitiam à Catesbeio habitam extra confessionem, nisi quòd consilium hoc sperauerani à Papa impediendum, & amicum prodere nolueram, & hactenus confessus sum peccasse me in Deum & Regem, & veniam obsecrare.* Ita peccasse se fatetur, & frustra hoc inficias itur; sed tamen vbique peccatum imminuit dissimulando quantũ potest, ne tanta illa, quæ dicitur, sceleris atrocitate peccasse videatur. Frustra verò folia illa in tam turpi nuditate. Frustra est quòd se ait *omnes in Regem insurrectiones illicitas existimasse*, qui tam multarum antè proditionum, nominatim verò illius contra Regem coniurationis Hispanicæ particeps fuisse conuincitur. Frustra illud quoque quòd *semper damnasse se ait intentionem hanc*, quem antè profitentem audiuimus non ausum se damnare Theologorum illorum opiniones quibus Catacatholica ista scelera probata sunt, *quique pro fœlici successu actionis* homo religiosissimus orauit, modò suo & suorum bono sit. Quin & illud quoque ridiculum *sperasse à Papa interdictum iri omnia*, cui nunquam vel occultæ proditiones vel apertæ seditiones improbatę sunt, nisi quibus vel incerto exitu periclitandum sensit, vel huic intentioni qua rem omnem vno momento transigendam sperauit, nasciturum impedimentum; quem de *particulari stratagemate* certiorem fecit Iulio mense anno 1604. & à quo vsque ad exitum causæ mense Nouemb. anno 1605. pro impediendo negotio nihil responsi habuit. Quare & illud quoque ridiculum quod habet ad Patres & fratres: *Scripsi Romam*

[z] *Diem quartum scribit per lapsum memoria qui fuit nonnisi tertius, vel certè scripta sunt die 30. data non ante quartum.*

[a] *Autogr. lit. ad patres & fratres. vt supra.*

[b] *Autogr. lit. ad Grenwell. Apr.* 4.

mam subinde clanculum pro censuris; an enim vllas vnquam obtinuit? immò nec ipse dicit obtinuisse. Quin potius Bullas accepit quæ tremendæ actionis exitum præstolarentur, quibus funestatam iam illorum spe atque opinione remp. magis adhuc & miseriùs funestaret. [c] *Conatus sum*, inquit, *impedire plusquam homines opinentur, quod Papa testabitur.* Optimè verò; Papa scilicet testis est; nemo præter Papam. Sciscitetur illum qui volet; nobis de mendacio satis testimonij ab ipso est. *Noluisse se* ait *prodere Catesbeium.* Atqui non hoc fuit; quin illud potius fuit quod ad Annam scripsit; [d] *Meum non erat, quantum quidem existimaui, rem detegere.* Contra officium scilicet esse putauit, edere in lucem arcanum quod reip. siue Romanæ siue Iesuiticæ tam honorificum tamque fructuosum esse posset. *Generalem tantùm notitiam à Catesbeio accepisse videri vult*; sed frustra hoc, quia saltem in eo particularem, quòd apertè significauit contra Regem & regnum machinationem intendi, darique operã vt extrudant per Bullam Papalẽ quem ante per illam excludere debuissent. De confessione dicendum postea suo loco; interim ex hac quam expressimus conscientia quid ille de Martyrio suo senserit, quàm nihil visus sibi sit latibulo illo confessionis ad hanc palmam profecisse, testis ipse esto, qui cùm visitarent illum ante supplicium præ alijs tres Decani, viri ornatissimi, alter Sacelli Regij, Westmonasteriensis alter, tertius Paulinus, è quibus ex illo tempore duo priores ad Episcopatum prouecti sunt, cùm inquam visitarent illum, & sermone vltrò citroque habito sciscitarentur tandem, si illum Ecclesia Romana in Martyrum fastos inscriberet, ecquid ipse se verũ Martyrem existimaturus sit; in hæc verba non sine magno affectu erumpit; *Egonè vt sim Martyr? Atat, qualis ego Martyr? Atqui nunquam hoc Ecclesia factura est, & faxit Deus ne hoc illi vnquam in mentem veniat. Enimuero si pro religione Catholica mors mihi subeunda esset, neque quicquam resciissem præterquam quod per confessionem perdidiceram, poteram fortasse ab honore Martyrij non alienus videri, poteram non immeritò iudicio illo Ecclesiæ condecorari. Iam verò peccatum agnosco meum, neque diffiteor sententiam mortis in me denunciatam iure optimo ac merito meo decretam esse.* Et porrò addit cum gemitu; *Vtinam efficere possem facta vt infecta sint; vtinam quiduis mihi aliud accidisset quàm vt macula proditionis in nomine meo insideret; quod*

vtut

[c] Autogr. ad Ann. Apr. 3.

[d] Autogr. ad Annam Vaux. Apr. 3.

vtut grauissimum peccatum sit, spero tamen Christum mihi pœnitenti condonaturum. A quo tamen vt immunis mori possim, neuè in animo meo infixum neuè in iudicij mei memoria impressum hæreat, quid non daturus sim vel ad vniuersum vsque orbem, si penes me esset vt dare possem? Ac de hac professione sua scribit ipse ad patres & fratres: [e] *Adfuerunt mihi tres Decani qui consilium mihi dederunt de contritione, confessione, satisfactione. Respondi, me mihi quod ad ista pertinet non defuturum, cum illis verò nihil rei habiturum, quòd non liceret.* Et paulò pòst; *Interrogarunt me,* inquit, *ecquid arbitrarer me Martyrem obiturum. Respondi, minimè hoc sed pœnitentem latronem. Idem quoque aliquantò antè dixeram Attornato Regio, miranti quòd vnumquemque mensis diem Sancti alicuius memoria insignirem? Quid,* inquit; *vnicuique diei Diuum aliquem habes ascriptum? at tu ipse locum in Calendario non sortieris. Minimè, inquam ego, neque hoc expecto, sed spero me locum in cœlo habiturum.* Ad Annam verò suam scripserat ille antea in hæc verba: [f] *Scripsi hodierno die detestationem facinoris illius, quam Rex videre possit, & quidem mori me agnosco nō Martyrem triumphantem sed pœnitentem latronē, quod me spero quidem facturum. Atque hoc dicam ad patibulum, quicquid alij prius dixerunt vel senserunt.* Ibi verò de Anna subiungit; *Quantumuis mihi tanquam latroni moriendum fuerit, tu tamen pro certo statuere poteris eam esse innocentiam tuam, vt non dubitem quin si per occasionem carceris mori tibi contigerit, eo Martyr obitura sis.* Atque hactenus nobis historia Garneti ex certissimis actorum publicorum monumentis descripta est, & eò tandem perducta res, vt ipse conscientia sceleris oppressus reatum suum miser apertè profiteatur, nec in morte sua religionis & Martyrij, sed proditionis & latrocinij causam actum iri denunciet. Abi iam ergò, Andrea, insanum caput, & mitte mendacia illa tua tam spontè concepta, quibus Martyrem tibi dementissima κακοζηλίᾳ tam operosè pingis in inani. Frustra hìc sudas, mi homo, & omnem hunc laborem tuum præoccupauit & irritum fecit Garneti tui recognitio, quæ, velis nolis, verissima est, & tibi pariter atque illi perpetuum stigma perfidiæ tanquam cauterio quodam inuret, vt posteritati omni meritò ille proditionis infandæ damnatus, tuaque defensio cum immani scelere coniuncta remansura sit. Vnum hic porrò præterire non debeo, quod me commonefacit capitis huius conclusio

[e] Autogr. ad patres & fratres vt supra.

[f] Autogr. ad Annam Vaux, Apr. 3.

clusio tua, qua Fauksium commemoras nisi illum satellites improuisum occupassent, ignem inijcere pulueri, seque vnà ac Comitium tollere voluisse; deinde comprehensum nihil territum constitisse, facinusq; meditatum alacri vultu præsetulisse, *vt satis appareat*, inquis, *odium desperatione efferatum omnem doloris & humanitatis sensum exuere*. Quin dicendum potiùs, *vt appareat, Romano-Catholicismus vester quò furoris & insaniæ perducat homines*; ad quæ monstra scelerum obduratos efficiat, quàm omnem prorsus patientiam & humanitatem tanquam fascino quodam animis excutiat, & rabiem quandam ingeneret, qua vt superstitione sua potiantur, turbæ, seditiones, incendia, proditiones, sanguines, omnesque perduellionum immanitates assiduè illis in voto sunt. Tale tu hìc popularium tuorum, Recusantium nostrorum ingenium narras, tumultuosum & turbulentum, quod, nisi fræno vehementer coerceatur, assiduè ad vim armorum & rebellionem insolescat. Ea de re Garneti tui literas affers, in quibus ille; [g] *Si negotium*, inquit, *tolerationis minùs successerit, id Catholici non videntur laturi. Quid igitur agendum? Nam Iesuitæ quidem eos in officio continere non poterunt*. Et rursum alijs literis: [h] *Catholici ferè omnes in desperationem acti videntur. Multi etiam de Iesuitis queruntur, quòd impedimento eos esse dicant quominùs aperta vis adhibeatur*. Quin & eodem negotio tertias literas profers. Ibi ille; [i] *Pro meo parte quater hactenus tumultum impediui. Duo sunt quæ nos valdè solicitos tenent, primum ne alij fortasìis in vna aliqua prouincia ad arma conuolent, vnde alios ipsa necessitas ad similia studia compellat. Ausi sunt viuo Papa Clemente interrogare, num possit Papa illos prohibere quominùs vitam suam defendant. Dicunt insuper, suorum secretorum Presbyterum nullum fore conscium; nominatim verò de nobis conqueruntur, etiam amici nonnulli, nos illorum molitionibus obicem ponere. Alterum est aliquantò deterius, quia periculum est ne priuatim aliqua proditio, vel vis Regi afferatur, & hoc pacto omnes Catholici ad arma compellantur*. Ita tu Catesbeium inducis [k] *incusantem Iesuitas quòd nunc opponendo Pontificis imperio, nunc extollendo patientiæ bono, nunc ostentanda inani quadam spe melioris fortunæ, Catholicos distinerent quominùs communi consilio sibi rebusq; suis consulerent*; & reliquos communi voce dictitantes, [l] *Catholicis neque vires neque animos deesse, quibus si communi consilio rem agere statuant, sibi patriæq; prodesse possint; quid attinere*

g Pag.241.
h Pag.249.
i Pa.253.254.
k Pag.249.
l Pag.251.

nunc iniecta rerum meliorum spe, nunc obiecta religione Pontificij imperij homines à salutaribus consilijs deterrere? Nempe hæc illa vestra iam est Catacatholica disciplina; sic instruuntur vestri à vobis *in patientia sua possidere animas suas*, quas vobis authoribus, in perfidia sua & impatientia perdunt. Quibus si vetus illa Christianorum Ecclesia similes aluisset, iam olim Christiana religio, facta per illos exosa & inuisa, ex orbe terrarum exulasset. Neque verò iuuant vos spurij illi colores vestri, quibus videri vultis consilijs istis aduersari, quominus hæreat vobis accusatio ista; quia satis notum illis dogma vestrum de mulctandis imperio Principibus, cui ægrè nonnunquam ferunt nonnisi cautione vestra & timiditate remoram dari. Satis compertum illis est non improbanda vobis consilia ista, sed tantummodò commoditati temporum seruanda iudicari, nec damnari à vobis motus & proditiones, sed id solùm agi ne seditio immatura, & minùs opportuna cedat in damnum, quæ si lucro ceciderit, nunquam certè vobis ingrata est. Inde monitio illa ad vestros, quam supra meminimus, omnia vt in procinctu ad rebellionem habeant, sed nequis se commoueat nisi symbolo priùs à vobis dato, & Gregorij 13. gratia illa suis facta, omnia vt differantur, *quousque Bullæ executio commodè fieri possit*. Quia verò moras istas vestri, nimiùm animis efferati, & ad pericula sua temerarij nonnunquam & præcipites, haud facilè patiuntur, cogimini mandatis & censuris furores istos intempestiuos retinere, ne per eos grauiora vestra & certiora, quæ videntur, proditionum consilia in irritum eant. Atque harum prohibitionum prætextu, nonnisi ad insidias compositarum, ad fraudem faciendam abutimini, vt imperitis seriò & simplicitèr velle aliquando videamini, quæ nonnisi arte vestra ad creandum nobis certius periculum tractata sunt. Sed [m] *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum: quæ nimis apparent retia vitat auis*. Satis experti sumus imposturas vestras, & vsu didicimus ominari procellas & fulmina vbi maximus vobis de serenitate sermo est. Quòd *crudelitatem Regis* commemoras, vtinam ille in vos satis crudelis, ne sibi suisque nimiùm *crudelis* sit; vtinam ne foueat in sinu suo serpentes vestros; neue nimia patientia incendio suo fomitem addat; vtinam vos pro merito vestro tract[e]t, perfidum & ingratum genus hominum, quos nulla beneficia lenire, nulla mansuetudo cicurare potest; quibus

m Prou. 1. 17.

bus benignitas ipsa crudelitas est, nisi omnia libitu vestro esse sinantur.

CAP. X.

Reliquos Iesuitas, Hallum siue Oldcornum, Hammondum, Gerardum, Grenwellum, eiusdem proditoriæ coniurationis fuisse reos.



QVod in inscriptione positum est ab interprete libri de Proditoribus, intellige, Andrea, è regula factum esse, qua prima esse solent loco & nomine, quæ primaria in rebus sunt. Quare quia Garnetus in illa proditione primarius fuit, è cuius authoritate atque sententia totius negotij procuratio pependit, meritò dicitur à principali reo *Actio in Garnetum*, quantumuis illa in Garnetum actio in posteriore libri parte sit. Et quidem optimè cecidisset, si in Baldwinum tunc & Grenwellum & Gerardum agi potuisset, vt non *Actio in Garnetum cæterosq́ Proditores* scriberetur, sed *Actio in Garnetum, cæterosq́ Iesuitas, & aliorum nominum Proditores*. Tu iam credi vis voluisse nos in inscriptione cæteros Iesuitas intelligi, ineptè illud quidem, quia præterquam in Garnetum sceleris antesignanum nihil ibi tum in quenquam Iesuitam magno illud quidem infortunio actum esse memoratur. Cæteros verò Iesuitas habuisse in proditione illa partes suas, spero liquidum fore postquam ex indubitatis indicijs constiterit tua illorum defensio quàm vanissimis rationibus constituta sit. Ac quod ad Hallum pertinet qui apud te primus occurrit, siue Oldcornus sit ille, siue Vincentius, siue Parkerus (nam & ille quoque de more latronum multinominis fuit) manifestum est fuisse illum Caughtonæ, quò conuentus proditorum esse debuit, quo die Garnetus, referente ipso [a] Hallo, concionem illam habuit, de qua supra dictum est, & *pro fœlici successu magnæ Actionis*, reliquo cœtu ad suffragium inuitato, ad Deum precatus est; qua vna re, si à sobrijs æstimetur, rectus ille in Curia stare profectò non potest. Quis enim credat ignorasse illum *magna illa actio* quid sonaret, quando ne fœminæ quidem eorum ignorarunt? è quibus fuisse testatur Garnetus quæ quæsierant; [b] *Quò se conferrent donec impetus ille transactus esset initio Parlamenti*,

a *Hal. confess. Mar. 6.*

b *Garn. confess. Mar. 12. & Autogr. ad Patres & fratres.*

menti, quod Annam sibi narrasse fatetur; quanquam est alicubi, Annam ipsam hoc ab illo sciscitatam esse. Postquam verò detecta coniuratio est, mox ille in pedes se proripit & latebras quærit. Cur verò fugit? Cur oblitus illud; *Hic murus aheneus esto, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa?* Sed [c] *fugit impius nemine persequente*, & horret vmbras & decidua foliorum, qui sceleris sui furijs agitatus incedit. Ita verò fugit vt Grenwellum passu superaret, & prior Abingtoni damnatas illas ædes sibi perfugium facit. Eò venit ad illum post non multos dies Humphredus Littletonus; quos inter se sermones habuerint, dicat Hallus ipse suis verbis manu sua descriptis: [d] *Dicente mihi Humphr. Littletono Catesbeium cùm se aliosq́; quosdam è coniuratis nitratro puluere perustos videret, cæterosq́; iam ab eo diffugere paratos, cœpisse cogitare se Deum in hac actione offendisse, quandoquidem inde tam mali effectus sequerentur, Respondi ei, non damnari actionem quamnis vel iustificari ex consequente illam euentu bono vel malo, sed ex fine siue obiecto & modo qui pro eadem perficienda adhibetur. Protuli verò exemplum è libro Iudicum, vbi vndecim tribus Israelis iubentur à Deo in Beniamitas bellum gerere, & tamen in prælio primo atque secundo Beniamitæ ab vndecim illis victoriam reportant. Idem quoque legimus,* inquam, *de Ludouico Rege Galliæ, qui profectus ad bellum Turcis inferendum, & ad terram sanctam recuperandam, maximam partem exercitus amisit, & peste ipse extinctus est. Idem dicere poterimus, vbi Christiani Rhodum defenderunt contra Turcam, quando Turcæ præualuerunt, & Christiani profligati sunt, & tamen dubium non est quin Christianorum bona causa fuerit, Turcarum verò mala. Et ita hoc ad Catesbeij factum accommodaui; non esse probandum vel damnandum ex euentu, sed ex proprio obiecto vel fine, & medijs in illo adhibendis, & quia de istis nihil scio, neque probo factum, neque condemno, sed Deo relinquo & ipsorum conscientijs; & cum hac cautione locutus sum ei, quòd dubitaui venire eum ad insidias mihi faciendas, & nequid aduersum me de verbis meis arriperet, siue ea Catholicis narraret, siue Protestantibus.* Conuictus Hallus expressa Litteltoni confessione rem ipsam satis apertè agnoscit; tantummodò attexit quædam & intermiscet quæ cum occasione non conuenire, quæque ad sceleratæ defensionis excusationem studio composita esse quis non videt?

c Prou. 28. 1.

d Autogr. Hall. Mar. 12.

videt? Nam quod tu ais, Andrea, factum *vt importuniùs instaret Humph. Littletonus post patefactum coniuratorũ consilium, vt suam ea de re sententiã aperiret*, totum, Hallo ipso teste, falsissimum est. Neque enim Littletonus quicquam ab illo scitatus est; tantummodò exposuit ab illo casu quæ Catesbeij mens, quæ sceleris sui conscientia fuisset. Perculsus animo Catesbeius ex illa pulueris inflamatione, de incœpto suo dubitat & Deo plurimùm displicuisse suspicatur, & tantundem narrat Hallo Littletonus, & simplicissimè narrat, nulla inde proposita quæstione. Hìc ergò Halli responsio, *Facta ex euentu non esse metienda*, cordati homini quid aliud sonat nisi perperam sensisse Catesbeium, nec damnandum facinus illud tam atrox & inhumanum quantumuis successu caruisset, haud magis quàm illa quæ commemorat probatissima rebus ipsis, & tamen tristi exitu luctuosa? Sed expendenda verba tua sunt. *Negauit*, inquis, *ex euentu in hoc rerum genere causæ bonitatem satis dignosci posse*. At quod illud est *genus rerum* quod narras nobis? Certè enim proditiones & parricidia & seditiones & rerump. incendia in illo sunt *rerum genere*, quæ citra rationem euentus ipsæ per se damnabiles existimandæ sunt, vt perinde hìc pro Hallo tuo insanias acsi dicas, in veneficijs & adulterijs & latrocinijs & periurijs & eiusmodi alijs sceleratis consilijs rerum bonitatem ex euentu dijudicari non posse, quæ omnia ipso genere suo dijudicantur mala. Frustra ergò hìc Hallus de fine loquitur & modo, quia quæ per se impia sunt, bonitatem à fine vel modo mutuari non possunt. Quorum ille tamen eò mentionem facit vt factum Catesbeij dilaudet, & quanquam successum non habuisset, bonum tamen fuisse pronunciet, quòd fine videlicet optimo, pro Catacatholica religione restituenda susceptum esset. At *illud etiam addidit*, inquis, *se de ea cõiuratione nihil planè pronunciare, sed Deo & coniuratorũ conscientijs integrã permittere*. Immò ipse se dicit addidisse, sed per mendacium dicit, reuera non addidit, neque causa fuit cur pronunciaret, quia nihil quæsitum ab illo est. Quanquã esto vt addiderit; certè in eo suspẽdio dignus furcifer, qui de prodigioso scelere, quod abhorret natura ipsa & refugit, sententiã suspendit, & quia rem nõ dixit impiam, certè eo ipso voluit existimari videri piam. Quare nihil est quòd tantoperè labores de adijcienda illa clausula, quæ adiecta conuincit illum extra omnem controuersiam fuisse proditorem. Sed animaduertendum

tendum porrò est quod subiungit Hallus, quo responsionis suæ mentem interpretari videri vult, *cautè se locutum quòd timeret à Littletono insidias, & nequid aduersum se haberet siue Catholicis verba narraret siue Protestantibus.* At falsum est illud quod ait de *timendis insidijs*; nam si timuisset insidias, non conuenisset hominem, in cryptam se contulisset, nec indicium sui fieri sustinuisset. Et qui timeret ab illo insidias quem parem habebat in causa & pariter secum in discrimine versantem intellexit? Fuit postea quod timeret postquam comprehensum audiret; iam verò quod timeret nihil fuit. In illa verò *cautione*, si verè narraret, ipsissimum agnoscere liceret verissimi proditoris ingenium, vafrum & versipelle, quo responsionem ita temperat, vt nobis fucum faciat & suis interim Catacatholicis facinus sibi satis probatum esse defendat. Suis certum esse vult laudare se nefarium consilium, ne ab illis dissentiat; sed tamen haud satis explicatè dare sententiam, ne sibi apud nos periculum creet. Cęterùm verò constat Littletoni confessione falsas esse appendices istas & de posterioribus Halli cogitationibus natas, tantummodò ad minuendam responsionis inuidiam qua se iam sensit prægrauari conquisitas. Quod tu vt euites, ais *Littletonum in loco supplicij inspectante populo veniam ab Hallo petijsse.* In quo videre est stoliditatem tuam qua te tuorum fabulis deludendum nobisque deridendum vltrò propinas; videre est quàm incertæ nulliusque planè fidei sint, quæ te toties narras *amicorum*, hoc est, mendacissimorum hominum, *literis habere comperta*, qui vitio sibi vertendum non putant, quòd, cùm te verè Cretensem agnoscant, liberè sibi cum homine Cretensi Cretizandum arbitrentur. Certè enim non adfuit Hallus in vltimo Littletoni supplicio, quia quamuis eodē die, vt tu ais, & eodem loco morte affecti sunt, priùs tamen restim suam hauserat Littletonus quàm Hallus à carcere ad patibulum adductus sit. Luerunt eodem die supplicia quinque alij; sed non simul omnes supplicia luerunt; tantùm bini post binos ad crucem raptati sunt. Ac binarium primum explerunt Humphredus Littletonus & Ioannes Winterus, qui fatum suum antē obierant quàm Hallus in locum certaminis adueniret, vt Littletonus certè nisi mortuus *veniam ab illo inspectante populo petere non* posset. Quanquam quia erat Littletonus mira superstitionis vestræ fatuitate ac dementia fascinatus, & in profanis illis ac sceleratis

moribus obseruantissimus Patrum qui liberales absolutionum gratias indulgere possent, haud alienum à fide arbitror potuisse illum aliquando & alicubi postquam moriendum sibi sensit, veniam ab Hallo petere; nempe quòd responsionem suam priuatim habitam enunciasset; quòd, vt vitæ suæ consuleret, indicasset illum in execrandis illis Abingtoni foueis latitantem; non quòd falsum quicquam de illo dixisset, non quòd illum, vt tu fingis, per calumniam traduxisset. Sed quæ Halli mens in hac causa fuerit clariùs intelligemus si attenderimus quo fine venerit ad illum Humphredus Littletonus. Missus est scilicet à fratre suo Stephano Littletono & Roberto Wintero internuncius, quorum nomine obtestetur Hallum vt illis de fugæ ratione viaque ac modo periculi euadendi consilium det, locumque aliquem prospiciat vbi securi sint. At cur ad Hallum mittunt? cur ab illo siue consilium siue auxilium expectant, nisi quòd suæ farinæ hominem norant, proditores proditorem, sed in illa vita erratica & proditoria magis ad latebras assuetum, vt illum arbitrarentur ex vsu iam & arte fugiendi & latendi astutias & dolos edocere potuisse. Sed quid ab illo responsi ferunt? Nempe dicat ipse primò suis verbis quem satis ingeniosum non dubitamus *ad excusandas excusationes in peccatis.* [e] *Tantummodò hoc*, inquit, *responsum dedi, nihil me iam in præsenti posse, quòd pagi omnes viæq; & compita vigilijs & custodijs obsiderentur.* Itanè verò hoc totum fuit? Immò inquit, *post tres circiter septimanas venit iterum ad me in eodem negotio. Respondi verò, parcendum mihi ne vltra ad me veniat, quòd in actione ista Dunchurchij fuisset; facturum verò me quod penes me esset* (*quanquam sic animus*, inquit, *non fuit*) *& ea de re audituros simulatq; de loco aliquo consultum esset. Sic animus*, inquit, *non fuit*, quasi verò animus hic aliundè quàm è verbis existimandus sit, quibus, quos proditores agnoscit, ijs se promittit de receptu & hospitio pro facultate sua prouisurum. Sed repetunt ista simpliciùs & veriùs quibus responsio data est, Robertus Winterus,[f] *bis misisse se ad Hallum* vt supra, *qui secunda vice renunciauit facturum se pro illis vltimum quod posset*; Stephanus Littletonus,[g] *misisse se ad illum, sed dilatos à bisseptimana in bisseptimanam quousque caperentur.* Iam hoc illi ad proditionis reatum satis fuit, communicare cum proditoribus, celare, spes illis alere, perfugium promittere, quæ leges perduellionis indicia & in nullo homine

e *Hall. confess. Feb.* 13.

f *Rob. Winter. confess. Ian.* 17.

g *Steph. Littelton. confess. Ian.* 17.

ferenda esse decernunt. Neque verò nihil hìc pro illis egit quia noluit, sed quia per illa tempora non potuit, & totus de Garneto suo solicitus fuit. Nam interim [h] *misisse se* fatetur *qui Garneto nunciaret vt ad Abingtoni domum accedat, & per hanc occasionem eò illum venisse circiter diem S. Barbaræ; quippe intellexisse Caughtonæ illum fuisse & in angustias redactum; inde certiorem fecisse aduentum eius Abingtono eiusque vxori gratissimum fore; sperare se posse illum ibi in tuto & absque periculo diuersari.* At cur ille Garneto metuit? Cur illum accersit? vnde factum vt illum in angustias redactum suspicetur? Nondum in illum edictum exierat, nec opinor nomen eius adhuc in causa proditionis huius auditum est. Nemo illum insequitur; nemo inquirit; vnde ergò vtrinque metus iste tantus & latendi solicitudo? Exclamet vterque quod in tragœdia nefarius ille, *Conscientia, conscientia.* Pungit eos scilicet sceleris sui conscientia stimulatque acerrimè, & irrequietos facit, vt præterquam in cryptis & subterraneis ferè ad centrum vsque fodinis & cauernulis nusquam sibi tutum esse cogitent. Sed hìc iterum Hallus tuus proditor est, qui proditori hospitium parat, qui inuitat, qui tutum & incolumem esse curat, quod interroga Pontificem tuum, Andrea, liberumnè cuiquam Romæ vel immune atque impune esse iubeat. Hoc tu vidisti optimè absque intertrimento Halli tui stare non posse, sed mendacio siue Halli siue tuo sarciendum curasti. *Oldcornus,* inquis, *hoc à patibuli scala testatus dicitur* (graue videlicet testimonium quod Oldcornus de se à patibuli scala testatus est) *necari se, non proditionis causa* (quod proditores de se ferè omnes credi postulant) *sed quòd Sacerdotis munera ritè in Anglia obijsset* (quorum de lingua Romana *ritè obedire Sacerdotium*, prout è Watsono antè diximus, manifesta regni periclitatio & proditio Regis est) *quódque Moderatorem suum Garnetum hospitio excepisset,* quem antequam excepisset, proditorem non ignorauit, & ea causa accersiuit quòd proditionis causa & nomine imminere ei periculum intellexit. *At id* inquis, *multò antè acciderat quàm ea coniurationis in Garnetum calumnia cuderetur.* Mitte *calumniam,* Dæmon, & dic, *antequam Garnetus coniurationis particeps intellectus est.* Id verò dum excipis, frustra facis, quia etsi nondum nobis, Hallo tamen particeps coniurationis intellectus est, qui Caughtonæ fuit in festo *Omnium Sanctorum,* & interfuit impiæ concioni, & hortante

[h] Hall. confess. Mar. 6.

hortante illo successum *magnæ Actioni* comprecatus est, ex quo *magnæ Actionis* conscium auribus suis audit, & tamen ea de re periclitantem ad se inuitat, & contra leges ei latibulum parat. Sed accessit porrò ad reatum quòd denunciatum post edicto Regio proditorem, retinuit tamen, & occultandum curauit, quod iterum vide an Pontifex vester Romæ ferendum putet; nobis certè nulla vel fingi exceptio potest quominùs eo ipso læsæ Maiestati reus sit. Iam mendacio concludis siue illius, siue tuo, vbi *gratias Deo agentem* facis; *quòd non antè coniurationis notitiam accepisset, quàm Londini patefacta totius iam regni sermonibus tereretur*; quod quàm à verisimili prorsus abhorreat, ex ijs quæ ante dicta sunt, satis abundè peruisum est. Nam qui Caughtonæ fuit in proditoria illa concione, qui post detectam coniurationem latere ipse, & Garnetum secum latere voluit, satis ostendit immunem se à conscientia proditionis existimari non posse. Iam in reliquo stultescis vt dialecticorum te asinum ostendas qui calcibus ferire didicisti quos pugno non potes. Potuit Hallus tuus dicere, neque negauit dominus Attornatus quin dicere potuisset quod ante illum Poeta dixit,

Careat successibus opto
Quisquis ab euentu facta notanda putet.

Sed intellige, animal inuisum, facta quædam esse media quæ in discrimine est, bonamnè an malam in partem interpretari debeas, quæ proinde absque temeritate ab euentu æstimari non possunt: quædam verò, prout ante diximus, ipso actu suo esse mala, quæ si quis excusat, vbi exitum sibi proprium sortiuntur, quòd euentis facta censeri non debeant, næ ille dimittendus è scholis & ad medicos relegandus qui sanandam phrenesin & caput helleboro purgandum curent. An tibi verò dialectica opus est, vt Catilinos & Lentulos & Gabinios è rep. exterminandos esse cognoscas? vt proditiones & Principum cædes & strages innocentum, & conioratas regnorum à ciuibus suis subuersiones intelligas in nefarijs & damnatis actibus numerari oportere? Quare non id agit dominus Attornatus, ne verum aliquando sit, facta ex euentis non esse metienda, sed in eo reprobam Halli mentem ostendit, quòd hoc prætextu dirum facinus, incœptum per se impium & execrabile, quo nunquam Sol quicquam immanius vidit, quo vix infernus ipse quicquam habet damnabilius, quod damnasset ille protinus nisi damnata ipse sententia fuisset,

minimè damnari debere, minimè malum aut illicitum habendum esse persuadet. At *qui potuit damnare*, inquis, *cùm re tum primùm patefacta exploratū non haberet quibus adducti rationibus coniurassent?* At tu nequam, tuanè sic ratio est vt sceleratissimis coniurationum consilijs rationes suæ esse possint quæ patrocinio suo iuuent, ne damnanda illa videantur? Nempe hoc illud est,

i Rom.3.8. [i] *Faciamus mala vt veniant bona:* simus adulteri vt possimus esse casti; pro fide propaganda perfidi simus & perduelles. Sed pergis; *An temerè spectatæ alioqui probitatis & religionis viros indicta causa damnare debuit?* At ô te sceleratum caput, cui monstra ista hominum, de inferno sulphurata, pestes orbis, rerumque incendia *spectatæ probitatis & religionis viri* sunt. Sed hæc Iesuitarum probitas; hæc religio vestra, qua nemo vobis non pius est, ne Bainhamus quidem, qui vobiscum & pro vobis impius esse non dubitat. Nulla verò probitas illis, nulla religio esse potuit, quibus Dei timor ita nullus fuit, vt igniculos omnes conscientiæ suffocare, vt exuere quos natura ipsa indidit scelerum frænos & retinacula, vt ab hominibus in feras, in canes, in lupos, in tigrides, & nescio quæ generis humani portenta degenerare tam facilè possent. Denique qui *puduisse* dicis *causam Halli Londini disceptare quòd nihil in eum, ne suspicione quidem probaretur*, intellige leges haud minùs iustè Wigorniæ quàm Londini dispensari, vtrobique eodem iure causas agi, damnatum ibi Hallum tuum de plusquam triginta hominum iuramento & conscientia; fœtere ibi nomina pariter Halli atque Garneti, & esse ibi qui tibi quoque parem mercedem debitam sciant. Atque hic consecro memoriam tuam, ciuitas egregia Wigorniensis, quæ iam olim ad veram religionem instituta, & ad eam quoque nonnihil ministerio meo confirmata, propensa in Regem fidelitate atque officio verè te fidem quam colis amare testaris; quæ sub Elizabethæ Reginæ mortem prohibuisti aditu quos dubia & suspecta in Regem fide parare ad te ingressum cerneres; quæ Catesbeium reliquosque cum illo coniuratos tanto ardore ac studio, concurrentibus tanquam ad commune incendium ciuibus tuis, partim cæsos fudisti humo, partim comprehensos iudicio tradidisti; quæ circumfusis ad inuisas tibi Abingtoni ędes popularibus tuis, instare non destitisti nocte ac die, quousque detestatissimi proditores Garnetus & Hallus è cauernulis suis incredibili artificio

ad

ad commoditatem latendi comparatis extracti sunt; cui totum hoc genus hominum pro merito suo exosum est, qui non alij tibi sunt quàm Antichristi satellites, hostes patriæ capitales, hostes religionis, hostes Regis, hostes regni Iesu Christi. Age porrò, dilectissima mihi ciuitas, vt floreant in te magis ac magis pietas in Deum, & pientissimi Regis obseruatio propter Deum, & cumulentur tibi, precor, beneficia quoque temporalia, quæcunque ciuitatibus, vel ad vsum necessitatis, vel ad splendorem ornamenti desideranda sunt.

Proximo loco venit Hammondus alter Iesuita, quem Andreas noster pariter vt cæteros miserrimè defendit. Accusatus est autem Hammondus, *quòd proditores ferè omnes altero tertiovè post detectam coniurationem die cùm iam ab illis ad arma conclamatum esset, absolutione donauerit in ædibus Roberti Winteri*, & quidem si Rookwooddum excipias, nullam prorsus sceleris sui pœnitentiam, vel per se professos, vel ab ipso requisitos. *Hac autem*, inquit ille, *coniurationis conscientiam profectò non colligunt*. Esto verò vt non colligant; atqui proditionis reum facit non antecedens tantummodò conscientia coniurationis, sed posterius quoque patrocinium & comprobatio, nec ille solus maiestatem lædit qui *armorum*, vt tu excipis, *induendorum author est*, verumetiam qui fauet armatis, qui animos addit, qui prudens & sciens conuictu & cōsilio coniunctus est. Hāmondū post proditas insidias offendunt in ædibus Rob. Winteri confugientes eò Catesbeius, Perceius, & reliqui coniurati, quem agnoscit idem Winterus [k] *rescisse optimè quòd fuissent omnes in actione illa proditoria confœderati*. Ibi illi arma corporalia induti, & spiritualem sibi armaturam addi cupientes, eò se parant vt deum suum Maozim missaticum numen implorent, & quo interpellato proditionem illam immanem pacti sunt, eodem iterum aduocato ad perduellionem vterentur. Quare ad Hammondum singuli accedunt, confessiones suas edunt, absolutionem ab illo absque mora percipiunt, vt postea pro sacramento Christi de idololatriæ frustulo communicantes, benè se ad bellum cum Principe gerendum instructos arbitrentur. Hìc ergò reus capite Hammondus tuus qui consultus & sciens proditoribus beneficium indulgere, adeoque etiam cum illis communicare haud veritus est. Sed hìc Rookwooddi relatio (nam hæc hactenus è Winterorum responsis petita sunt) ali-

k *Confess. Rob. Winter. Ian. 17*

aliquantulùm animaduertenda est; qui commemorata illa omnium confessione, [l]ita de se priuatim autographo suo testatur; *Inter alia peccata mea confessus sum erratum meum, quo celaui machinationem illam puluerariam aduersus Maiestatem Regiam & rempubq attentatam, cùm haberem in conscientia scrupulum, quòd cœptum illud mihi nimis sanguinarium videretur; ille verò generatim pro omnibus absque vllu porrò circumstantijs absoluit me, festinans per occasionem multitudinis eorum qui tum ad illum venturi erant.* Attende hìc pietatem hominis, qui atrocissimum inceptum ne verbo quidem improbat; nec vel differt confitentem vt saniora consilia suppeditet, sed mox absolutum dimittit, quasi nihil hic noxæ contractum esset. At hìc, inquis, per festinationem non aperuit mentem suam. Vide ergò an aperuerit Henrico Morgano, qui postquam se coniuratis adiunxerat, & Warwici stabulo Regis per vim effracto, equis auferendis communem operam accommodauerat, ad ædes Winteri se cum cæteris applicuit. Ibi cùm esset, vnà cum illis Hammondo peccatorum suorum confessionem pro more demurmurat. Qua de re interrogatus, responsionem ita perscribit manu sua; [m] *Reuoco in memoriam cùm essemus in domo Rob. Winteri postquàm equi è stabulo Warwici posito abrepti sunt, fuisse ibi eodem tempore Robertum Catesbeium, Thomam Perceium, Robertum Winterum, &c. meipsum & alios quosdam inferioris ordinis homines circiter viginti, qui omnes Hammondo confessi sunt; & præter me omnes sacramenti ab illo participes fuerunt. Mea verò confessio sic habuit; interrogatus qua occasione illùc venissem, respondi, nescire me, nec intelligere quid faciendi animum haberent; dicere illos, conscientiæ causa rem agi, & futurum alioqui vt iugula illis in stratis præciderentur; quod ad me, dixi nihil me agere nisi conscientiæ causa & propter religionem. Ille verò respondit; si ea tantùm causa esset, rem eiusmodi esse quæ iustificari posset, & posse me hoc agere absque vlla in Deum offensa, & hortatus est vt constanter in fide Catholica perseuerarem, & causam Catholicam pro viribus iuuarem, atque ita mihi absolutionem impertitus est.* Vide hìc, Andrea, Hammondus tuus qualis vir fuerit; dic iam ecquid illum putes deponendi arma consultorem fuisse; dic an rescierit Attornatus minimè illum munere suo sanctum esse vt ab armis & à vi facienda desistere iuberet. Nec verò nesciuit Attornatus fuisse aliquid quod non rescìuit,

[l] *Autog. Ambr. Rookw. Ian. 21.*

[m] *Autog. Hen. Morgā. Ian. 21*

resciuit, nec interrogando elici potuit, vbi Stephanus Littletonus honoratissimis Delegatis confessiones omnium Hammondo factas & participatam ab omnibus Eucharistiam agnoscit, sed [n] *respondere recusat habueritnè ab illo absolutionem facti quod commiserat, vel ab illo confirmationem siue satisfactionem conscientiæ acceperit ad procedendum; & se ait priùs mori cupere quàm huius rei arcana reuelare.* Audis iam, opinor, abundè satis quo damnetur Hammondus tuus, de quo accusatus in iudicio, & reus inuentus, meritò ac iure capitali supplicio datus est. Certè qui perduelles iam ad seditionem & arma ferocientes sic instituit, posse absque peccato facere quod faciunt, & prætextu religionis alios ad causam eorum adiuuandam exhortatione sua confirmat, pereat ille recte, magister simul cum discipulis, nec absque publica iniuria & periculo dabitur huic homini in viuis locus. At *quid si*, inquis, *tuendæ tantùm vitæ suæ causa, non ad inferendum bellum arma sumpserunt, & idipsum Confessario contestati absoluti ab illo sunt?* At quidni te dicam blateronem ineptum & otiosum in hoc tuo *quid si*; qui mox profiteris *ei qui admisso delicto aliquo ad necem à magistratibus quæritur, non licere armis defendere sese?* Quid autem? an hoc nesciuit Hammondus tuus? an tu bipedem illum asinum facis, vt ignorasse videatur quod iure omni diuino & humano, totaque ciuili disciplina comprobatum este? Quòd si non nesciuit, cur absoluit quos aduersus Regem & regnum coniuratos agnouit, vt ante vidimus, & iam arma sumentes quibus immunitatem sibi à publico supplicio vindicarent? Hoc tu illum debuisse ais, *quia nihil aliud spectare debet Confessarius quàm ne pænitens Deum offendat; cùm autem non peccet is qui probabiliter licere existimat id quod agit, nulla iusta causa est confessario negandæ absolutionis ei qui probabilem opinionem sequitur, quamuis à sententia sua iudicioque dissentiat.* Atque hic camerinam vestram Scholasticam moues, & nescio quas Doctorum fœces corradis, Antonium, Syluestrum, Conradum, &c. etiam Iesuitas vestros, Valentianum, Ledesimam, Suarez, &c. *Qui omnes*, inquis, *vno ore consentiunt licere confessario pænitentem absoluere etiamsi à sua opinione dissentiat, modò probabilem opinionem sequatur.* Quasi verò quicquam nobis intersit quid illi consentiant. Quin apagè, nebulo, culinarios istos Doctores tuos, nouos Theologos, qui in re Christiana tam exosæ peregrinitatis authores sunt. Itanè vt

[n] Confess. Steph. Littleton. Ian. 17.

sequatur quisque iam quod probabile videtur, & opinionem sibi
o Rom. 14. 23. ducem faciat, vbi fides præire debet, [o] *Ex qua quicquid non est, peccatum est?* Vetustum illud est & verissimum, *Quod dubitas, ne feceris*, & quidem nunquam est integra conscientia quæ labili & incerto fundamento superstructa est. Sed operæpretium est videre quænam probabilis illa opinio fuerit quam proditores secuti sunt. Illam exponis Caietani verbis; *Subditos etsi non tenentur ante sententiam declaratoriam facti, tamen posse in Principes insurgere quando factum est ita notorium vt æquiualeat sententiæ*; siue Panormitani & Felini; *qui quando factum est notorium vt nulla sit opus declaratione, volunt sententiam à iure latam hoc ipso tenere.* Attendite verò, Christiani Principes, & componite in vnum ista, non peccare eum qui probabilem opinionem sequitur in eo quod agit; esse verò probabilem opinionem, vbi factum vestrum notorium interpretantur, licere vt etiam citra Pontificis sentẽtiam declaratoriam subditi in vos insurgant & vim afferant. Ergò iam non peccat in hoc casu sicarius, non suffulminator, non carnifex, non proditor qualiscunque qui iugulum petat, qui gladio, qui igne, qui veneno vitam vobis eripiat, quia probabilem opinionem secutus est. Non peccauit Chastellus, non Guignardus, non Iacobus Clemens, non Rauillacus Iesuitico dæmonio præ cæteris plenus, non nostri illi subtertanei grassatores & flammiuomi Cyclopes, vno impetu florentissimam remp. in cineres daturi, quia probabilem scilicet opinionem omnes secuti sunt. At tu sceleratum caput, hæccine Theologia tua est? Siccine populum inducitis probabilitatibus vestris, vt vbi horrenda flagitia committunt, nihil se omninò peccare præsumant? Quid agitis, Principes, qui non in crucem agitis magistros istos proditorũ qui orbi Christiano noua ista dogmata incude sua cum manifesto vestro periculo fabricantur? Cæterùm hoc prætextu Cretensis meus coniuratos defendit quòd probabilitate niterentur; *eos* scilicet *cùm alioqui religiosa admodum essent conscientia* (sic enim homo impius & irreligiosus eblaterare ausus est) *diu rem illam meditatos, omnes inuestigasse rationes quibus persuadere sibi possent nihil in suo consilio contineri à Dei præceptis alienum.* O homines de præceptis Dei miserrimè solicitos, Garneto similes &
p Actio in prodit. pag. 112. Hallo, in quorum colloquio [p] ne verbum quidem de Deo auditum est; quibus certè, quantum opinari est, dum consilium illud agitant

agitant nihil vnquam de Dei præceptis in mentem venit. Quibus enim de Dei præceptis quicquam pensi vel conscientiæ fuisset, nunquam illi animum inducere potuissent vt Regem, Christum Domini, [q] *cui vel cogitando maledicere* præcepto Dei piaculum esse docemur, tam horrendo exitio deuouerent; vt innoxiam ipsis Reginam, vt tenera ætate Principem, vt ordinum omnium tot sanguines partim fulmine illo infernali, partim seditionum & bellorum consequentium incendijs violandos, iudicarent; vt patriam suam in æternas miserias & calamitates præcipitem darent. Dic mihi, Andrea, quicquamne tibi in diuinis præceptis esse videtur quod cum immanitate ista & diabolico furore coniunctum sit? Immò non à Dei præceptis sed ab impijs Antichristi vestri dictatis truculenta ista consilia petita sunt. Et tamen pergis præstigias tuas addere circulator infamis, & illos ais, *Vt erant ingeniosi, tam multa excogitasse quibus se consiliumq́; suum tuerentur, vt Grenwello etiam viro in Academijs diu nec sine laude versato refellere aggresso negotium facesseret Catesbeius neque tamen conuinci posset.* At vtinam *multa illa* de memoria Grenwelli prodidisses nobis, vt pateret magis compater ille tuus tamdiu in Academijs tam frustra versatus, quàm fungus & vappa sit, cui Catesbeius nihilitatibus illis tantum negotij facessiuit. Ludos certè fecisset nobis hominis ignaui crassa stoliditas, cui de iunco & vimine tantum prælij discrimen fuit. Sed tu homo nequam es & compositò fingis ista omnia. Nunquam Grenwellus refellere aggressus; nunquam ab illo hoc quidem animo vox vna vel syllaba profecta est. Immò audi Garnetum tuum: [r] *Illicitas generatim existimaui omnes aduersus Regem insurrectiones, quia defuit Papæ declaratio; nec tamen ausus sum absolutè damnare opiniones aliorum, vel tollere libertatem quam plurimi Theologi Catholicis concedunt, quamuis contrariam opinioni meæ.* Garnetus damnare non est ausus, & ausum credimus Grenwellum? Garnetus libertatem illam Catholicis suis tollendam non censuit, & quisquam putet Grenwellum refellere voluisse, plurimisque partium suarum Theologis oblatrare? Dic ista morionibus & idiotis vestris; frustra teris aures nostras mendacijs istis. Et tamen hoc argumento defenditur Hammondus iste noster, ex eodem stramine catulus alter impurus, *cui scilicet in illa rerum trepidatione imparato neque satis habenti ad rationum momenta perpendenda*

spatij,

[q] Eccles. 10. 20.

[r] Autogr. Garnet. ad patres & fratres, Apr. 13.

spatij, ita consilium suum coniurati probauerunt vt quamuis licuisse non crederet, eos tamen probabilibus rationibus rem aggressos, eosq́; culpa ac peccato immunes existimaret, quare ne iniuria quidem nullo admisso scelere vitam libertatemq́; suam velle defendere. At quanti iam est esse Iesuitam qui ad grauissimorum scelerum rationes tam facilè obstupescit; quem in trepidatione aliqua tam imparatum deprehendas, vt si animus tibi occidendi patrem vel stuprum faciendi, vel quoduis aliud facinus execrabile admittendi, modò tibi rationum momenta non desint, quibus fingendis nunquam nequitia non fœcunda est, nihil moretur quominus te, hac quidem in parte, peccato immunem esse denunciet. O vos verò genus hominum insensatum & stupidum, quibus ita nihil est frontis, nihil mentis vel conscientiæ, vt palàm turpitudines istas vestras profiteri non pudeat. Pergite quæso quà cœpistis, vt sciat vos intus & in cute orbis Christianus & odio, quo dignum est, prosequatur tantam Ecclesiæ pestem, & Templariorum exterminio destinandam adiudicet. Sed hìc quæso iterum, an Hammondo tuo in illa trepidatione satis spatij fuit ad momenta rationum audienda, & nihil prorsus ad minuenda relictum est? Quid? vsqueadeonè cerebrum illi excussum est vt nihil prorsus occurreret quo consilij prioris atrocitatem assereret, eamque doceret nouo scelere non esse cumulandam? Itanè vt tam brutos homines & excordes alat Societas vestra quales vix apud medium vulgus facilè reperias? Porrò in illa consternatione quî tandem homini malesano rationes illorum satis probabiles intellectæ sunt? Si non potuit *momenta rationum perpendere*, potuit probabile illi videri quod non fuit; potuit falsum obtrudi pro vero; potuerunt farcimentis suis ostentari grandia, quæ nonnisi stramine leuissimo inflata sunt. Quid? & ausus est ille tamen absolutionis præcipitare sententiam & mendacissimo prætextu innoxios pronunciare qui tam immani reatu constricti sunt? Sed quorsum ludo ego hanc operam, & casso labore auras atque vmbras frustra verbero? falsum est enim hoc totum quod dicitur de *momentis rationum*; nullas ille rationes audiuit, ne moratus quidem est, sed consueta vestra in absoluendis proditoribus indulgentia & facilitate vsus est. Immò ita longè abfuit vt rationibus permotus quicquam faceret, vt cùm Rookwoodus planè agnosceret repugnante animo facinus illud à se tentatum, nihil hoc obstaret

ſtaret, quominus abſque vllis circumſtantijs abſolutionem ei pronunciaret, prout ante viſum eſt; Morganum etiam dilaudaret, & ad promouendam rebellionem hortaretur, cùm tamen defendere conſilium non poſſet quod ſe neſcire profitetur, & ſe oſtendit inani fabula in ſocietatem rebellionis eſſe pertractum; vt nihil dicam de negotio, quod, teſte Steph. Litteltono, manet adhuc in tenebris, in apertam lucem in die Domini proferendum. Tu interim, Andrea, omnes omnium hominum impudentias longo interuallo ſuperas, qui in hoc flagitij monſtro quo nihil vnquam atrocius & inhumanius excogitatum eſt, actores pariter & ſuffragatores noxa omni liberas; nihil illos peccaſſe deſignando, nihil Hammondum indulgendo, quia probabili opinione, prout dijs Romanis placet, ad tantum nefas inducti ſunt.

De indicijs Watſoni & Clerki, quæ proximo loco vellicas, dictum eſt priùs quod cordato Lectori ſatis ſit. Subintellecta illis in genere proditoria Ieſuitarum machinatio aliqua, qua Regem prolemque ſimul Regiam excindere conſultum eſt, ſed quænam illa in ſpecie foret, minimè compertum habuerunt. Tu verò vt fidem huius rei minuas, *Qua ratione*, inquis, *ijs indicijs vſi non ſunt aduerſarij noſtri, vt in nos diligentiùs inquirerent?* Seruatum eſt ſcilicet pro more Anglicanæ iuſtitiæ nequid in vos præcipitantèr & temerè ſtatuatur, quin potiùs vt rebus ad maturitatem perductis, clariùs eluceſcant perfidiæ veſtræ, neque in accuſatione vel iniuriæ prætextus, vel tergiuerſandi locus vllus relictus ſit, interim tamen habita fortaſſe ratione ne deſint exploratores qui conſilia veſtra rimentur, vel ſpeculatores qui ſolicitas pro ſalute Principis excubias agant. Ea gratia in hiſtoria Watſonianæ coniurationis de indicijs iſtis dictum nihil, vt ſecura proficeret nequitia veſtra, & tuta ſibi omnia promittens, eoque liberiùs effuſa malitia in capita veſtra, cernente & ſuffragante orbe Chriſtiano, iuſtiſſimè redundaret. De Garneto calumnia tua ſatis antè profligata eſt, quia edictum in illum non antè promulgatum eſt, quàm à coniuratis ſuis ferè omnibus conſcius negotij renunciatus eſt, qui certè nunquam ſe in tenebras illas abdidiſſet, niſi murum ſibi aheneum deteſtabili perfidia collapſum eſſe ſenſiſſet. Cæterùm quod indicij Watſoniani mentionem à notatione temporum infirmare videri vis, quaſi antè detecta fuerit

Watsoniana coniuratio quàm inita Catesbeiana, bis in eo inanem operam ponis. Primò dum ad speciem refers siue ad indiuiduum quod ab illo tantùm in genere significatum est. Neque enim *hoc* dixit, sed *aliquid* Iesuitis in consilio fuisse, quodcunque illud esset quod ille nullo modo expiscari potuit, quod ad exterminium Regis & posterorum eius comparatum esset. Deinde ex eo partim in quo mendum esse non nescis, id quod ex collatione consequentium cuiuis vel cœco manifestum est, tempora à te haud satis commodè distributa sunt. Id enim agis ne ante Septembrem Regis secundum anno 1604. Catesbeij coniuratio agitari cœpta sit, quam antè ostendimus ad Septembrem Regis primum, quod ad colloquium illud Catesbeij cum Perceio pertinet, esse referendam. At inquis September ille nominatur qui secutus est Martium 1603. Martius autem ille non potest, inquis, intelligi de sex illis aut septem diebus mortem Elizabethæ Reginæ immediatè consequentibus, quia Iacobus illis diebus vix adhuc Rex denunciatus nondum regnum acceperat. Intelligendum ergò concludis Martium, qui clausit Regis annum primum, quem sequitur September anni 1604. Ego verò contrà; September, inquam, nominatur qui præcessit [f] Maium Regis secundum, quo inita sacramento coniuratio expressè memoratur; fuit ergò September anni primi, quo Catesbeius Perceio diros illos cogitatus euomuit, re tamen ipsa nondum expressa, prout ante declaratum est. Quare Martius ille mensis qui per errorem dicitur anno 1603. quia ad sex illos septemve dies non videtur satis commodè referri posse, necessariò de consequente aliquo non multò post mense intelligendus est. Et Garnetus quidem sermonem illum Catesbeij ad se habitum, quo turbas propediem comminatus est, ad [t] Septembrem illum primum quem diximus accommodat, quo eodem colloquium illud alterum Catesbeij cum Perceio fuisse commemorat; ego verò illum memoria lapsum arbitror, & ante illud tempus in ipso Regis ingressu, cum illum iam cernerent votis suis minimè respondere, de Watsoniana coniuratione, cuius ille quoque particeps fuit, vsurpatum esse. Ergo iam Martius ille per errorem positus nihil te iuuat, quominus pestis illa tam dira primo Regis Septembre tetros halitus efflare conata sit. At inquis Watsoniana proditio ante Septembrem illum in lucem emersit. Optimè verò; sed ita vt memineris

[f] Act in prodit. pag. 79.

[t] Garnet. Autograph. Mar. 13

ris antè conceptam pestem illam quàm propagare se & in actum ire cœperit; quippe viuente adhuc Regina, atrocissimum illud consilium clam apud vos agitatam, & in Regem nonnisi ex cinere illo resumptum esse. Cuius cùm murmur quoddam & quasi sonus incertus atque confusus ad Watsoni aures peruenisset, admonuit ille agi aliquid quod cum certissimo Regis & regni periculo coniunctum esset, quanquam quid id rei esset designare non posset. Atque in hoc ille ad mortem vsque perseuerauit, testatus iterum atque iterum pro extrema illa pernicie præoccupanda consilium illud à se susceptum, quo comprehensum ex improuiso Regem ad conditiones adigere statuerat, quæ tolerandi Papismi necessitatem continerent. Ergo iam temerè te ais hic *refellere calumniam*, vbi aduersus certissimam veritatem tuas nonnisi meras ineptias profers. Eodem vento difflantur quæ respondes tam otiosè de requisitis Hispanorum auxilijs, de congesta pecuniæ magna vi, de alienandis à Rege suorum animis, quæ omnia, quanquam sententia nonnihil ab interprete obscurata, ita sunt à Coko posita tanquam argumenta & indicia, quibus confirmatus Watsono & Clerko animus ille quem diximus, moliri aliquid Iesuitas quod exitiosum & capitale regno esset, quod tamen quale esset, minimè compertum illis est. Quare quod dicis *non antè coniurationem hanc initam à Catholicis fuisse, quàm Hispaniensium auxiliorum spes eos deficeret*, si ad Catesbeianam illam habitam cum Perceio communicationem & consequentem cum reliquis confœderationem referas, rectè tu quidem, sed frustra dicis; quia res antè à Iesuitis, siue in Reginam si viueret, siue in Regem si succederet consulta est, & Catesbeio tandem tanquam fidissimo Achati à Garneto instillata; quod mihi quidem ex ijs quæ ante dicta sunt, extra controuersiam est, vtut propter vitandam Societatis infamiam composita per fraudem omnia & arte Iesuitica tractata sunt. Quod autem ad pecuniarum aceruos illos attinet, quæris per ludibrium *quantum Garneto capto ex thesauris vestris ad Regium fiscum accesserit; vbi illud auri pondus inuenerit? cur non locus cruciatibus extortus est?* Sed stultè hæc à te dicuntur, quasi non nobis vsu notum sit quàm à vobis semper cautum, ne in discrimine thesauri sint, vt in partes transmarinas conuehantur, nominatim verò in Hispanorum ditiones, quæ ferè solæ vobis securæ sunt. Et quidem conquisi-

tam pessimis artibus ab vno Gerardo ingentem argenti materiam descripserat ante [u] Watsonus in Quodlibeticis Anglicanis, designans circumstantias personarum & nominum, & summarum quantitates; & ex vno intellectum esse volens cæterorum perfidis circumuentionibus quantæ opes coaceruatæ credendæ sint. Traiectos verò in Hispaniam thesauros istos ex confessione Batesij manifestum est, qui [x] *audisse se ait à Domino suo Catesbeio, Thoma Wintero & Faukesio, mox atque idem Faukesius in Angliam è Belgio reuersus esset vigintiquinque mille libras se ex Hispania percepturos.* Porrò Garnetus literis suis ad *mulierem sororem* significat [y] *missas à se Audomaropolin quæ in deposito essent, quadringentas libras (norunt,* inquit, *quorsum illas) quibus iam addendas insuper monet quadraginta alias*, eodem certè latrocinij artificio, & eodem fine comparatas. Narrat autem Watsonus quos illi prætextus adhibuerint; quas *muscipulationes & argumentosas extortiones*, vt Mathæi Parisiensis stylo dicam, quibus populares suos argento atque auro emungerent, [z] *Interdum pro transfretandis adolescentulis, pro quibus quinquaginta vel sexaginta, vel etiam centum, etiam mille librarum summa prout parentum conditio postularet, numeranda dicebatur; aliàs spem esse tolerandæ religionis Papisticæ, sed eam ingenti precio esse redimendam; interdum se, interdum incarceratos suos, interdum collegium hoc vel illud transmarinum grandi necessitate laborare, & postquam vno nomine adepti essent, mox alio nomine nouis subsidijs opus esse.* Quinetiam *collectas istas* significat *ab ijs solis curatas qui Hispanicæ factionis essent; nec ab alijs percipiendas quàm qui in illam partem beneuoli essent; & cautum ne ad ipsum aliosq́; quosdam quos sibi habebant aduersos, rerum istarum notitia perueniret, neue vllo modo intelligeretur, vbi quoue loco thesauri isti nummorum reconditi essent.* Quàm verò suos ad sacrilega ista consilia profusos inuenerint, ex eo æstimare est quod recognitum habemus à Thoma Wintero, qui confessus est ad pyriopuluereũ istud negotium Digbeium [a] libras mille quingentas, bis mille Treshamum, Perceium ex Comitis sui thesauris quater mille suppeditare voluisse. Et quidem abundè compertum est liberalitatibus istis & contributionibus non sine arte quadam elicitis, dum aucupes vestri strenuè ad prædam inuigilant & incumbunt, nonnullorum ex illis facultates exhauriri miserrimè, ita vt nonnunquam ferè ad inopiam & mendicitatem redacti sint, vt frustra

[u] *Wats. Quodl. lib. 3. art. 10.*

[x] *Bates. confes. Decemb. 4.*

[y] *Autog. Garn. ad Annam, Apr. 23.*

[z] *Autogr. Watson. Aug. 10.*

[a] *Tho. Winter. confes. Nou. 23*

frustra tu te putes eludere posse quod de vestrorum thesauris magna mole congestis obiectum est. Nec verò aliud quàm ludis in proximo argumento quo vos notauit sedulò agentes ne vel in regnum admitteretur Rex, neuè vtcunque admissus pro Rege haberetur, nempe quòd hæretico Principi obsequium deberi non posset. *Mirum*, inquis, *neminem inuentum esse qui hoc ab ijs audisse se diceret, & siqui nominatim à Watsono appellati cur non comprehensi?* Dico tibi, Andrea, Watsonus nomina designare voluisset, idque se facturum scripto superiùs citato liberalitèr professus est; sed Rex per singularem patientiam audire noluit, sperans Scythicum genus, Caucaseam prolem vsu & mansuetudine cicurari atque molliri posse. Certè qui quæ palàm vidit tam multa haud sibi animaduertenda esse censuit, inquirere ille in occulta noluisse credendus est, & quidē sciens si inquireret, vix vllū inquirendi finē fore, ita latè serpit pestis illa & gangræna perfidię vestræ. Sed nimis tu ineptè agis qui ista dissimulas quæ palàm iactata libris vestris & Breuibus quoq; Pontificijs cōmunita & confirmata sunt. Neq; verò ignorat orbis Christianus hac ipsa de causa Iesuitarum & Secularium quanta digladiatio & certamen fuerit, vt te planè impudentissimum esse oporteat qui inficiari non verearis quod tanta luce clarissimum eminuit. Et Sacerdotes quidem *nomini vestro infensos compluribus libris scriptis vos exagitasse* non negas, sed *libros illos*, dicis, *Watsonus & Clerkus pœnitentia ducti ad patibulum ipsum postea publicè damnarunt.* Mentiris verò, furcifer; nunquam damnarunt. Nimiùm se acerbè causam egisse Watsonus quidem confessus est, sed præter veritatem scripsisse aliquid nunquam dixit; ne superstites quidem Sacerdotes ad palinodiam istam & pœnitentiam vnquam adducti sunt. Quòd si, vt dicis, *credi nihil inimico in inimicum testimonium dicenti potest*, cur tibi in nos credi vis, impudentissimo nebuloni, quem non modò inimicum omnes norunt, sed etiam de more gentis tuæ verè Cretensem intelligunt? Cur Sanderi, Rishtoni, Prateoli, Bolseci, cur fugitiuorum, cur amicorum tuorum de nostris nostrorumque rebus testimonia profers, quos nosti cœca in nos malitia tumidos & penè diruptos; vt in odium conficta & contorta ab illis omnia dubitare non possis? Cudetur in caput tuum tua ista sententia, & dicetur tibi quod audit in Euangelio ignauus ille; *Ex ore tuo te iudico, serue nequam.* Quis enim

 iam

iam credat Apologeticæ huic inimicissimi hominis historiæ tuæ ex tenebrionum fabulis & fictionibus tuis impudentissimè consarcinatæ, de rebus quidem fide publica summorumque pariter & inferiorum ordinum conscientia gestis, vbi profligatæ frontis hominem esse oporteat qui fingere audeat tot homines cordatos ad iniuriæ mendacijque suffragium induci potuisse? Postremò quod ais, *Non esse verisimile hominibus tam aliena à vobis voluntate tantæ rei conscientiam à vobis esse communicatam*, credo tibi certè tam otiosè loquenti; quis enim vnquam dixit communicatam? Immò Watsonus ipse[b] testatur ideò cautum à vobis ne vlla vobis cum Sacerdotibus concordia coalesceret, quòd non credebantur in proditorias vestras machinationes tam tetras vllo modo consensuri. Quare non comperta illis res ipsa, vt dictum est, sed argumentis & signis indubitatis arcana vestra eminùs conspicati, tantùm in genere pronunciarunt quod verissimũ tandem effectu ipso comprobatum est.

[b] *Watson. Autogr. vt supra.*

Sequitur Gerardus, homo præter veterem proditionis maculam latrocinij arte & singulari vitæ turpitudine infamis, quem tu ex Actione miserè defẽdere videri vis, quòd in posteriore iudicio nomina coniuratorũ quos ille dicitur Eucharistia communicasse, secùs posita sint quàm in priore, nẽpe quòd in posteriore Fauksius additus; & Ioan. Wrightus dictus, qui in priore Christophorus nominatus est. Atqui facilis hic error fuit quando vterq; proditionis reus probatus est, & stultè hoc à te ponitur quasi pro Gerardo quicquã faciat, quando constat ex confessionibus illis Fauksij & Tho. Winteri quas te ais tam sæpe laudare, vtut priùs erratum sit, posteriorem illam enumerationem haud secus esse factam quàm veritas fuit. Reliqua quæ affers omnia ex Gerardi ipsius sanctis scilicet protestationibus petita sunt, quibus qui fidem adhibeat, si hominem norit, meritò ille à falsarijs & impostoribus circumueniendus sit. Vnum hoc ostendit quàm ille verbi falsus & in hac causa reus sit, quòd in fine illum ais, *Romæ sanctè admodum confirmasse, ignorasse se quis Sacerdos is fuerit à quo sacris operante coniurati illi post iusiurandum Eucharistiam sumpserunt.* Certè enim Fauksius & Winterus, quanquam primò religio erat Patrum suorum nomina in hac causa & negotio prodere, posteriùs tamen[c] interrogati liberè agnoscunt Gerardum fuisse de cuius manu sacramentum illis perceptum sit. Quin & minimè præter-

[c] *Fauk. confess. Nou. 9. & Ian. 20. Tho. Winter. Ian. 9.*

prætereundum est quod posteriore illa confessione, manu sua prolixè descripta, narrat Fauksius, [d] *Vbi è Belgio Londinum cum Thoma Wintero reuersus esset, ad Percey ædes commeasse, ostendisse ibi hospitatos Catesbeium atque Gerardum, susceptum ab illis amicissimè, & de amicis ac rebus Belgicis interrogatum; sciscitari se ab illis à pace quas spes alerent; responsum ab ijs, arbitrari se pacem illam Catholicis parùm beneficij allaturam; dixisse Catesbeium verisimile haberi futurum vt pristinæ leges in illos confirmarentur, & breui res multò fore deteriores nisi de remedio & quidem præsenti consultum esset, cumq; ita fore videretur vt Rex Hispanus eos flagello dimitteret, neque quicquam illis solamenti facturus esset, arbitrari se necessarium vt Catholici sibi de leuamento prospicerent; quòd verò capita non haberent, saltem qui superioris loci essent, ita metuerent à circumuentione, vt cum magno aliquo viro nulla agendi securitas esset, & porrò moliri aliquid cuius multos conscios esse necesse esset, prodendi consilij periculo non careret, propterea conuenire vt de re aliqua statueretur quam pauci exequi possent, & quidem aliquid in ipsam Regis personam esse tentandum.* Deinde narrat post biduum conuenisse vnà secum Catesbeium, Perceium, Ioannem Wrightum, Thomam Winterum; ibi iuratum ab illis de taciturnitate & perseuerantia, moxque omnes à Gerardo sacramento Eucharistiæ communicatos esse. Dic verò iam, Andrea, vtrumnè Gerardum tuum conscium negotij putes? dic *confirmatio* eius quàm *sancta* tibi deinceps futura sit? dic an immerentem & innoxium Rex Edicto fouendum interdicat, omni studio perquirendum & comprehendendum denunciet? Quem Catesbeius in illo furoris æstu tam intimum & contubernalem sibi habuit, cui consilium de incepto aliquo proditorio ineundo, deque attentanda Regis persona tacendum non censuit, eum vt tu putes reliqua celare voluisse? Quin & postea cum illis familiaritèr versatus est, & appropinquante iam quinto Nouembris [e] simul cum Catesbeio, Garneto, Fishero altero Iesuita in ædibus Euerardi Digbeij acceptus est, vbi, cùm ne muliérculæ quidem non consciæ vt ante vidimus, quicquamnè putes Gerardo clam esse potuisse? Quòd si non reus, cur se abdidit? cur fugit? quin sistat se in publicum cum munda illa conscientia & *confirmatione sancta*, & experiatur ecquidnam sit, quod eum proditionis reum fuisse conuincat. Sed & homo de pristino ingenio metiendus

d Fauk. Autogr. Ian. 20.

e Garnet. confess. Mar. 6.

dus est, qui olim Elizabethæ Reginæ tempore ob proditorias molitiones in Arcem Londinensem inclusus tenebatur, è qua per dolum & corruptelam expediuit se, quod certè innoxius minimè fecisset, quòd hoc vnum illi lege satis deinceps ad suspendij iudicium causæ foret. Porrò in illo tenebrarum negotio, de quo ex indicio Watsoni ante dictum est, magnus hic machinator ab eodem Watsono fuisse perhibetur, obequitasse strenuè vt consilia quædam arcana promoueret, & prætextu docendi artem equestrem (nam Iesuitæ ad omnia solertes sunt) equos bello comparatos quanto posset numero coemisse. Quin & ille Watsonianæ proditionis magnus author fuisse compertus est, quem postquam fraude in nefarium illud incœptum induxerat, consilium nouo dolo prodidit, non studio Regiæ maiestatis, non patriæ amore, sed vindictæ causa Watsono faciendæ, & execrabili stratagemate vt depulsa suspicione securiùs dirum illud facinus actitarent, quod antè animo meditati sunt. Enimuerò Watsonus excogitato in rem suam mendacio populares suos ludificatus est, quibus spem nimirum falsam fecerat, interposita promissi Regij fictione sua nequissima, fore per Regem vt Papisticæ religionis libera cuique potestas esset. Hanc factam suis iniuriam Gerardus exprobrat, & pessimè rem gestam narrat, futuramque ei odio magno, ni viam ineat qua illorum desiderio atque spei satisfactum esse possit. Quin & ni malè rem accipio viam ipse dictauit, vt per insidias Rex inopinatò captus & in illorum potestatem redactus, periculum suum danda Papismo immunitate redimere cogeretur. Habita etiam consultatio ab Archipresbytero, Gerardo, Darcio, qui idem, opinor, Garnetus fuit, de coniungenda cum coniuratis illis opera sua, Watsono rationes quas poterat maximas adhibente cur expediret communi consilio res geri. Sed eò tandem omnia reciderunt, vt minimè consentaneum Iesuitis videretur vlla vt sibi esset cum Sacerdotibus coalitio consiliorum, ita vt pro coniunctione noua scissura facta sit. Factum hoc Iesuitarum arte singulari, vt incœpti rationem & modum subodorati, quod haud facilè visum est posse succedere, cōmoditates inde suas elicerent, vt prodendo astutè arcanum partim Watsoni veteres inimicitias vlciscerentur, partim fidei & obseruantiæ suæ opinionem excitarent, quasi qui ita longe absint à coniurationibus ferendis vt eas detegant magis, vt minimè suspecta malitia

liberiùs

liberiùs & tutiùs insidias suas nectere & collocare posset. Cæterùm Watsonus, Gerardo authore, crediderat vim illam Regi factam nondum diademate solenniter insignito, proditionis notā & iudicium subire non posse, quo ille præsidio defensionis in actione causæ vsus est. A quo depulsus, & audita iam capitali sententia, spe se omni cecidisse persentiens, circumuentum se à Iesuitis & quidem palàm in supplicio conquestus est. Hic est scilicet Gerardus tuus, homo fide Punica, sed tamen arte agens omnia, & nefarias turpitudines suas, adulteria, compilationes, imposturas, proditiones sanctissimo pietatis prætextu conuestire consuetus. Atque ab hac arte profectæ sunt siue Apologiæ illæ, quas narras, siue literæ, quibus se de conscientia proditionis huius Catesbeianæ purgare videri vult, quibus quàm nulla fides habenda sit, vel ex eo liquet, vt dictum est, quòd tam sanctè iuret nescire se quis Sacerdos ille fuerit qui coniuratis Eucharistiæ communionem impertitus sit, quando ab ipso factum esse tam expresso reorum indicio confirmatum est. Quibus qui tibi narrarunt, amici scilicet tui, fidem à Rege habitam & creditum à nostris illum vera dixisse, Cretizandum illi sibi cum homine Cretensi arbitrati sunt, & habendi tibi dehinc tui similes mendacissimi nebulones, qui non sine probro indignissimo Regem existimari volunt in hominem à se creditum innocentem, edictum nihilominùs capitale promulgare voluisse, quanquam, vt dicam quod sentio, nihil dubito quin hoc à te totum destinata malitia & improbitate confictum sit.

Iam verò tandem ad Grenwellum deuenimus, qui quò est homo nequior & insidiarum istarum conscientia defamatior, eò tibi visus est accuratiore defensione dignus esse. Ac risum quidem mihi moues, homo lepidus, quoties te audio Gerardi & Grenwelli iuramenta de rebus istis referentem, quibus per disciplinam vestram ita consultum est æquiuocatione iuramenta temperare, vt de eo quod dicunt nunquam securus sis, ne tum quidem cùm iurant citra æquiuocationem respondere se velle, quia hoc quoque ex Garneti tui regulis per alteram æquiuocationem licitè iurare possunt. Quasi verò non notus nobis Garnetus tuus qui fundamento illo fretus, *Nemo tenetur prodere seipsum*, iurat, iterumque & deciès iurat & diras sibi aduocat ni verum dicat, & tamen mox conuictus cum pudore agnoscit falsum esse quod dixit.

xit. Ausus est Standisius vester, vt antè vidimus, æquiuocatione Papam ipsum illudere, & Grenwellus te tuosque nō audet? Quin & tibi quoque visum esse videtur haud facilè illi fidem haberi posse. Alioqui quorsum illud quod ais, *percontanti mihi seriò admodum & sæpiùs respondit*. Cur enim illud, *sæpius*, nisi quòd verbo hominis mendacijs assueti facilè te acquiescere non debere sentires? nisi quòd intimè noueras hominem à quo haud facilè verum prolicias, sæpiùs interrogato opus esse. Quanquam in hac causa ne sæpiùs quidem respondenti credere te oportuit, ne iurāti quidē, quia clarissima sunt indicia quibus fallarius & periurus esse conuincitur. Ac primò quod ad Hispanicum negotium attinet, quo dicitur ille viuente adhuc Elizabetha in Hispaniam profectus cum Thomo Wintero, vt Regem ad inuadendum regnum noua opera solicitarent, vide ea de re quid Fauksius dicat, [f] *Narrasse sibi scilicet Thomam Winterum, anno antequam è viuis excederet Elizabetha Regina, à Catesbeio alijsque missum se in Hispaniam, & vnà secum Iesuitam quendam, nomine Tesmundum, sed Grenwelli nomine communitèr vocatum, qui Hispano Regi proponerent de exercitu ad Milfordiæ portum immittendo; in quod tempus parare se velle Catholicorum in Anglia copias, & equos bis mille aut saltem mille quingentos, qui cum exercitu illo se coniungerent eique auxilium darent; ei negotio Regem centum mille coronatos pollicitum esse illorum arbitrio collocandos; quo facto reuersos in Angliam se atque Grenwellum, simúlne verò an seorsim redierint sibi non admodum constare respondet.* Tu certè, Andrea, profectum eo tempore in Hispaniam negare non potes, sed causam profectionis ementiris, vt intercedente ad Pontificem Hispano Rege concordia vestrorum cum Secularibus sarciretur. Frustra tu verò agis vt tibi de negotio illo credamus; credimus potiùs Thomæ Wintero qui comes itineris & particeps consilij fuit. Credimus item Treshamo qui è primarijs authoribus consilij fuit, qui [g] *Garnetum atque Grenwellum in confœderationem ascitos* refert *vt negotio per eos maior authoritas & existimatio accederet.* Credimus etiam Garneto quem commemorat Hallus in interlocutione illa furtiua dicentem, [h] *Interrogatum se à supremo Iustitiario quos sciret negotiationis illius Hispanicæ conscios, nominasse Winterum & Tesmundum & alium quendam cuius nomen sibi Hallus excidisse profitetur.* Vide ergò hic quàm temerè agas qui Diuum tuum Martyrem

f. Fauks. Confes. Nouemb. 25.

g Tresham. Confes. Nouemb. 29.

h Hall. autograph. Mar. 25. de interlocut. cum Garnet.

tyrem mendacij insimulas, dum Grenwellum proditionis illius Hispanicæ immunem putari vis. Desine verò, insane, inanem hanc operam ludere, desine frustra lauare stercus hoc, quo te ad fœtorem vsque sordidas, & meritò te bonis omnibus fastidiosum facis.

Sed tamen pergis, miser, homo nonnisi ad infamiam tuam natus, & vbi Actio narrat *Grenwellũ Batesio confitenti & consulenti laudasse facinus, & vt non taceret modò sed etiam promoueret hortatum esse*, tu respondes; *Hoc quantum, quantũ est, merum mendacium esse Grenwellus iuratus affirmat*. Nempe Regio more, *Teste meipso*. Grenwellus scilicet iuratus affirmat mendacium esse quod de se dictum est. Salua iam res est; Grenwellus affirmat. At expono ego tibi, immò orbi terrarum expono confessionem quam Batesius edidit corã honoratissimis Delegatis;[i] *Subornatum se ab hero suo Catesbeio qui domum ei Parliamentarijs ædibus vicinam precio conduceret, quod tamen primo illo tempore non successit. Post hebdomadam verò vnam atque alteram herum suum ait opinantem, vt sibi visum est, suspicari illum aliquid de consilio suo, aduocasse ad se & præsente Thoma Wintero interrogasse quid ab illis putaret negotij agi; respondisse verò se, putare aliquid periculo plenum agi. Ibi Dominum repetijsse, quid illud rei esse cogitaret; retulisse se, moliri illos periculosum aliquid circa ædes Parliamentarias, propterea quòd eò missus esset domum aliquam ei locandam inquirere. Deinde dicit fecisse dominum vt iuramento firmaret se in causa secreti custodem & tenacem fore; quo dato significant verum esse, machinari se aliquid circa Comitium, habere scilicet in animo abdere ibi puluerem tormentarium eoque domum exufflare. Porrò dixisse sibi ait, ad maiorem arcani fidem postulare se vt sacramenti particeps fieret, eaque ratione ad confessionem primò peragendam ipsum se contulisse ad Grenwellum, eique per confessionem indicasse, habere sibi commissum & silentio premendum negotium periculo plenissimum quod communicatum sibi esset à Domino suo & Thoma Wintero, & quòd vehementèr ea de re formidaret, ab illo consilium postulare; exposuisse denique in particulari consilium,* (*quod ille audiendi*, inquit, *haud cupidus fuit*) *de Comitio suffulminando. Inde Grenwellum dixisse refert, eius rei nolle se notitiam capere; debere verò illum hero suo fidem arcani seruare, quòd bona hic causa ageretur; monuisse porrò ne cuiquam alteri Sacerdoti rẽ narraret, ipsi periculosam non esse, neque esse silentij noxam vllam.*

[i] Bates. Confes. Decemb. 4.

Inde se ait à Grenwello absolutione donatum, & sacramentum vnà cũ Catesbeio atque Wintero accepisse. Aduersus hanc confessionem luculentam & ingenuam exceptiones tu pueriles & ridiculas affers. *Hoc*, inquis, *nisi à Batesio sciri non potuit.* Rectè verò; sed cuius confessio vt erat spontanea, ita circumstantijs cum toto negotio concurrentibus ita munita est, vt nemo ei nisi sponte peruersus fidem habere non possit. *At* inquis, *in eo libello qui de coniuratorum confessionibus est, quicquam eiusmodi dixisse non memoratur.* Ineptè prorsus, quando libellus ille duas tantùm confessiones habet, Fauksij & Winteri, quibus primò ferè editis summa res ad cõmunem populi notitiam auidè iam illam ambientis publicanda visa est; & multa certè postea manserunt è tenebris eruenda, quibus paulatim eliciendis longa opera & interrogandi ferè assiduus labor accommodatus est. Et Batesius quidem in Salopiensem comitatum aufugiens, seriúsque aliquantò Londinum aduectus, nondum habitus in examine, quo tempore liber ille, opinor, in publicum datus est. Sed pergis porrò; *In ijs indicijs quæ sola detulisse se scripsit ad confessarium paulò antè quàm necaretur ne vestigium quidem huius rei vllum extat.* At apage te insulsum pecus; itanè credi vis falsa indicia pro germanis esse supposita, & honoratissimis viris tantam perfidiæ maculam inurere conaris? Testes enim confessionis adfuerunt omni exceptione maiores; quorum post subsignatum rei nomen, nomina quoque ad fidem adscripta pro more sunt; Comites illustrissimi, *Notinghamiensis, Suffolciensis, Wigorniensis, Northamptoniensis, Salisburiensis, Marrensis, Dumbarrensis*; quorum vnica mentio miror si non durum illud os tuum rubore perfundat & æternum tibi tuisque hac de re silentium imponat. Quod verò ais Batesium ad Confessarium scripsisse, mendacium vestrum, non Batesij scriptum est, nunquam ille scripto derogauit indicijs suis, nunquam dicto, non in iudicio vbi confessio palàm [i] lecta & ab illo recognita; non in morte, vbi siquid secùs in Grenwellum dixisset quàm veritas tulit, certè animam suam liberare voluisset. Sed *totum hoc*, inquis, *mendacium esse necesse est, quia antè Batesius in societatem coniurationis ascitus quàm conscius factus Grenwellus.* Quî id verò? *Ascitus*, inquis, *Batesius mense Nouembri anno* 1604. Omninò & quid tum pòst? *At Grenwellus ad Garnetum rem non detulit ante diem nonum Iunij anno* 1605. Falsum hoc & non benè collectum, vt ex supe-

i *Actio in Proditor pag.* 42.

superioribus manifestum est; sed tamen hic non moramur; reliquum audiamus. *At Grenwellum tùm primùm rei conscientiam accepisse, cùm ad Garnetum detulit, satis constat ex pag.* 102. *vbi dicitur Grenwellus tanquam rei nouitate commotus animo perturbato, auidoq; aliquid detegendi quod Catesbeius vnà cum alijs moliretur, ad Garnetum venisse.* At inepte, non vides quo hoc authore dictum sit? Garnetus tuus est qui ibi loquitur, qui vanissima leuitate subinde ad mendacia noua recurrit, quibus existimationis suæ causa, destruit ea quæ manifesta veritate conuictus antè confessus est; & hunc tu argumenti tui testem facis? Falsum verò hoc totum est de *perturbatione*, falsum de *rei nouitate*; nec venit ille tanquam sceleris horrore perculsus, sed expositurus quo loco res esset, deque scelere perficiendo rebusque postea componendis consultaturus, id quod partim antea demonstratum est, partim in ijs quæ sequuntur manifestius futurum est. Interim illud quoque vellicas quod habet Actio de *Grenwello post detectam coniurationem circumcursitante, suosq; ad arma induenda concitante; hoc ipsum quoque Hallo & Abingtono suadere voluisse; Halloq; renuenti phlegmatici nomen improperasse; hicq; inter cholericum & phlegmaticum discrimen apparere dixisse, indeq; cum hoc animo suscitandæ rebellionis in Lancastrensem comitatum sese proripuisse.* Quæris *ista omnia quibus indicibus deprehensa sunt.* Dico tibi, ab indicijs Halli tui esse profecta, quæ è coniuratis nemo alius referre potuit, quia nemo alius ibi præter Abingtonum auditor & testis fuit. Rem verò ita narrat Hallus,[k] *Die Mercurij qui fuit sextus Nouembris, circiter horam secundam postmeridianam à domo Roberti Winteri quæ Huddingtoniæ fuit, Henlipam venisse Tesmundum, sibiq; atque Abingtono dixisse, apportare se nuncium quo peiorem nunquam audierunt, & iam de se omnibus actum esse. Causam illis requirentibus respondisse; fuisse generosos quosdam quibus animus erat bombardico puluere Parliamentarias ædes suffulminare, consiliumq; eorum vno alteróve die ante rem peragendam esse detectum, & iam conuenisse ad domum Roberti Winteri circiter quadraginta equis instructos, nominatim Catesbeium, Perceium, Digbeium, & alios. Porrò etiam addidisse, futurum nisi cum illis quamprimùm se coniungant, vt mox illis iugula cædantur; cumq; hoc se facturos inficiarentur, subdidisse sibi* (*Hallo vtique*) *non sine feruore aliquo, eo videre esse discrimen inter hominem phlegmaticum &* cho-

[k] Hall. confess. Mar. 6.

cholericum; se verò ad alios hoc vt faciant, nominatim in comitatum Lancastrensem profecturum esse. Audis iam, Andrea, quibus indicijs intellecta ista sunt, & vides Tesmundo tuo quæ fides habenda sit. Nam quòd tam sanctè testatur nunquam se pedem intulisse in illum comitatum, penes ipsum esto vtra ex parte mentitus sit, quia eò se profecturum Hallo recepit. Cæterum quòd Batesium ais, *vnum illud indicasse cum literas tulisset* (Digbeij nempe ad vxorem) *offendisse sese Grenwellum, cumque eo ad herum rediisse;* faciam tibi iterum hanc gratiam vt Batesij ipsius

l Bates.confess. Ian.13. confessionem narrem, [l] *Se in ædibus Granti cum hero suo Catesbeio versantem ab Euerardo Digbeio consentientibus Catesbeio, Rob. Wintero & Granto missum Caughtonam cum literis ad Patrem Farmerum sacerdotem, dictum alias Walleium* (hæc enim sibi nomina Garnetus indiderat, vt ante admonitū est) *quibus ab illo consiliū petunt quam sibi iam rationem ineundam suaderet; has à se literas auditas dum à Walleio legerentur; interuenisse verò Grenwellum, cui quid rei esset interroganti literas ab illo lectas, & dictum in hæc verba, Voluerant ædes Parliamentarias sufflare & detecti sunt, & de nobis omnibus (de seipsis verò dixisse hoc) prorsus actum est. Mox replicasse Grenwellum; sibi atque Walleio amplius morandi locum non esse: se verò illum rogasse, vt siquid vnquam domino suo Catesbeio benè vellet, ad eum iam veniat. Subdidisse verò Grenwellum, non se recusaturum ad illum vt veniat, quamuis millies sibi moriendum sit, nisi quod periculum iam esset totius Iesuitarum societatis subuertendæ. Nihilominus postquam illum ad horæ dimidium cum Walleio colloquentem dimisisset, egressum denuò, & cum illo ad Roberti Winteri domum profectum; ibi priuatim cum Catesbeio communicasse, & eo facto, cæterisq; ibi in atrio salutatis ad Abingtoni domum, quantum quidem arbitratur, properasse.* Iam quòd tu illum ais *à Catesbeio missum cum Euerardi Digbeij ad vxorem literis*, lon-

m Ibid. gè ipse aliter refert, [m] *Se vbi cum prædictis literis missus est, rogatum à Digbeio nuncium vt vxori apportet, nempe vt quæ ab ipso missa habuit in secreto aliquo loco reponeret, vbi in tuto esse possent.* Ac de literis quidem illis ad se missis à Digbeio pariter & Catesbeio subsignatis, confirmat nos Garnetus ipse, earumque sententiam

n Garnet.confess.Feb.20. plenius exponit, [n] *Iam ipsis aut certè nunquam opem ab illo ferendam; quòd si illos perire sinat, siue scrupulositate, siue metu lædendi corporis, cuius ipse membrum est, non modo Iesuitas, sed simul cum*

illis

illis Catholicos omnes esse perituros; sibi iam in Walliam fugiendum, vbi opem illius expectaturi sint. Agnoscit *literas ist.us se accepisse Caughtonæ; interim verò dum legeret interuenisse Grenwellum; ei se literas legisse; tum Batesium dixisse, comprehensum esse Fauksium, Grenwellum verò addidisse, de se omnibus actum esse.* Habes iam opinor de literis illis quantum tibi satis est, ex quo fac memineris Grenwellus tuus qui vir siet; quàm continuus in hac causa mendaciorum artifex, ne te amplius ab illo illudi patiaris. Cæterùm quid hic toties audio de Iesuitis? Actum de Iesuitis clamat Garnetus; Societati metuit Grenwellus ne funditùs pereat; Digbeius & Catesbeius malè ominantur Societati. Quid, & tamen Societas extra noxam est? Næ tu lepidus homo es, qui ita te chartulis tuis maculatis oculos nobis putas posse configere. Rideo verò vbi fabulam illam lego, quam à Grenwello accepisse te ais tam malè consutã, tam stultè confictã, tam à rebus ipsis alienam; & miror hominem te esse tam stolidum vt commentum tam putidum in publicum prodere non pigeret; *Rogatum* scilicet *à Batesio vt ad dominum suum veniret, cùm continuò in eum locum aduolasset, neminem ibi offendisse; cùm abire constitueret, conspectos ab eo coniuratos in equis venientes; ibi vicem illorum cum lachrymis commiseratum dixisse, se quod omnes testari possint consilij eius expertem, ærumnarum participem libenter fore; deberi hoc eorum in se officijs & suæ in eos charitati; auxilio locum esse nullum; oportere vt saluti suæ fuga consulant; nam Catholicorum auxilia frustra expectaturos; eos ad seditionem neque vnquam antè animum adiecisse, & præsenti consternatione attonitos nihil ausuros esse; non deesse qui in eo discrimine eorum confessiones excipiat, quare operam suam minùs necessariam videri; ob eamq́ rem bona illorum cum venia in latebras abiturum.* Attende, Lector, nondum appellatus testes illos appellat *se consilij expertem esse*; & tamen negare non potest rem sibi à Catesbeio, cui loquitur, communicatam esse. *Ærumnarum participem se fore promittit, idq́ illis debere se ait*, & mox tamen operam suam illis non necessariam profitetur, valedicit ergò, in latebras abiturus. *Catholicos* ait *nunquam ad seditionem animum adiecisse*, quos tu ante dicis ex Garneti tui literis, animo ita esse ad seditionem inflammato, vt compescendis motibus Iesuitarum authoritas non sufficiat, censuris Pontificijs opus sit. Ecquis tandem est nare tam hebeti vt

fraudem

fraudem istam tam crassam non suboleat? ecquis tam cœcus vt non planè peruideat hæc omnia ex condicto à te scribi? Sed vt de congressu illo aliquid porrò intelligas, confitetur Henricus Morganus;[o] *Grenwellum se vltimò vidisse ad domum Roberti Winteri biduo antequam coniurati vnà secum caperentur; quò aduenerat,* inquit, *quo die nos cum Catesbeio & Perceio eò conuenimus postquam equos Warwici ceperamus. Catesbeius verò,* inquit, *illum contuitus dixit; Est hic generosus, paratus ad communem nobiscum, siue vitam siue mortem. Cum Catesbeio verò & Perceio priuatim ad duas circiter horas collocutus discessit.* Rookwooddus, cui nomen Grenwelli non notum, ita habet; [p] *Ad domum Roberti Winteri Catesbeio & Perceio comitantibus accessi, vbi ad portam atriensem occurrit nobis generosus quidam peregrinus, vestitu aliquantulùm nigricante, & qui ipse erat fusco colore, cum quo collocuti sunt ad horæ spatium vel amplius Catesbeius & Perceius, quo facto equum conscendit & discessit, sed quò abierit, mihi non constat.* Itidem Stephanus Litteltonus; [q] *Priusquam Catesbeius & Perceius Huddingtonam venirent, fuisse ibi Batesium & quendam dictum Grenwellum, cum quo collocuti sunt circiter horam Catesbeius & Perceius; eoque facto abiisse.* I iam, Andrea, & rem expostula cum Grenwello tuo, qui te tam improbè fallit; sciscitare ab illo vbi lachrymæ illæ, vbi cõmiseratio, vbi protestationes, vbi reliqua illa omnia, de quibus qui ibi præsentes adfuerunt testantur nihil; de quo nihil ibi auditum est, nisi ad communem cum illis fortunam esse deuotum. Quanquam quid illum solum exagito, qui nihil dubito quin mendacia ista omnia non minùs à tuo quàm ab illius cerebro conficta sint? Ac quòd illum affers profitentem & coniuratos tam sanctè contestantem se consilij expertem fuisse, faxo intelligas ex ipsius Garneti testimonio quàm hoc siue à te siue ab illo mendacissimè dictum sit. Narrat ergò Garnetus[r] *circa festum Ioannis Baptistæ penultimum* (quod illi fuit anno 1604) *venisse ad se Catesbeium & Tho. Winterum, & intimasse habere se aliquid in opere, & certissimè præualituros esse. Paulò post,* inquit, *venit ad me Grenwellus, & hoc ipsum quoque dixit mihi.* Iam qua de re dixerit, exponit Garnetus ipse altera confessione:[s] *Cùm Grenwellus ei rem communicauit de Comitio puluere tormentario suffulminando, cupiisse se scire secretum rei; Grenwellum vero respondisse, se arcani lege obligatum vt dicere non posset.*

o Hen. Morgã autogr. Ian. 10

p Amb. Rookw. autogr. Ian. 10.

q Steph. Littel confess. Ian. 17

r Garnet. autogr. Mar. 13.

s Garnet. confess. Mar. 14.

Ergò

Ergò dixit tum in genere tantùm; sed de actione pulverea dixisse Garnetus ipse testis est. Ac sub eodem tempore proposita iterum Garneto quæstione de perdendis innocentibus à Catesbeio pariter & Grenwello, [t] *Qui ambo venerunt vt ea de re consilium ab illo caperent.* Nam quòd Garnetus interdum videri vult haud factam sibi quæstionem ante mensem Iunium qui Nouembrem actioni destinatum proximè præcessit, manifestè ipse prodit mendacium suum, qui se testatur [u] *initio mensis Iulij (qui fuit anno 1604.) scripsisse ad Pontificem de particulari stratagemate, Martio verò sequente, superiore vt* habet ille, *responsum accepisse.* Martius ergò mensis intercesserat inter Iunium illum quo proposita quæstio, narratumque illi de particulari aduersus Regem regnumq; stratagemate, & Nouembrem illum quo hoc in effectum dari debuit. Iam ergò Grenwellus toto anno coniurationis particeps & quantum anni sequentis à Iunio mense ad Nouembrem intercessit. Quòd autem porrò dicis, *rem illum nonnisi per confessionem accepisse*, id quoque apertè falsum est. Nam quòd rem confirmat antè à Catesbeio & Wintero indicatam, & de eadem vnà cum Catesbeio commune consilium capit, remota ista certè à confessione sunt. Quin & audi quod ait in Batesij causa Garnetus: [x] *Si Batesius rem Grenwello per confessionem dixerat, non debuisse illam sibi prodere, ne Pontifici quidem.* Idem ergo tibi cape; si Grenwellus rem à Catesbeio per confessionem accepisset, non debuisse Garneto prodere, nec certè vel Pontifici. Et quidem affirmat Garnetus, [y] *Pro certo se habere negotium pyriopuluereum Grenwello communicatum à Catesbeio; nescire verò an à quoquam alio; dixisse tamen Grenwellum, absque consensu duorum aliorum communicari sibi non potuisse.* De consensu dixit, de confessione nihil dixit; immo alibi Garnetus [z] *putare se quidem* ait *rem Grenwello per confessionem auditam, sed nunquam ita sibi ab illo dictum esse.* Certè profectò dixisset, immò illum Garnetus interrogasset siquis de confessione scrupulus hæsisset: quia nec ille dicit, nec iste requirit, manifestum est nihil hìc cum confessione negotij fuisse. Quid iam ergò facias Grenwello tuo qui nullum mentiendi finem facit? immò quid Pontifici dicas qui de non pœnitente, immò in scelere suo improbè pertinaci pœnitentiarium fecit? Dic quod res est, esse illum *hominem peccati* qui fouendo sceleri atq; mendacio Satana parente natus est. Duo

[t] Garnet. Autogr. Apr. 6.

[u] Garnet. confess. Mar. 12.

[x] Ibid.

[y] Garnet. confess. Mar. 12.

[z] Autogr. Garnet. Mar. 31.

tandem obiter intercurrunt in quibus iterum ridendus es. In altero prehendis ansam non datam quasi Cokus *Catacatholicorum vestrorum fida pectora* laudasset, quasi à vestris inanis *seditionum ac belli suspicio sit*, quia in illa consiliorum vestrorum dissipatione nemo in rebellionem commotus est. Sed intellige, Andrea, non officio, non conscientia religionis, sed tantùm metu & periculo suo esse retentos, id quod te teste dicimus qui ex literis vestris

a Pag. 241. ista nobis occinis: [a] *Si tolerationis negotium minùs successerit, id Catholici non videntur laturi: Iesuitæ quidem eos in officio continere non poterunt: edicat summus Pontifex pro imperio nequis com-*

b Pag. 249. *mouere se audeat.* Et iterum: [b] *Catholici ferè omnes in desperationem acti videntur; multi etiàm de Iesuitis queruntur quòd impedimento eos esse dicant quominus aperta vis adhibeatur.* Et ne plura

c Pag. 254 255. repetam, tertiò quoque: [c] *Sunt non pauci qui nudo Sanctitatis suæ iussu cohiberi non possunt; ausi sunt enim viuo Papa Clemente interrogare an posit Papa prohibere quominus vitam suam defendant: Sanctitas sua sub censuris omnem armorum vim Catholicis prohibeat.* Quæ omnia quantumuis summa intermixta hypocrisi scripta sint, tamen oculatos & expertos fallere non possunt, quibus vsu constat arma vestris prohiberi nonnisi in fraudem, *rebus sic stantibus & donec publica Bullæ executio fieri posit*, quod vestris à Pio

d Garnet. confess. Feb. 20. quinto & Gregorio decimotertio indultum [d] Garnetus tuus testatus est; vestrorum interim ingenia demonstrant nonnisi seditiones & bella parturire, & nisi impares se Regi ad congressum cernerent, frænis vestris coerceri non posse. In altero quod dixi miram Catesbeij tui religionem ex cerebri tui fumo fingis, quam non aliter proponis nisi per *fieri potuisse* & *vix fieri potuisse vt non.* Iurauit scilicet se consilium proditionis ne confessario quidem reuelaturum, quod tamen reuelauit. *Fieri potuit*, inquis, *vt iuramenti illius tanquam inconsiderati religionē nullam esse existimauerit*, & *fieri potuit vt temeritatem eius apud Confessarium accusarit*, & *vix fieri potest vt absolutionem eius non petierit.* Apage te verò, furcifer, cum possibilitatibus istis tuis, & desine hominem ad scelera sua profligatissimum in quo nulla vnquam pœnitentiæ vel vmbra conspecta est, à perfidiæ macula, qua in omnem partem infamis est, figmentis tuis liberare conari.

CAP. XI.

Garneti plures aliæ proditoriæ actiones & consilia manifestis indicijs asseruntur.



EMittendus in publicum liber de Proditoribus non sine magna ratione visus est, vt intelligat orbis Christianus damnata illa Iesuitarũ Societas quàm meritò nobis inuisa, & non minùs è nostra quàm Venetorum rep. exterminanda videatur. Ac nobis quidem vehementer placet quod dicis, Andrea, *totius ordinis vestri existimationem ab vno Garneto pendere & vix ab eo seiungi posse*, vt postquam illum constiterit præter cæterorum vitiorum infamiam proditoriæ perfidiæ maculam subire turpissimam, omnes nigri esse sciamini, vosque quod iam faciunt magis magisque abhorreant boni omnes, & Ecclesiæ Christianæ teterrimam pestem esse persentiant, te verò inprimis execrabilem hominem esse non dubitent qui in hominis sceleratissimi defensione tantam operam ponis, eumque immani audacia *virum optimum* indigetas, cui quantum apparet ne pilus quidem vnquam viri boni fuit. Ac Cokus quidem ab ingressu eius in Angliam exorsus plura narrat quæ perfidum hominis ingenium ostendunt & planè conspicuum reddunt, quàm ille semper totus ad proditionem incubuit, prout in Angliam, homo ex indole ad hoc negotium electus, hoc ipso fine missus est. Ingressum verò eius notat ex ipsius [a] Garneti confessione in annum incidisse 1586. *quo, inuicta illa dicta à Pontifice, classis Hispanica parabatur, cuius anteambulones & præcursores Iesuitas fuisse dicit.* Hìc tu; *Non videt homo infælix quàm stultè, quamq; ridiculè mentiatur.* Quid ita verò? *Quia scilicet soluit ex Hispania classis illa biennio postquam Garnetus in Angliam missus est.* At tu miser non interim vides quàm tu stultè ridiculeque respondeas? Soluit quidem classis Hispanica biennio post Garneti in Angliam aduentum, sed parabat illam Hispanus multos antè annos quàm ille hùc missus est. Vidisti optimè, in codice Latino nescio quo errato deesse verbum principale quod habebatur in Anglicano, *parabatur*, quod vt sententiam intelligeres pro ea qua es in rebus nostris & literis peritia inde supplere debuisses, & non stolida responsione prodere ita futilitatem & ineptiam tuam. Classem autem illam

[a] *Garnet. confess. Mar. 12*

Hispanus decennio ferè meditatus est antequam in Angliam expedita est, quam ab initio desperauit posse succedere, nisi scindere regnum, partemque bonam consilijs suis adiungere valeret. Eo fine intromissi Iesuitæ [b] anno 1580. Elizabethæ Reginæ vicesimo secundo, qui illusionum maiori efficacia & authoritate subornati, prætextu religionis transfugas in Hispanorum castra futuros præpararent. Neque obstat quod opponis *Legatum Regis Hispaniarum in aduentu Campiani in Anglia degisse*, quia abundè notum est Legatum Regis Hispaniarum hic agentem aduersus Reginam cum proditoribus coniurasse, Regemque ipsum submisisse qui cum illa de pace tractarent, quando ingens illa classis funestando regno comparata ceruicibus nostris immineret. Cæterum quo fine Iesuitæ venerint, quid egerint, quæ dogmata secum attulerint, quàm ab illis omnia eò comparata sint vt Reginæ subditos ad defectionem solicitarent, quàm stultè hic à te dicantur omnia quibus perfidiam illorum imminuere conaris, abundè supra capite sexto dictum est, nec operæpretium hic esset in ijsdem repetendis diutiùs morari. Postquam verò vsu perspecti mores illorum, & consilia cum certissimo reip. periculo coniuncta comperta sunt, leges æquissimæ sancitæ quæ illis aditum regni, addita capitali pœna, interdicerent, quibus in primo appulsu Garnetus tuus reus læsæ maiestatis ad crucem iure optimo ablegari debuisset. Cui non *proximorum charitas*, sed stulta inanis gloriæ cupiditas, nec ambitus veri *Martyrij*, sed Circumcellionum insanus furor dux fuit vt in scelera illa se præcipitaret, quibus iustissimè peremptus non Christi Martyrio decoratus, sed æternis ignominiæ tenebris addictus est.

b *Concertat. eccles. Cathol. in Anglia, pag.* 158.

Post ingressum egit ille strenuè quod speratum ab illo est, & hospitium eius nonnisi officina proditionis fuit. Refert ipse Hallo per interloquium [c] *obiectum sibi à Præfecto Arcis Londinensis quòd per sex septemue annos proditor fuisset, idque se probare posse, & habere plures eius literas quas ea de re contra illum producat; respondisse verò se; habere se indulgentiæ diploma Regium de omnibus quæ Elizabethæ Reginæ tempore, admisit; ex quo verò Rex in regnum venit, nihil in eum probari posse.* Vide vt ipse se proditorem agnoscat Elizabethæ tempore, & proinde curasse vt Regalis gratiæ priuilegio ab illius noxæ vinculo solueretur. Atque in illam quidem

c *Hall. Relat. interlocut. cū Garnet. Mar.* 25.

coepta

cœpta primùm coniuratio Hispanica de qua illum proximo loco purgare conaris; quæ mortua Reginâ tentata iterum in Regem, sed pace ab illo cum Hispano facta frustrata est. Exposita supra ratio est coniurationis illius qua desideratus ab Hispano exercitus quo sibi Angliam subiugaret, stipulatione facta futurum vt ei se Papicolarum nostrorum vires cum equis bis mille coniungerent, qua conditione promissi ab illo centum mille coronati aurei, ita ab illis elocandi prout è re visum foret. Hìc tu pro Garneto defendendo nihil aliud affers nisi responsionem ab illo in iudicio factam, ieiunam illam & miseram; *tractationem cum Hispano propositam sibi quidem, & pecuniæ petitionem, sed de exercitu parando se insciente actum esse*. Itanè verò? nesciuit ille de exercitu? cur ergò non dicit qua de re alia tractatum cum Hispano? quorsum impetrata pecunia illa? *Ille se eam dicit animo suo destinasse egenis Catholicis subleuandis*. Sed de animo illius non laboramus; dicat quo illa nomine ab Hispano requisita sit, qui certè egenis Catholicis subleuandis, vt tu loqueris, centum mille coronatos numerare nunquam decreuerat? Certè non habet quod dicat nisi procurando belli negotio & petitam à suis & ab Hispano concessam esse. *Cui* ergò *non ignota pecuniæ petitio*, certè petendi occasio & vsus ignorari non potuit. Nec verò credibile est quam Hispanus in belli vsum suppeditandam constituerat, eam Garnetum in alios vsus accommodare voluisse. Sed in illa *proposita sibi tractatione cum Hispano* de exercitu petendo actum esse, ipse aduersum se testis est, qui confessus ante fuerat [d] *Elizabethæ Reginæ tempore denunciatum sibi à Francisco Treshamo, Roberto Catesbeio, Thoma Wintero, alijsque quorum viuentium adhuc nomina prodere recusauit, se quòd vnà cum cæteris Catacatholicis tantis angustijs prementur, cum Hispano Rege tractaturos de regno inuadendo*. Proposita ergò illi tractatio cum Hispano nominatim *de regno inuadendo*. Mentitur ergò nescisse se initio consultum ab illis de exercitu impetrando. Sed *non consensisse se* ait, *non probasse consilium*. At animaduerte, Lector, quod ex Treshami confessione ante dictum est, *Garnetum pariter & Grenwellum in consilij conscientiam inductos vt negotio pondus & authoritatem adderent*; non consensisse non dixit, quod tamen libentissimè dicere voluisset. Immò Grenwellus consensit; Garnetum credimus non consensisse? Grenwellus, vt vidimus, negotiator cum Thoma Wintero profectus

[d] Garnet. Confes. Feb. 20

fectus est; an verò inconsulto, an repugnante Garneto profectus est? At cur ille non vetat, cur *virtute obedientiæ* non iniungit ne eat? Nempe respondet[e] *Sibi id facere non licere; quippe habuisse in mandatis vt ab hoc negotio abstineret.* Itanè verò, vt non prohibeat, vt non impediat? Meminimus hac occasione quod ex [f] Garneti literis antè à te commemoratum est, vbi significato suorum animo pro *aperta vi adhibenda* subiungit, *Hæc ad me casu delata sunt; nā quæ eorum mens, quæ consilia quærere non audeo, quòd toto hoc rerum genere abstinere nos iusserit P. Generalis.* Nempe egregiè consultum à vobis vt ruant vestri præcipites in seditionum & proditionum tetra consilia, vos interim conscij nihil impediatis quòd *toto hoc rerum genere abstinere iusserit P. Generalis*, digni interim omnes cum Patre vesto qui debitam proditoribus mercedem reportetis. Hoccinè verò vobis est animarum Pastores esse? Hoccinè pro salute hominum contra Satanam excubare? hoccine illud quod Deus monet; [g] *Si non locutus fueris impio vt auertatur à via sua impia, sanguinem eius de manu tua requiram?* Sed notæ nobis præstigiæ, nota hypocrisis vestra. [h] *Mulier adultera comedit & tergens os suum dicit; Non sum operata malum.* Quod maximè agitis vt scelerum istorum consultores sitis, hoc minimè videri vultis, prætextu *quòd hoc toto rerum genere abstinere iusserit P. Generalis.* In hac vna verò re videat orbis Christianus quàm solicitè abstineatis. Dictum est de Grenwello ex Fauksij cōfessione capite superiore, fuisse illum in hac proditione regnante adhuc Elizabetha, non conscium modò sed actorem; videamus iam porrò ex quo Rex Iacobus ad regnum Angliæ peruenit, quos ille alios Iesuitas proditionis eiusdem conscios appellet. Ergo [i] *initio regni Iacobi missum se ait Bruxellis in Hispaniam ab Oweno, Baldwino, Stanleio, vt Regi nunciaret Regem Angliæ, quantum quidem videretur, asperiùs acturum cum Catacatholicis, & porro rogaret vt exercitum in Angliam ad Milfordiæ portum traduceret cum quo illi se coniungere parati essent. Offendisse ibi se narrat Christophorum Wright eadem omninò causa missum ex Anglia.* [k] *Intellexisse ibi, dum vterque hanc rem ageret, fidem Regi datam à Catacatholicis Anglis de sua illi ope præstanda. Se verò ait literas tulisse à Marchione ad Regem, & missum ad Creswellum vt ei missionis suæ consilium significaret secundùm quod ante dictum est; dixisse porrò sibi Baldwinum, Owenum, Stanleium, significatum ipsis à Catacatholicis in Anglia*

[e] Act. in prodit. pag. 99.
[f] Pag. 249.
[g] Ezech. 3.18.
[h] Prou. 30.20.
[i] Fauks. Confes. Nou. 25.
[k] Idem Confes. Nou. 30.

lia de certa illorum sententia & voluntate coniungendi auxilia sua cum exercitu Hispano. Antonium etiam Chamberum Bruxellis agentem, quique Archiduci erat à sacello, dixisse sibi, datum esse Catalogum nominum plurium ex ijsdem Catacatholicis qui eidem negotio adiutrices manus darent. Narrat etiam *Creswellum sibi significasse Christophorum Wrightum eidem rei operam dare; Baldwinum etiam dixisse curaturos Catacatholicos vt equi bis mille prastò sint qui cum Hispanis viribus coeant: quòd ex omnibus ad bellum necessarijs equis maximè illis opus esset, hocque iussisse vt Creswello nunciaret, seque id fecisse. Creswellum verò voluisse vt Regem ea de re certiorem faceret, & id quoque factum esse. Ablegatum se à Rege ad ducem Lermensem vt tantundem ei significaret, eique rei confirmandæ Creswellum adhibitum. Cum tandem ex Hispania re infecta discederet à Creswello literas habuisse sui commendatitias ad Spinolam Marchionem: postquam verò Bruxellis ad duos menses mansisset in Angliam cum Thoma Wintero reuersum esse.* Animaduerte hic, Andrea, quàm religiosè seruatur à vestris *ab hoc toto rerum genere abstinere, quòd sic iusserit P. Generalis.* Vide Grenwellum, Creswellum, Baldwinum, omnes in hac causa proditionis comparticipes & consentientes, & Garnetum quisquam immunem putet? Immò ipse se rem consciisse non negat, sed improbasse videri vult. At quo teste vult? Nempe sibi credi vult; quòd si testem requiras, nemo prorsus est, non Fauksius, non Thomas Winterus, non Treshamus, non quisquam è coniuratis dixit rem à Garneto improbatam esse. Immò maximè probatam esse confirmat Watsonus qui [l] Darcium, hoc est, Garnetum narrat cum Gerardo, Blunto alijsque Iesuitis, obequitandis regionibus, conciliandis & confirmandis ad consilia sua Catacatholicis, comparandis equis, alijsque ad bellum necessarijs instruendis strenuè nauasse operam, donec suspicio aliqua emergere cœpisset, quæ remittere fecit aliquantulum conatus illos, quousque pace inter Reges sancita vis tandem Hispanica prorsus desperata est. Sed esto vt improbarit, certè ita improbare vt non impedias, quod [m] Heli Sacerdoti olim exprobratum est, nonnisi consortem sceleris & reum facit; reclamando, resistendo, deferendo, fidem suam liberare debuisset. Tu verò non *quærendo quæris potueritne Garnetus authores deferre cùm ij iure Bullæ Pij quinti vterentur?* At quid per vos potuerit, quid ad nos? Qui per Bullam Pij quinti non poterit apud vos impiam

[l] *Watson. Autogr. Aug. 10.*

[m] *1. Sam. 2.*

impiam illam, præsumptoriam, vsurpatoriam, Antichristianam, verè stultam, luat ille stultus crucem apud nos, & Bulla ad iugulum appensa debitum sibi atque illi suspendium ferat. Quanquam meminisse debueras proditionem illam ad Reginæ perniciem inchoatam, aduersus Regem quoque, vt diximus, continuatam esse, vt ibi Bulla Pij quinti nullam illi defensionem præbere possit. Remittis verò Lectorem ad nescio quæ antè commemorata *quæ id genus delationum illi difficillimum reddebant*, quæ vt otiosè à te & ineptè sunt posita, vanitate sua diffluunt, nec difficultatum argumenta, sed puerilium causationum leuissima folia & mera impostorum ludibria censenda sunt. *Sacrosanctum confessionis arcanum deferri non debuit*. De illo pòst in causa illa viderîmus, hìc arcanum confessionis nullum fuit. Quo labitur & tertia ratio de *scandalo reuelatæ confessionis*; quanquam multò certe melius est vt scandalum admittatur quàm iustitia relinquatur, nec ibi hominum offensa metuenda vbi res cum summo in Deum hominesque scelere coniunctæ sunt. *At quâ ratione ad Regem aut Magistratus accederet tot nominibus reus, quòd Iesuita, quòd Sacerdos? &c.* Stulte, quid opus accedere quando scripto rem deferre potuisset? & qui minùs hanc citra vllum sibi periculum quàm Watsonianã Archipresbyter? Tu illam antè gloriaris [a] *vestrorum indiciis patefactam, bonamque inde de vobis apud Regios Consiliarios existimationem esse habitam*: cur eandem gratiam Garnetus in cæteris non speraret? cur tu illum somniantem facis *infamias vestrorum, & pressuras & capita furoribus nostris obiicienda, & periclitantem Ecclesiam vestram*, si consilium detulisset, quorum in simili causa nihil vnquam, immò contraria potiùs omnia expertus est? Ecquid vnquam in vestrorum iniuriam redundâuit quod à vobis ex officio factum est? Ecqua vnquam detecta coniuratione, etiam puluerea ista, sæuitum in vestros, vel in quenquam præterquàm in solos reos animaduersum est? Sed tu, vt es vbiq; veterator & falsus, spectra ista & Panica terrorum ludibria non ex Garneti sensu (neque enim cogitauit ista vnquam) sed ex cerebri tui redundantia fingis, quæ sceleratissimi hominis immani perfidiæ qualicunque saltem integumento sint. Hæc autem quia vides nonnisi pro figmentis otiosis & putidis haberi posse, facilè dimittis, & ad *excusationem optimam* scilicet *atque aptissimam venis, ideò non detulisse quòd verisimile existimabat immò satis sciebat,*

[a] Pag. 242. 243.

coniu-

coniuratos ad saniora consilia traduci posse. En ad quàm saniora consilia, qui à coniuratione ista non destiterunt, quousque spes omnis Hispanicorum auxiliorum erepta est; quique mox atque ab illa spe ceciderant, in alteram hanc puluercam proditionem vnanimes coniuncti sunt. Hæc sunt nimirùm *saniora consilia vestra*, quibus vestri assiduè in peius præcipites eunt. At inquis, *non tam subita reip. pernicies imminebat vt nisi è vestigio res deferretur, remedium nullum reliquum esset.* Atqui per illos non stetit vt non subita immineret, quorum mira indignatio & fremitus quòd ab Hispano dilati sunt. De celandis verò proditionibus perperàm à te agitur, & nulla fide locus Christi ab eo *quod in te deliquerit frater tuus*, detorquetur à te pariter, & Garneto tuo ad id quod in Regem remvè publicam delictum est. Vbi namque aduersus commune bonum peccatur, minimè consentaneum est vt res priuato consilio transigantur. Qui in rempub. peccat, stare debet arbitrio reip. non meo. Remittere possum iniuriam meam, reip. non possum. Neque verò mihi decernendum est, quanto tempore arcanum tenere liceat, sed in eo leges audiendæ sunt, quæ apud nos præcipiunt conscientiam proditionis intra vnius diei spatium, nempe intra horas vigintiquatuor, esse deferendam. Ac leges nostras Garnetus [o] *iustissimas & apprimè salutares esse* fatetur, adhibita ratione grauissima, quia *Principis salus ab alterius conscientia pendere non debet.* Pessimè ergo tu Garnetum tuū defendis aduersum leges illas quas ipse iustas & salutares esse non negat. Frustra verò exceptio illa tua *si certò scias proditorem correctione tua auocari à proditione posse*, quia quid in mente proditoris sit certò scire non potes. Sunt enim in animis hominum multæ latebræ, multi recessus, & deferendi metu simulare apud te pœnitentiam sedulò potest, qui tamen apud se totus ad scelus inflammatus est. Casibus autem istis & ambiguitatibus qui salutem Principis committendam putet, meritò pœnam luit, & qui hoc alienæ voluntatis incerto remp. periclitari vltrò patitur, certè qui rep. fruatur indignus est. Neque hìc Thomam tuum nobis occine, aut eiusdem farinæ quemuis alium quia rerump. salus à Thomæ tui cerebro suspendi non debet. Quare Garnetus tuus qui homines improbos, & ad proditionum vicissitudinem obstinatos silentio tulit, meritò in proditorum numero reponendus est, nec vlla ratio excusat quominus capite reus habendus esset.

[o] *Actio in Proditor. pag. 99.*

Ea ratione conscius reatus & periculi sui, Regiam indulgentiam sibi primo Regis Ianuario curauit obtinendam, de qua scripsit ipse ad popularem quendam suum, [p] *Ab Hispanica proditione se Regio diplomate immunem fore, sperare tantundem de puluerea quòd probatio in eum defectura esset.* Denique quod iterum repetis grandem illam pecuniæ summam ab Hispano impetratam vt per eam *vestrorum inopiæ subueniretur*, ita manifestum est mendacium, vt ne Garnetus quidem ipse hoc dixerit, sed tantùm *se animo suo destinasse illam subleuandis egenis*, quam alio fine atque vsu promissam esse supra confirmatum est. Frustra ergò & extra caussam affers illa de ope Gallis & Belgis, & Batauis & Scotis ab Elizabetha Regina suppeditata, & improbè mentiris, more tuo, egisse illam vt *iusta Regum suorum imperia excuterent*, quæ semper religiosissimè seruauit vt iura Regum iustaque imperia tueretur, nec tamen vicinos populos nouorum hominum vsurpatione & alienigenarum superba tyrannide cum manifesto periculo suo proculcari pateretur. Quarum rerum reddidit illa orbi Christiano rationes suas, æquissimas illas & cum communi gentium iure coniunctas, quas habes in Chronicis illorum temporum, & à nobis retexi haud opus est.

p *Act. in proditi pag. 86.*

De Breuibus Pontificijs proximo loco dicendum occurrit, quibus Serenissimo Regi aditum ad regni solium intercipere conatus est, quæ iure optimo Regis animum exacerbarunt, & meritò vestris infensiorem quos videt hosti tam aperto obsequia sua profitentes, reddere potuisse. Sed ille vt est animo ad humanitatem & clementiam verè Regio, satius existimauit fera pectora mollire quàm frangere, & expugnare benignitate malitiam eorum qui iure illum suo exuere voluissent. Tu verò de Breuibus illis *calumniam factam* dicis, & misera vanitate persuasum esse vis, *idq; Regem ex Mathæi Torti libello perspexisse* sperare te profiteris, *Breuia illa pro se potiùs quàm contra se scripta esse.* Quasi verò tanta vis sit fascinorum vestrorum vt sensus nobis atque oculos eripiant: quasi tam facilè fiant nobis, *Candida de nigris & de candentibus atra.* Id tamen vt effectum des, plura narras quibus futurum putabatur, *vt ab Reginæ morte de nouo Rege nonnisi bello decerneretur; cauisse ergo Pontificem vt si Rex bello constituendus esset, nullius partes Catacatholici sequerentur qui ab Ecclesia Romana*, quam tu ridiculè *Catholicam* vocas, *alienior futurus videretur*. Sed cautè

à

à te pariterque à Torto tuo factum est, ne Breuium illorum exemplaria insererentur, nevè ad nos ex illis quicquam amplius perueniret quàm potuit Garnetus parcè satis & haud satis integra fide de memoria recitare. Quòd si integra illa nobis essent in manibus, multò apertiùs impostura vestra & perfidia cerneretur. Cæterum quæ à te dicuntur quibus de statu regni futuro dubitatum est, conficta sunt à te omnia, neque quicquam in rebus nostris fuit, vt rationibus illis quisquam vnquam vir prudens & in politicis versatus de rerum euentu anceps esse potuisset. Quæcunque verò erant quibus de iure Regis hæreditario, vel de rerum nostrarum securitate diminutum aliquid & detractum est, debebantur omnia perfidiæ vestræ, qua studiosissimè factum est, vt in regni competitionem immitterentur, quibus ne prætextus quidem iuris nisi factitius è fumo fuit, & intestinis scissuris & seditionibus impedirentur, quibus iusta succedendi potestas esset. De iure Regis hæreditario nunquam ambiguum fuit, neque in regno quisquam habebatur qui existimari poterat cum eo in certamen regni descendere voluisse. Quare Pontifex si pater Christiani orbis, non vitricus, si Pastor, non lupus esset, non ambagibus illis fouere seditiones & bello aditum dare, sed aperta denunciatione manifestum ius Regis ad præoccupandos tumultus asserere debuisset. Tu verò ais ex Mathæo Torto, *consilium dedisse quale dare decebat summum Pontificem, vt Catacatholici operam darent, quantum in ipsis esset, vt Rex ad religionem Catacatholicam benè affectus eligeretur*. Rectè tu verò mysterium aperis ex Torti tui ingenio tam torto. Quorsum enim illud *eligeretur*, vbi regnum iure natiuo definitum est, nisi vt excluderetur prorsus ille ad quem conscitum est ab omnibus titulo hæreditatis pertinere debuisse? Quare rectè tu obseruas, *non inueniri in Breuibus nomen Iacobi Regis*, quia nulla ibi mens, nullus animus Iacobum Scotiæ Regem in regnum Angliæ prouehendi. Nempe hoc decebat *summum Pontificem*, sed vestrum, qui ad proditiones & scelera pontem se facit, & turbis plurimùm oblectatur, quòd quæstui sibi esse perturbatos amnes semper expertus est. Et tamen Tortus pro ea qua est impudentia singulari, & ad contorquenda omnia mirabili facultate subijcere non veretur, *Verbis illis de Rege constituendo siue eligendo Iacobum Scotiæ Regem, non solùm non exclusum, sed potiùs inclusum*. Quid ita verò? *Quia ministri*

ſtri eius maximam ſpem fecerant eum à fide Catacatholica ſuſcipienda non abhorrere. At cur ſtum celata Breuia illa tam diu? cur non in publicum edita, quibus Rex pro concepta de illo tanta ſpe in regnum prouehendus eſſet? Cur non expreſſum ibi Iacobi nomen? cur ſaltem non indicatum ei quæ in illum Pontificis mens eſſet, vt recognito beneficio gratiam meditari poſſet? Atqui aliud quoque fuiſſe ais, ex quo ſatisfactum vobis de Cataclyſmo Regis, *Scripſit enim literas ad Pontificem & Cardinales, Aldobrandinum & Bellarminum, plenas humanitatis, quibus petijt, vt pro negotijs ſuis Romæ tractandis aliquis è gente Scotorum Cardinalis crearetur.* Quid, & tanta porrò ſpes tam negligenter habita? tantinè officij apud vos tam nulla ratio? Certè hæret hìc aliquid, quod vereor ne vobis infamiam creet. Certè ſi ſpes vlla vobis de Rege, nunquam Breuia illa tam diſſoluta exijſſent. Tibi verò dura conſcientia eſt, & frons effrons, qui literas illas iterum ingeminas, quibus nunquam fides habita à vobis eſt. Dico & ea de re conſcientiam tuam conuenio, nunquam dubitatum à vobis, quin literæ illæ per fraudem ſurreptę ſint. Et quidem authores literarum haud ſatis artifices conſilij ſui qui Regem faciunt de Cardinalibus ſibi creandis ſcribentem, priuſquam de hæreſi, ſi placet, renuncianda, de petenda reconciliatione, de obedientia in futurum promittenda quicquam ſcripſiſſet, vel Eccleſiæ veſtræ communione donatus eſſet. Fecit ergò ſubolfactus momento dolus vt nihil reſcriptum, nihil ſecundùm illas literas factum ſit. Quin & Clemens octauus haud multò pòſt ad Regem ſcribens, neque literas illas commeminit, neque ad perſeuerantiam hortatur, neque filium appellat, neque Apoſtolicam benedictionem impertitur, neque Pontificem agit, ſed tantùm quaſi Princeps ad Principem dictat omnia. Nunquam iſta Pontifex admiſiſſet, nunquam illam petitionem tam inbenignè habuiſſet, ſi tanti Regis tam opimam prædam ſibi in manus venturam ſomniaſſet. Nec verò vnquam Rex quicquam egit dicto, facto, ſcripto, vultu, nutu, quo ſe ſignificaret ad mutationem illam quoquo modo propendere. Nunquam ille ſuſpenſus animo de fide; nunquam ab Eccleſiæ conuentu, nunquam à myſterijs ſacris ritu patrio peractis ſe abſtinuit; nunquam cum Sacerdote aliquo vel Ieſuita, vel priuatim communicauit, cui ſignificauit ſaltem in aurem, mentem ſibi de religione mutatam eſſe. Itáne vt in tanta re literis nudis, & quidẽ

prima

prima facie suspiciosis creditum dixeris, quibus nihil vnquam aut vsquam consentaneum siue in rebus visum, siue auditum in verbis est? At hìc patet qui tu homo sis, quàm ad calumnias natus, quia edita multò ante Apologiam tuam *Tortura Torti* planè docuerat literas illas Regi per fraudem & perfidiam surreptas esse. Confessio ibi posita est Domini de Balmerinoch qua vocatus in quæstionem, dante occasionem Torto tuo, ingenuè agnoscit quo artificio, quo fine, quibus consultoribus & conscijs fraus illa Regi facta sit, vt impudentissimum te esse oporteat qui refricare manifestam calumniam, & pro veris obtrudere non verearis quæ authorum suorum indicio prodita sunt à mera impostura prouenisse. Immò vide, Lector, impurus iste canis vermiculo maledicentiæ, pruriente ad vexationem linguâ, in quam rabiem actus sit, cuius hæc tandem verba sunt; *Neque verò quæ posteà consecuta sunt, mihi quisquam obijciat, quia prolatis ijs literis id agimus vt Regem aut perfidiæ aut inconstantiæ arguamus.* Quin vt insolentiam hominis penitissimè videamus, subiungit; *Scimus enim quid Maiestati Regiæ, quid Mariæ Scotorum Reginæ filio debeamus.* Quàm indignum verò hoc vt stercus hoc hominum, quisquiliarius nebulo, Regiæ Maiestati tam contemptim illudat, tam superbè probrum faciat? Quis non indignetur & iugulo nihilissimi balatronis nouaculam immittat, ne amplius gula illa inuisa spiritum ducat quæ contumelias istas in augustissimum Regem indignissimas vomit? Sed reprimo me quia erit vbi corrosa ad foetorem vsque lingua illa impia, petulantiæ huius & furiosæ in Reges, *vnctos Domini*, maledicentiæ atque immodestiæ debitas poenas luet. Interim, Lector, animaduertis Regem neque perfidiæ à nebulone isto accusari debuisse, quia nullam vnquam fidē dederat; neque inconstantiæ, quia nulla vnquam species vel vmbra mutationis fuit. Neque verò mirum quòd obijci sibi deprecatur quæ consecuta sunt, quia consequentia omnia literarum illarum fidem prorsus euertunt, nihil inde omninò, nihil planè fuit quo sibi à Rege verè missas esse persuadere possent. Quòd si vnquam hæc illi mens, hic animus fuisset, certè ostendi aliquo modo potuisset, quo tempore, qua via, quibus authoribus, qua ratione ab instituto illo suo discesserit; quæ minimè dubium est perquirere voluisse vos & *à ministris illis*, quos dicitis, *Regijs* expiscari & ediscere si qua vnquam vobis literarum illarum opinio insedisset.

 dissset.

disset. Quanquam hoc quoque minimè prætereundum est, ferè biennium aut fortasse amplius inter literas illas & Breuia intercessisse. Datas namque literas testatur Balmerinoch anno 1598. Breuia verò Clementis anno 1600. te teste, fortasse posteriùs inscripta sunt. Quis autem dubitat exporrectas interim aures vestras & assiduè attentas & inaudientes quid porrò de tam grata vobis Regis peruersione nunciatum foret? Quare vtut de arida nubecula facta vobis pluuiæ spes, cum tamen toto illo biennio nihil consentaneum sequeretur, quis dubitat spem illam excussam penitùs & tanquam inductis tabulis obliteratam atque deletam esse? Mendacium est ergò totum hoc tuum & Torti tui de Iacobo ad electionem potiùs incluso quàm excluso, quia nulla vnquam vobis existimatio fuit alium illum futurum quàm nunc est. Atque id Owenus sub illo tempore cum indignatione professus est; id vbique disseminatum, teste Watsono, à Iesuitis quos Breuium illorum moderatores fuisse constat; id Parsonius ex Cardinalis Alani sententia scripsit, *cui nimirum testati fuerant è gente Scotorum viri plures docti & graues, qui pluribus annis id egerant vt Regem ad frugem suam perducerent, conuersionis eius spem nullam vel probabilitatem fuisse relictam; qui & ipse statuerat Regem sic ad hæresin affectum in eamq́; immersum, & sic omni modo cum hæreticis coniunctum ab ijsque allaqueatum, vt quamuis temporali aliquo respectu Catacatholici speciem induere videretur, securi tamē de illo esse non possent, nec per eum synceram aliquam reformationem expectare.* Ac verba quidem Alani ibi habita de Rege Breuium sententiam clarissimè nobis aperiunt, quæ respexit fortasse Parsonius Breuium illorum proculdubiò negotiator; *Se competitori ea, qua Rex erat, religione fauere per conscientiam non posse, quemcunque iuris titulum haberet, quamcunque sanguinis propinquitatem.* Sic enim Breuibus illis cautum esse testatur Garnetus q *vt à iure successionis excluderentur omnes, quantumcunque sanguinis propinquitate niterentur, nisi eiusmodi essent qui non modò fidem Catacatholicam tolerarent sed eam etiam omni ope ac studio promouerent ac more maiorum id se iureiurando præstituros susciperent.* Certè illud de *propinquitate sanguinis* nemo dubitat de Rege Iacobo intellectum ab illis esse, quo Elizabethæ Reginæ nemo quisquam sanguine propinquior fuit, ad quem omnibus claruit regnum Angliæ propinquitate sanguinis peruenire debuisse.

Watson. Quodlibet.

Iudiciū Card. Alan. de lib. success. authore R. P.

q *Autog. Garnet. Mar. 26.*

isse. Sed Breuium mentem, ne longiùs eamus, Garneti relatio nobis manifestam facit, qui narrat,[r] *Iunio ante illum diem penultimo accessisse ad se Catesbeium cum Thoma Wintero, & significasse, moliri se iam aliquid pro causa Catholica aduersus Regem & regnum quod bono effectu futurum esset. Id vbi dissuaderet ipse respondisse Catesbeium, certum sibi esse licere quod agerent, eoq; vsum hoc argumento, quandoquidem vi Breuium illorum intercipere Regi regni aditum licuisset, licere iam quoque illum expellere postquam ingressus est.* Quis ergò iam non videt eò Breuia illa comparata esse vt Iacobum Regem regni aditu prohiberent? Neque verò quicquam repugnauit Garnetus qui mentem Breuium intellexit probè, & de Rege Iacobo ibi ad electionem incluso ne per somnium quidem vnquam cogitauit, ac proinde nihil ea de re testatus est. Quare apagete Sycophantias istas & fraudes & circumscriptiones vestras, tu & Tortus ille tuus, Bellarminus iam olim ad scelerata ista consilia detortus; nolite mentiri spem vobis vnquam de Rege habitam; nulla vnquam fuit, nulla esse potuit, nunquam ita stolidus Pontifex vt hoc sibi in animum inducere potuisset. Et tamen retentæ literæ illæ, ostensæ aduenientibus, volentibus etiam descriptæ, nonnisi ad calumniã Regis, quod nunquam Pontifex fecisset, si verè à Rege profectas esse credidisset. Quòd autem ais, *Garnetum si perturbare remp. Breuibus illis voluisset, reddere voluisse ijs ad quos scripta erant cum primùm Elizabetha grauiùs ægrotare cœpisset*, præoccupauit ille tuum illud *cùm primùm*, quia[s] *simulatque accepisset communicauit ea Catesbeio & Tho. Wintero, & postea quoque Thomæ Perceio & Hallo* siue *Oldcorno* prout[t] ipse confessus est. Quòd si Catesbeio & Wintero & Perceio, quis dubitat quin illo tempore multis quoque alijs, maximè verò Iesuitis & Sacerdotibus qui clàm illa in vestrorum aures insusurrarent, ita vt quã à vobis factum satis minimè dubitemus, quo vestri sub Reginæ morte in seditiones & tumultus parati essent. Sed tamen anteuertit consilia vestra misericors Deus, Optimatum nostrorum summo consensu, aut siqui erant animo auersiores, iniecto ex reliquorum concordia rerum suarum metu, ita vt denunciatum repentè totam ferè per Angliam nomen Iacobi Regis, frænum maxillis vestris indiderit, & tumentes ira animos ita compresserit, vt ne hiscere quidem quisquam ausus sit. Ac Garnetus quidem ipse, cui tum Breuia in manibus erant, quæ

r Garnet. confess. Mar. 14.

s Garnet. confess. Mar. 14.

t Hall. confess. Mar. 13.

manda-

mandauerat Pontifex audita Reginæ morte continuò publicanda, cùm aduolaret ad illum eodem die Catesbeius & renunciaret Iacobum Regem publico præconio & magno cum ordinum omnium applausu & desiderio declaratum esse, non est ausus mutire aliquid contra, sed Breuia dicit, quanquam falsò dicit, mox à se in ignem esse coniecta. Hoc ergò Breuia spectarunt ne Iacobus admitteretur; cùm ille præter spem illorum acceptus & communi ferè omnium recognitione comprobatus est, statim Breuibus erepta vox & Bullæ mugire trepidæ, ne sono se proderent, cornua iam per tenebras acuere, & clancularijs insidijs vibrare cœperunt.

De commendatitijs literis quas Garnetus pro Fauksio, Bainhamo, Catesbeio scripsit, tu miserè respondes, *fecisse hoc humanitate vt homines ipsos amicis suis commendaret, sed consilia eorum ignorasse.* At notum antè fuisse Garneto proditionis consilium, abundè manifestum fecimus. Quàm puerile ergò hoc, proditorem pro proditoribus ad proditores scribere, & de proditione nihil scribere, vel negotia proficiscentium ignorare? Estnè quisquã tam insulsus qui tibi hoc vel Garneto tuo credat? qui consultò hæc à vobis ad tegendam perfidiam conficta esse non persentiat? Sed aliud quiddam hìc est quod nullo modo prætereundum puto. Garnetus enim agnoscit [u] *fuisse apud se Fauksium sub festo Paschæ* quo tempore in Belgium profecturus fuit, *vbi verò tum fuerit dicere recusat.* Agnoscit se illo tempore *literis eum Baldwino commendasse*, sed excipit, *per Fauksium ipsum literas non misisse sed alia via, idq; illi consuetum esse, & in ijs quoque pro Bainhamo missis idem fecisse.* At quorsum hæc cautio, vt quos nonnisi per humanitatem amicis commendas, eos tibi tabellarios esse non sinas? Periculum est fortasse de literis intercipiendis. At ex interceptis quid mali, quid incommodi vbi nonnisi amici ad amicum commendatio scripta est? quid hìc tanta solicitudine perferendarum literarum, quid tanta prouidentia opus est? Enimuero prodit hoc ipso Garnetus tuus perfidum sibi aliquod consilium agitari, & cæcus est qui non videt in hac circumspectione latere arcanum aliquod, quod consultum erat omni modo ne in manus nostras vel conscientiam perueniret? Nec verò ignotæ nobis hac in re præstigiæ atque artes vestræ; quæ literæ mittuntur negligentiùs, ijs ita scribi ex condicto de rebus vestris, vt è genio

[u] *Garnet. confess. Febr. 20.*

genio suo sententiam intelligant illi ad quos scribuntur, & illæ tamen nobis, si casu deferantur, fucum faciant, mentemque vobis non malam esse persuadeant; quæ verò arcana vestra continent & sceleratas designationes quæ iustam vobis infamiam creant, ijs de meatu secretiore prouisum esse solere, vt nullo infortunio inquisitorum nostrorum satis curiosæ diligentiæ subiacere posse videantur. Atque hoc mysterium elucidant nobis aliquantulùm Garneti tui literæ quas [x] ante commemoras ad P. Generalem, qui postquam vestrorum animos ad seditionem effrænatos & exæstuantes exposuisset, & amicos quoque conquerentes induxisset, Iesuitas eorum molitionibus obicem ponere (scilicet isti sunt quos ais [y] *ad seditionem nunquam animos adiecisse*) *statim subinfert; Vt hos aliquo modo leniremus & saltem tempus lucraremur vt dilatione aliqua adhiberi possint congrua remedia, hortati sumus vt communi cōsilio aliquem ad Sanctissimum mitterent, quod factum est, illumque ad illustrissimum Nuncium in Flandriam direxit vt ab ipso suæ Sanctitati commendetur, scriptis etiam literis quibus eorum sententiam exposui & rationes pro vtraque parte. Hæ literæ fusè scriptæ & plenissimæ fuere; tutissimè enim transferentur.* Vide literis istis non indicata esse consilia, quæ videbantur non prorsus absque discrimine perferendæ; fuisse alias literas *fusè scriptas & plenissimas* quibus arcana vestra descripta sunt, quòd essent *tutissimè transferendæ*. Vtinam verò videre cōtigisset *literas illas fusè scriptas & plenissimas & tutissimè transferendas*, quibus certè quacunque caligine res tegatur, proditionis tota ratio explicata est. Missus enim illo tempore Bainhamus, *qui de negotio Pontificem*, [z] Garneto ipso teste, *generaliter informaret*; qui verò potiùs expectaturus esset Romæ quousque ab Oweno certior factus de successu proditionis, tantumdem Pontifici renunciaret, eiusque opem imploraret, prout antè à Fauxsio & Wintero confessum est. Interim à literis illis, vt videtur, secutæ atque huc transmissæ quæ in procinctu essent, tres illæ dirarum, quas nunciauit nobis Baldwinus, fulminales Bullæ, mox à clade illa peracta promulgandæ, quibus effundenda Pontificis execratio in omnes qui deinceps Romanis legibus minùs obsequentes futuri essent. Iam in vno hoc Bainhami negotio videre est Garneti literæ commendatitiæ quid velint, vt frustra te constet literarum illarum venena integumento isto & prætextu

x Pag. 254.

y Pag. 288.

z *Garnet. Autogr. ad Patres & frat. Apr. 13. Dom. in Ramis Palmar.*

celare velle. Ac Fauksium quidem commendauit Baldwino, vt dictum est. Fauksius verò ipse agnoscit id sibi profectione illa inter cætera negotiatum esse, quod se curaturum Owenus pollicitus est, [a] *Vt Stanleius iam instante Parliamento, Anglicana quæ ibi habebat auxilia & quas alioqui copias obtinere posset, ad loca mari viciniora, rationem aliquam fictitiam causatus, adduceret*, quæ nempe tanto citiùs in Angliam transmitti possent, & ad proditorum vsus accommodari. Nunquid hic Garnetum nescisse dixeris, vel quisquam nescisse crediderit, quid rei Fauksius cum Baldwino & Oweno facturus esset? Scribit porrò ad Baldwinum in gratiam Catesbeij, [b] *vt Oweno intercedente ad Spinolam, equitum turmæ præficiatur*. Consilium aperit Fauksius; [c] *non quòd in animo esset prouinciam illam obire; sed quòd se speraret hac ratione pecunijs instruendum, & permultos habiturum qui ab illo dependerent, vtque liberè absque suspicione arma & equos comparare posset*. Hoccine ego consilio Garnetum alienum putem? vel quisquam sentiat Catesbeium tam intimum sibi consiliarium & amicum de mente sua celare voluisse? vel imponere ei cui imposturam suam confiteri necesse foret? De literis ad Creswellum in Hispanica coniuratione par iudicium esto. Garnetum coniurationis illius adiutorem fuisse, eoque in consilium aduocatum vt ex nominis eius authoritate negotio momentum accederet, satis iampridem luculentum est; Creswelli quoque conscientiam & patrocinium accessisse ostendimus, ad quem literas à Garneto perfert Winterus, qui procurator & solicitator negotij fuit. Itanè vt Garnetus Creswello literas scribat, proferente Wintero, & de communi consilio nihil scribat? At inquis, *quo indice nosti dilaudata in literis illis Hispanorum accersendorum consilia?* Nempe indice [d] Thoma Wintero qui illi literarum tabellarius fuit. Ergo frustra Treshami confessionem infringere conaris, quo indice altero Garnetus coiurationis illius reus insimulatus est. Mortuus esto Wrightus, mortuus esto Catesbeius; superfuit tamen Winterus qui Treshami verbis fidem adderet, à quo res illa in lucem perducta est. Neq; verò eam Treshami confessionem posterior eius, quam narras, retractatio infirmare potuit, quæ ab vxore malesuada elicita, horrendo periurio miserrimam animam ferè iam emigrantem implicuit, benè si non in infernum præcipitem misit. Nam retractationem illam qua pactus animæ suæ salutem iurauit, per sex-

a Fauks. Autograph. Ian. 20

b Garnet. Confes. Mar. 12.

c Garnet. Autogr. vt supra.

d Tho. Winter. Confes. Nou. 26.

ſexdecim annos ſuperiores minimè ſibi viſum eſſe Garnetum, vt expungeret quod antè confeſſus fuerat, cum Garneto ſe de Hiſpanica proditione communicationem habuiſſe, falſiſſimam, inquam, retractationem illam Garnetus ipſe, etiam ipſe Annæ ſuæ teſtimonio conuictus, fuiſſe confirmat. Interrogata enim Anna recognoſcit [c] *Veniſſe Treſhamum aliquoties ad domum dictam Whitewebbs vt ſe atque Garnetum viſitaret, & quidem ab aduentu Regis binis aut ternis vicibus: præcedanea æſtate fuiſſe illum Ayrithæ, fuiſſe etiam ad aliam domum ſuam, & vtroque loco cum Garneto priuatim collocutum eſſe: Regis anno primo veniſſe etiam ad domum quam habuit illa in vico Wendſworth, & ibi quoque ſermones miſcuiſſe.* Hanc illa confeſſionem adſcripto nomine ſuo veram eſſe confirmat. Interrogatur de eadem re Garnetus. Inficianti oſtenditur Annæ ſuæ confeſſio. Cedit ille & ſubſcribit, *Agnoſco vera eſſe quæ ſupra dicuntur de conuentionibus iſtis & acceſſu domini Treſhami. Henricus Garnet.* Iterum Anna *meminiſſe ſe ait ſub finem ſuperioris æſtatis ſe atque Garnetum in Comitatum Warwicenſem proficiſcentes, ad domum Franciſci Treſhami diuertiſſe, & ibi nocte illa manſiſſe, & cum illo concœnaſſe.* Ibi iterum Garnetus; *Hoc iam in memoriam reuoco, quod antè mihi in mentem non venerat. Henricus Garnet.* Dic verò iam, Andrea, retractationis illius quantum momentum eſſe velis; dic an dilemmate illo tuo Garnetum ſatis excuſatum eſſe confidas. *Si mendax eſt Treſhamus*, inquis, *cur fidem aduerſus Garnetum inueniat? Sin minus, cur pro Garneto non inueniat?* Immò *aduerſus Garnetum* veracitèr agit & meritò fidem inuenit, teſte Wintero. Pro Garneto verò *mẽdax eſt &* meritò fidẽ amittit, teſte ipſo Garneto. Quàm ineptè verò cõfectum dilemma tuum, quando de eadem re affirmantem pariter & negantem, neceſſe eſt pariter & veracem & mendacem eſſe. At tu interim, inepte, vide quàm impium te hominem facis qui recrudeſcere facis vulnera Treſhami tui, & noua eum ſubinde deploratiſſimæ perfidiæ macula conſpurcas. Denique de prætextu iſto literarum commendatitiarum flagellauit Garnetum tuum [f] honoratiſſimus Comes Northamptonienſis qui inter cæteros interrogandi negotio incubuit & totius cauſæ conſultus fuit, & perſonato proditori ſic laruam detraxit vt certè non incommodè tota mihi cauſa iſta ſuperſederi potuiſſet.

Poſtremo loco Garnetum de blaſphemia purgare niteris, quod

[c] *Ann. Vaux. Confeſ. Mar. 24.*

[f] *Actio in Proditor. in orat. priore Cõitu Northampt. pag. 115. 116. &c.*

quod tamen ita stolidè facis vt multò eum magis crimine inuoluas. *Postquam tanta testium nube circundatus*, conscientiam proditionis vidit se dissimulare ampliùs non posse, libereque eam honoratissimis Delegatis professus fuerat, scribit [g] litteras ad quendam suum, quibus iterum pro more suo ad mendacia sua relabitur, & quæ ante recognouerat, negat; de Hispanica proditione securum se esse profitetur ex indulgentiæ Regiæ diplomate; pulueream commodè vitaturum quòd probatio in eum defectura esset, [h] *Sed necesse est*, inquit, *vt vnus homo moriatur pro populo.* Quibus verbis testatur Euangelista Spiritum sanctum in ore Caiaphę Pontificis, [i] *nesciens tamen quid diceret*, Christi mortem pro Iudęis pariter & gentibus vaticinatum esse. [k] *Hoc non dixit*, inquit, *ex semetipso, sed quòd esset Pontifex illius anni prophetauit Iesum moriturum pro gente, & non tantùm pro gente sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum.* Et tamen verba ista de Christi vnius Agni immaculati pro salute omnium morte dictata, nefarius furcifer damnatissimę proditionis meritissimas pœnas luiturus ad mortem suam accommodat, quasi sibi scilicet pro populo moriendum sit. Quod tu vt defendas, homo scilicet gula satis ampla vt Garneti tui scelera omnia & impietates absque molestia deglutias, quęris, *si quis te Samaritanum ac dæmoniacum, si Beelzebub, si seductorē, si vini potatorem, si blasphemum appellarit, quòd à Pharisæis de Christo seruatore dicta ea sunt, blasphemasse cēsendus erit?* At ego vicissim à te quęro, insanum caput, competúntne illa Christo quę narras, *Samaritanum & dæmoniacū*, *& Beelzebub & seductorem & vini potatorem & blasphemum esse*, prout illi competit & quidem soli *pro populo mori, filiisque Dei dispersos in vnum redemptione sua coire facere?* Itanè nihil tibi circa Christū differunt quę ab hominū mendacio & malitia, & quę de sacrosancta prophetiæ veritate deducta sunt? Quiane te licet absque piaculo dicere seductorem, ideo Garneto licuit id sibi assumere quo describit Christum Spiritus sanctus totius mundi redemptorem? Stultè namque causaris id tantummodò spectatum *quòd à Caiapha vox illa profecta sit*; immò id spectatum est, Caiaphæ datum illud in os à Spiritu sancto, & pręterquam soli Christo conuenire non posse. Nec minùs ad causam insipidum est quod ais, *quæ in sacris literis ad vnam personam propriè referuntur, accommodari ad aliam posse.* Neque enim in eiusdem corporis membris quic-

g *Actio in prodit. pag. 86.*
h *Ioan. 11. 50.*
i *Chrysost. in 1. Cor. hom. 8.*
k *Ver. 51. 52.*

quicquam ad quenquam ita propriè refertur, vt in simili causa reliquis quoque membris accommodari non possit. Potuit ergò Augustinus ad se matremque transferre quod alibi de Martyribus & Ecclesia exponit; *Domine ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ, Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Potuit Nazianzenus aliquid ex Pauli Epistolis in rem suam vsurpare. Potuit Gregorius Magnus de se ex Psalmo dicere; *Veni in altitudinem maris & tempestas demersit me*; quia piorum casus, vota, preces, gemitus, exultationes, metus, querimoniæ similes nonnunquam & communes sunt. Quin & illa quoque Christi ab vsu nostro non reijcimus, in quibus Christus tanquam vnus ex nobis, qui in causa nostra voces nostras ad se transtulit, quæ ab illo consecratæ rursum nobis absque incommodo resumi possunt. Quæ verò Christo proprie tanquam Ecclesiæ capiti & generis humani redemptori tribuuntur, ea qui sibi vsurpat, quod hìc Garnetus tuus facit, meritò ille sacrilegus & blasphemus habēdus est. At *Caluinus*, inquis, *sibi ea verbi Psalmi secundi aptauit. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Vbi verò, hoc? Ostende, quæso, apud Caluinum quod dicis. Minimè verò, inquis, sed *ita scribit de Caluino Claudius Sanctius.* Sycophanta, testémne vel authorem nobis affers hominem infamē, qui tanta, tam manifesta orbi Christiano mendacia procudit? Mendacium est quod narras: nunquam hoc dixit Caluinus; nunquam sensit. Aptauit ille quidem locum ad Dauidem figuram & personam Christi gerentem, nec perperam in eo quicquam fecit, sed nihil hoc ad excusandum Garnetum qui Christi, spero, figura vel vmbra non fuit. Immò blasphemijs assuetus *in Psalterio Mariæ*, quo per infandam idololatriam attribuuntur Mariæ Virgini quæ propria sunt diuinitati, audere ibi didicit sibi illud sumere quod nisi soli Christo non debuit accommodari. Tenenda est enim regula Gregorij Magni:[l] *In creaturæ laudem dari non debet vox illa quæ soli conuenit creatori.* Neque verò Caiaphæ sensus ille quem fingis quicquam tibi proficit, quia disertè testatur Euangelista dictatum hoc non à Caiapha, sed à Spiritu sancto, vt obeundam à Christo mortem pro salute nostra designaret. Pessimè verò quocunque sensu confertur cum Christo tartareus ille Martyr tuus, cuius eæ criminationes, quibus morti datus est, quæ meritò populum auertant à

[l] Greg. l. 6. ep. 7

Catacatholica fide vestra, & æternam Societati vestræ portentosæ perfidiæ stigma & maculam inurant.

CAP. XII.

Garnetum coniurationis extra confeßionem fuisse conscium, & primarium quendam eius authorem.



QVæ me inducant vt Garnetum sentiam in puluerraria proditione partes architectonicas obijsse, eiusque primarium authorem si non solum, certè aliquem fuisse, iamdudum capite nono demonstratum est. Voluisse aliquid animo Iesuitas, quod toti Regiæ familiæ capitale ac funestum esset, Watsono primùm authore didicimus. Porrò ibi ostendimus puluerarium hoc consilium, regnante adhuc Elizabetha, ab Henrico Morgano, teste Oweno, esse propositum, quod inde Iesuitas arripuisse ab euentu manifestum est. Garnetus ipse testis est (hoc ab illo dictum Hallo iurantibus Corycæis) [a] *Se illo tempore à Catesbeio interrogatum nunquid liceret Comitium sufflare*; & scribit quoque ea de re ad Sayerum in hæc verba; [b] *Duo confeßi sunt dixisse ipsis Catesbeium, se Elizabethæ Reginæ tempore scisictatum esse mentem meam de actione puluerea, mèque respondisse, licitam esse*. Fuerunt autem duo illi Catesbeij famuli, quod Halli relatione comperio, qui hoc ipsum sibi à Catesbeio dictum honoratissimis Delegatis testati sunt, eludente rem Garneto, [c] *Factam sibi iniuriam à Catesbeio; hoc illum dicere potuisse vt alios ad facinus inuitaret, sed sibi nunquam hoc auditum esse*, quod illi iam mortuo Catesbeio facile suffugium relictum est. Sed nimiùm hebetes oculi sunt, qui diem rimula ista dispicere non possunt, & haud satis prudens rerum æstimator est, qui huic fumo ignem aliquem subesse non credit. Quem verò tu, Andrea, [d] *tam religiosa conscientia hominem & à peccato maximè abhorrente fuisse* prædicas, eum vt credas tam improbo mendacio tantam Garneto intimo suo & amicissimo iniuriam afferre voluisse? Quin potiùs crede Catesbeio homini tam religioso, intercessisse tum illis communicationem hanc, & quidem nihil dubito quin dante occasionem Garneto, & ex arcanis Iesuitarum instillante in Achatem suum virus hoc; inde-

a Garnet. autograph. ad Patr. & frat. Apr. 13.

b Autogr. literar. ad Sayerū Mar. 3.

c Hall. Relat. interlocut. cum Garnet. Mar. 25.

d Pag. 292. 293.

indeque natam Catesbeij quæstionem, quàm liceret hoc quod astutè ab illo subintimatum est. Certè literæ illæ Catesbeij supra commemoratæ quibus de tanto arcano sibi commisso gratulatur gratiasque agit, & pro re perficienda capitis fortunarumque omnium discrimen subire velle significat, planè conuincere rem hanc totam potuissent, nisi malo casu dum magna cura reponuntur vt in tuto sint, reponenti non occurreret quo loco à se requiri possent. Inciderat in illas post Garneti necem vir quidam magnus, qui communicare mihi statuerat, sed hoc infortunio desideratæ non iuuant causam cui lucem certè non mediocrem afferre potuissent. Quanquam nonnihil hoc quoque ad rem est, quod Catesbeio mox ab ingressu Regis primo ipso Septembre tam expeditè occurrit quid aduersus illum faciendum putet, quod ita constanter proponit, vt cogitatum antè facinus & consilio sibi comprobatum fuisse luculentèr ostendat. Cæterùm quòd Iacobus regni successor hereditarius cum rationibus eorum non quadraret, nonnisi incerto admodum euentu vis illa in Elizabetham tentanda visa est: postquam illa fato suo functa est, & Iacobo in regnum prouecto tota consilijs eorum aduersa familia sub vnis iam retibus comprehendi atque opprimi posse videretur, nec spes eorum ampliùs aleret frustrata per pacem Hispanicarum copiarum expectatio; mox ad puluerariam machinationem applicuerunt neruos omnes, & ab illa resuscitata iam è cinere priori spes integras, & fortunarum suarum summas omnes suspendendas arbitrati sunt. Nihil ergò dubitamus quin Garneto authore Catesbeius negotium hoc, quod Iesuiticum fuisse didicimus, aggressus sit, quo ille sibi tam intimo consilij sui fiduciario custode vti voluit & commodissimo, nihil vt interim ipse cum alijs negotij haberet, perficiendi sceleris instrumento. Quæ verò contrà à te dicuntur, ad depellendam hanc suspicionem haud ita magni momenti sunt; quippe quæ ipsius tantùm Garneti testimonio & confessione nituntur, quem ita scimus respondendo temperasse omnia prout ad noxam suam imminuendam, leniendamque infamiam expedire sentiret. Tale illud quod primo loco narras, *perobscurè primùm rem illi subintellectam, vbi Catesbeius futuras turbas ominatus est, quòd Rex fidem* (nunquam) *datam fefellisset*, quanquam verba ista non de pulueraria coniuratione, sed vel de Watsoniana, vt ante diximus, vel certè de Hispanica illa,

mi-

minimè tum desperata, vsurpata esse conijcimus; nam in notatione temporis erratum ibi esse supra visum est. Tale & illud quod affers de Catesbeij consilio rei cum Garneto communicandæ, vt haberet cuius authoritate atque sententia licitum facinus illud fuisse suaderet, & quod adiungis de quæstione hunc in finem proposita de insontibus vnà cum nocentibus communi strage perdendis, quæ narrare debuit Attornatus secundùm ea quæ interrogando elicita & confessionibus expressa sunt, non secundùm ea quæ probabili alioqui ratione præsumi possent. Certè quæ Garneto cum Catesbeio maximè arcana intercesserant, ea quis illi credit, Catesbeio iam mortuo, præterquam fidiculis, quas Rex adhiberi non sustinuit, extorqueri potuisse? Sumpta ergò illa ad accusationem quæ in confesso erant; reliqua coniecturis æstimanda relicta sunt. Eiusmodi & illa sunt *de opposita Catesbeio Pontificis authoritate, de se facinus abhorrente, & successum subinde apud Deum deprecante, de oblatis pro impedienda actione sacrificijs*, quæ quis tam insanus est, vt Garneto ipsi de se credat? Confessa ista Garneti reatum apertè conuincunt, neque illis tamen integra & arcana veritas in lucem venit. Neque verò literæ illæ quas narras quicquam impediunt quominus Garnetus proditionis huius artifex putetur, quas ante obseruauimus tanta fraude ac dolo concinnatas esse, quibus *tumultus & seditiones Pontificia authoritate compescere* videri vult, quando nihil aliud agit nisi vt certiori periculo nostro & proditioni viam muniant. Quòd si literas nobis narrare vis, requirimus illas quas ante diximus,[e] *Fusè scriptas & plenissimas, tutissimè transferendas*, quibus ille se consilia suorũ & rationes vltrò citròq; habitas exposuisse testatur. Requirimus illas quibus [f] ipse se agnoscit *Pontificem de pulueraria proditione generaliter informasse*. Requirimus illas quoque quibus Fauksius, quibus Thomas Winterus & Christophorus Wrightus, Baldwino & Creswello, seipso teste, commendati sunt. Denique requirimus illas quibus tres illæ Bullæ Papales excitatæ sunt, quas Baldwinus significauit fuisse in procinctu, mox ab euentu proditionis Papali authoritate publicandas. Quarum quidem Bullarum inflatio egregiè conuincit mendacium & hypocrisin tuam, qua contra conscientiæ tuæ dictamen suadere conaris, de coniuratione ista nunquam ab illo admonitum Pontificem, nunquam Moderatorem vestrum; quasi verò

e Pag. 254.

f Autog. Garn. ad Patr. & fratr. Apr. 13.

Romæ

Romæ diuinando intelligatis quę vbique gentium scelera gregales vestri meditentur. Atqui verò Garnetus ipse fatetur vt ante vidimus, [g] *se mense Iulio anno 1604. scripsisse literas ad Pontificem quibus vereri se significat particulare aliquod stratagema popularibus suis in consilio esse.* Porrò se profitetur [h] *Grenwello rem narrante semper prætulisse non se superiorem de ea celaturum siquando interrogatus ab illo foret.* Quis autem dubitat quin multò curiosior sit Claudius Aquauiua, multò Pontifex rerum suarum solicitior quàm vt intimatum sibi tanti momenti consilium & *particulare* illud *stratagema* non inquisitum prætermittant? Interrogat Parsonius per literas, teste Garneto, [i] *Quæ tum particularia designata Catholici haberent in consilio*, & hoc à Pontifice, hoc à Claudio vestro non curatum, non quæsitum arbitramur? Immò animaduersa est hìc ante fraus vestra singularis. Scribit ille Romam de *particulari stratagemate* totos quindecim menses ante Comitiorum sessionem, & facultatem petit particularitèr vt inhibeat. Responsum habet non ante octo menses, & tum quidem, *sufficere quas acceperat generales prohibitiones; particulari haud opus esse; quòd si foret, habiturum*, scilicet post alios octo menses, quo tempore futurum sperabatur vt omnia in cineres verterentur. Quis hìc non videt tractata à vobis per dolum ista omnia? quis non videt mendacium esse quod respondet honoratissimo viro Martyr tuus, *se lege confessionis impeditum de rebus istis ad Pontificem vel superiorem non scripsisse?* Quin & hinc manifestum est *Grenwelli tui testificatio* quàm mendax sit, *molestè rem tulisse cùm primùm audiuit & dedisse ipsi in mandatis vt Catesbeium à consilio reuocaret*, quæ quàm vanissimè à te dicantur, abundè supra dictum est. Quod verò addis *de moribus & natura hominis à tam barbaro facinore aliena*, planè mihi ridiculum videtur, quia constat fuisse Iesuitam, quorum omnes molitiones & consilia cum barbaro & immani sæuitiæ furore coniuncta vbiq; esse cernuntur. Certè qui Iesuitam induit, exuit Christianum, exuit hominem, nec ab vllo ferè scelere alienum esse arbitramur qui confœderationis illius impiæ consors est. Et quàm ille non alienus ab vllius immanitate facinoris qui patriæ perditionem non curat amoliendam, modò sibi suisque bonum afferat? Hanc enim orationem suam Garnetus fuisse non negat, *successu vt careret coniurata proditio nisi Catacatholicorum causa iuuanda per il-*

[g] Garnet. confess. Mar. 12.

[h] Autog. Garnet. Apr. 4.

[i] Garnet. confess. Mar. 12.

lam & promouenda esset. Quæ precatio quid aliud sonat nisi *Pereant* vnà omnes modò inde res nostræ saluæ sint: ruat in æternas miserias Anglorum resp. modò per illius calamitatem Ecclesia Romana prouehatur; sint exteris quibuscunque victoribus mancipati, modò Papismus floreat, & læti volitent in regno Iesuitæ. Nempe[i] ita Moses orauit pessum vt iret gens sua tota ingrata & perfida, modò ipse fieret in gentem magnam. Et * Paulo in votis fuit prorsus vt fratres Iudæi in vltimam internecionem abeant, modò per illorum vastitatem sibi suisque benè sit. Et hæc illa est [k] *præcepta nobis redundantia benignitatis pro inimicis Deum orare & persecutoribus nostris bona precari.* Sed *Christus*, inquis, *vbi transferri calicem petit patris voluntatem mavult impleri quàm suam; quidni igitur Garnetus quamuis stragem illam detestaretur, tamen tolerandam duceret si id magno bono futurum esset Ecclesiæ?* At increpet te Deus, impie Dæmon, qui sacratissimas Christi voces & salutarem humano generi pijssimæ precationis obedientiam ad infandos Circumcellionum furores excusandos, & scelerati hominis funesta vota defendenda detorques. An verò Christus hìc pro deprecando sibi calice, calicem imprecatus est illis per quos foret ipse bibiturus? Ecquid omninò simile habent oratio Christi & execratio Garneti? Audi verò Christum, Si absque calice meo, inquit, saluti generis humani consuli queat, transferatur à me calix iste; quòd si statutum sit nisi passione mea tam tristi hominem seruari non posse, ruat in me effusa calamitas ista, [l] *totus in me furor desæuientis in hominem tempestatis incumbat*; [m] *Iram & procellam macellationis furoris tui quas in gentibus effusurus eras, super me inducas qui peccata eorum suscepi.* Audi iam ex altera parte Garnetum tuum: statutum est coniuratis istis gentem nostram in æternam, quantum quidē videtur, calamitatem præcipitare; quam auertas precor, bone Deus, nisi nostro commodo futura sit; quòd si nobis inde res prosperæ obuenturæ sint vt Catacatholicismus noster fœliciter in hoc regno dominetur, succedere quæso facias tetrum hoc & immane consilium, & abeant in tumultus & sanguines & cædes omnia, modò vt nobis tandem insula ista fortunata sit. An tu verò non es homo nequissimus & Dæmoniaco spiritu fascinatus qui patientiam Christi cum furore isto Donatistico, & precem nonnisi salutaria spirantem cum voto isto truculentissimo conferendam

i Exod. 32. 32.
* Rom. 9. 3.
k Tertull. Apologet. cap. 31.
l Hilar. in Psalmum 68.
m Hieron. in Psal. 87.

rendam putas. Neque verò te iuuat quòd Deus pro illa qua est bonitate ac sapientia infinita *ex malis boni aliquid eliciat*; quippe non dubitamus quin ex bacchationibus istis tuis & defensionibus insanis facturus sit Deus vt videat orbis Christianus quæ monstra hodie pariat Ecclesia Romana & quàm illa exterminio digna sit, sed intellige tamen [n] *damnationem illorum esse iustam qui illud vsurpant, Faciamus mala vt veniant bona*; oremus tetris & execrandis consilijs successum dari, modò illa commoditatibus nostris & otio ac fortunis inseruire possint. Quare abi iam, improbe, quò dignus es, indignus planè qui in rep. Christiana locum habeas, cui tam inuisissimæ tuorum apologiæ cordi sunt. Nec meliore fortuna solennem illam precem defendis quā habuit Garnetus *die primo Nouembris pro fælici successu magnæ actionis quæ sub initio Parliamenti futura esset*. Vbi tu meretricia fronte & ad impudentiam obfirmata miserrimè respondes, *Viro bono qui rem omnibus modis auertere aggressus nihil profecisset, non aliud fuisse reliquum nisi vt Deum oraret quicquid demùm euenisset, id fœlix ac faustum Ecclesiæ esset*. At dic, monstrum infœlix, quibus ille modis rem auertere aggressus sit, quid ad impediendam egerit, qui non habet ipse aliud quod dicat nisi tantùm dedisse se Grenwello in mandatis vt impediret, & voluisse cum Catesbeio agere vt desisteret cùm ad illum venturus esset. At intellexit optimè vt supra dictum est non antè ad se venturum illo tempore Catesbeium quàm transacta res esset, & planè profitetur nescire se an eam Grenwellus per confessionem acceperit, nec vnquam ea de re interrogat tanquam scire cupidus quam impediendi consilij potestatem habeat, vt hìc nonnisi ludat sceleratus hypocrita & inanes vmbras pro clypeo prætendat. Sed nolo hìc morari quia nebula ista iam ante discussa est; id sumo quod te porrò offendit dictum à Coko, *Garnetum orando peccasse atrociùs quàm si tantùmmodò consilium iniisset aut assensum præbuisset. An pari*, inquis, *scelere & audacia esse pronuncias qui Deum orat vt coniuratorum cœpta fortunet, cum ijs ipsis qui coniurauerint?* At dic iterum, Andrea, an tibi non multò grauiùs peccat qui Deum sceleris patronum & adiutorem aduocat, quàm qui simpliciter reus est? Certè qui flagitiosis consilijs assensum præbet, meritò parem cum actoribus ipsis noxam luit; qui verò diuinam hìc opem implorat, & sacram maiestatem nefariæ libidinis administram

[n] Rom. 3. 8.

facit, grauissimo porrò sacrilegio atque blasphemia constrictus est. Quod te tamen nescire non miror quem nusquam Theologum agnosco, vbique hominem video Sycophantijs & calumnijs incredibili ferè animi prauitate comparatum. Cæterùm precatio illa Garneti quid spectarit, & quorsum attexti ex hymno versiculi, *Gentem auferte perfidam Credentium de finibus &c.* supra capite nono dictum est. De illa verò Comes honoratissimus Northamptoniensis expostulat cum Garneto eiusque in illum testimonium appellat, vtrumnam Regi suo patriæque præstiterit, quod Babyloniæ ipsi eiusque Regi Deus præstandum præcepit, *vt quærerent pacē ciuitatis illius próque illa orarent, & in eius pace pacem suam stabilirent. Iam,* inquit, *Garnete, fueritnè tibi animus orare pro Regis reique publicæ pace rebusq́; prosperis (quam certè, si Babylonem esse velis, Babylonis apud te frui priuilegio necesse est) nō ad conscientiam tuam cauteriatam prouoco, sed ad Hymnum, Gentem auferte perfidam, &c. à vindice furore tuo fædissimè detortum & prophanatum.* Vbi perculsa vt videtur, conscientia tua nihil habet quod ad rem reponat; tantummodò quæris misero subterfugio, *fueritnè in eius potestate quid hymnorum antiquissimi conditores in sacris carminibus ponerent, aut qui cœtum fidelium hymno eo quem pro tempore vsurpabat Ecclesia plerunque claudere consueuisset, hoc infra octauam Sanctorum omnium abstinere debuerit?* Atqui ante ostensum est hymnum illum indulgentia Gregorij decimitertij Alano petente consecratum, quo Angliæ subuersionem impetrarent, eaque ratione ac sententia solitum à Garneto vsurpari. Quando ergo Garnetus instantibus Comitijs hortatur auditores vt pro hæresi, si placet, exterminanda Deum rogent, versusque illos ex hymno adhibet, *Gentem auferte perfidam, &c.* estnè quisquam tam cœcus vt non planè videat ad successum proditoriæ machinationi comprecandum accommodatos esse? qua in re dic iam honoratissimo viro quàm ille se dextrè diuino præcepto conformarit. Cæterum quæ hic subiungis de Garneto consilij arcanum non inuestigante nec ante quartum Octobris diem coniurationem rescíscente, satis exagitata superiùs & profligata sunt omnia, vt hic mihi morari haud sit. Tantùm hoc dico, liquere rebus istis quàm sis homo nequissimus & ad perfidiam malitiamque obstinatissimus, qui clarissimę rerum luci tenebras & caligines figmentis tuis & mendaciorum

ciorum nebulis offundere conaris.

Superest iam vt quæramus an Garnetus extra confessionē Sacramentalem conscius fuerit coniurationis. Et ita quidem fuisse verissimum est, merumq; esse figmentum, merum ludibrium totum hoc quod obtenditur de cōfessione. Certum est enim & dicet tibi in aurem Grenwellus nullā ibi tum confessionem fuisse, sed familiari colloquio de re tota deliberatum, nec Garnetū tantùm & Grenwellum, sed alios quoq; quosdam, nominatim verò Franciscum Treshamum quem tu [p] *coniurationis indicem* suspicaris interfuisse. Ac verissimum hoc esse confirmat Garneti subinde vacillans & incerta responsio. Interdum se ait rem accepisse *in confessione, proinde non licuisse reuelare.* Interdum *nescire se an Grenwellus confessionem intenderit, se verò sic existimasse.* Iterum respondet, *non per confessionem, sed per viam confessionis.* Etiam sæpius ea de re collocutos esse non negat, *sed cum relatione ad confessionem,* de quibus omnibus supra capite nono dictum est. *Non licuit,* inquit, *reuelare,* & tamen alibi; [q] *In illo,* inquit, *multisque alijs colloquijs præsumebam licitum mihi fore notitiam meam edere, siquando in quæstionem adducerer, resque mihi obijcienda foret;* & iterum; [r] *Dixit mihi Grenwellus in confessione, sed ita vt reuelare liceret si in quæstionem vocarer:* & iterum post, [s] *Semper præmeferebam non me rem Superiori taciturum, siquando de illa interrogandus ab illo forem.* Quæ verò hæc dementissimi nebulonis vertigo est? quas hìc flexiones, quos circulos facit? Non licere ait, & tamen profitetur præsumere sibi licentiam reuelandi Superiori. Quòd si potestatem seruare sibi posset reuelandi Superiori, cur tantundem Regi, cur patriæ non defert? Quis tam hebes est, tam nullo cerebro vt non crassam hìc perfidiam persentiscat? Quinetiam animaduerte, Lector, quid ad Annam scribat: [t] *Nunquam rem probaui; egi vt impedirem plus quàm homines opinentur, quod Pontifex dicet; non erat meum, vt existimaui, reuelare illam.* Vide vt apertè fateatur fuisse sibi hac de re negotium cum Papa, ex quo manifestum est vel licitū sibi existimasse prodere quod confessione perceptum est, vel certè citra confessionem coniurationem innotuisse. Tu primum illud non probas. Ergò alterum hoc defigimus contra te, & concludimus inde, non impeditum Garnetum sigillo cōfessionis quominus rem reuelaret, sed non putasse suum esse sociorum proditoria consilia in lucem

p Pag. 4

q Garnet. Autogr. Apr. 13. ad Patr. & fratr.

r Autogr. Apr. 3.

s Autogr. Apr. 4.

t Autogr. ad Annam Apr. 3.

 cem

cem dare. Porrò id quoque futilitatem hominis & leuitatem & nullam fidem ostendit, quòd interrogatus in iudicio de confessionis ratione ac modo respondet, [u] *Contritionem & confessionem præcedere debere absolutionem; se Grenwellum absolutione donasse, promittentem scilicet facturum se quoad posset vt coniurati ab incœpto desisterent*, qui tamen triduo post, [x] *Grenwellum rem confessum esse* ait, *non vt peccatum, sed vt quiddam sibi intellectum, quod omninò quidem improbauit*, inquit, *sed narrauit mihi per modum consulendi, & promisit facturum se quod posset vt impediret, ex quo occasio nulla erat vel dandi absolutionem vel pœnitentiam iniungendi*. Ita iam hìc non confessio est sed consultatio, nec forum pœnitentiæ de admissis peccatis, sed schola disciplinæ qua doceantur homines de admittendis. Quo argumento rectissimè Cokus affirmat *Grenwelli confessionem non fuisse sacramentalem*, ac proinde ad eam sigillum confessionis pertinere non potuisse. Nam [y] *vt confessio pars est sacramenti, necessaria ad eam conditio est vt sit accusans, non quasi historiam aliquam aut fabulam narres, sed cum detestatione aliqua, tèque profitearis reum in illo foro esse. Nam* [z] *sumit initium ex horrore turpitudinis peccati & progreditur ad dolorem de commisso peccato*. At illa Grenwelli, teste Garneto, non *accusatio* est sed *consultatio*, nec si tibi credimus, reatum suum, sed alienæ coniurationis historiam narrat. Frustra est ergo quod ais *confessarium, etsi confitentem quem videt non verè pœnitentem non absoluat, sacramenti tamen religione teneri*, quia nihil hìc cum Sacramento, nihil cum sigillo rei est; tantùm de committendo peccato deliberatur, de peccato commisso nullus dolor est. Sed ab illa confessione qualem Garnetus agnoscit arguunt honoratissimi Comites, *vel Garnetum consilium non improbasse, vel certè Grenwellum qui ab incœpto non destitit secundum quod Spiritui sancto promiserat, fuisse sacrilegum*. Vbi tu, Andrea, respondes quod verè te dignum est; dignum Grenwello tuo; *Quid si verâ pœnitentiâ ductus ad confessionem venit; & nouo deinde impetu tentationis abreptus est?* O veram scilicet Iesuitarum pœnitentiam. O grauitatem hominis & constantiam, qui fœdissimo cani similis resorbet vomitum suum & diro sceleri sacrilegium adiungit. An hi verò Iesuitarum mores sunt? Hi illi sunt in rem malam *reuerendi Patres*, Ecclesiæ lumina, miracula virtutum, obedientiæ clarissima specula, quibus à Superiorum mandatis vel tantillum discedere neque fas neque mos

[u] *Actio in Prodit. p.* 127.

[x] *Garnet. Autogr. Mar.* 31.

[y] *Greg. de Valent. tom.* 4. *disputat.* 7. *quæst.* 11. *punct.* 1.

[z] *Tho. Aquin. supplement. q.* 9. *art.* 4. *in corp.*

mos est. Sed iterum conuenio te, Andrea; dic quęso; [a] *Garnetus Grenwellum, quoties occurrit, de re interrogat*: multaque illi colloquia de hoc negotio miscuerunt cum relatione ad confessionem, prout ante dictum est; annon ergò in singulis istis recurrit argumentatio Dominorum illustrium, vel consilium Garneto fuisse probatum, vel Grenwellum mentiendo Spiritui sancto fuisse sacrilegum & impium? Neque enim certè dixeris aduersus Garneti monita coram & in os fuisse in scelere pertinacem; suam illi inter confitendum opposuisse sententiam, consilium quod confitenti dabatur superbè atque improbè repudiasse. Quod si minùs dixeris, & ille semper pręsetulit incœpto resistere velle, serioque apud Garnetum cogitauit, dic, an semper nouo tentationis impetu abreptum putas? Sed ne argumento locus vllus supersit, quod, si absolutum Grenwellum dixeris (& id quidem Garnetus constanter primò dixerat) vitare non potes, subiungis, *Grenwellum quem ais coniurationis participem nunquam fuisse, non suum ibi peccatum Confessario aperuisse, sed rogatum à Catesbeio à quo id inter confitendum acceperat, Garnetum consuluisse ecquid latere peccati in eo consilio censeret*, eoque absolutionis rationem omninò nullam fuisse intelligi vis. At mendacia sunt ista quæ dicis omnia. Participem coniurationis fuisse Grenwellum antè confirmatum est; quare si peccati vlla confessio fuit, haud minùs suum confessus est quàm alienum. Falsum est porrò Grenwellum à Catesbeio rem inter confitendum accepisse, neque id vnquam Garnetus asseuerare ausus est, immò apertè profitetur nunquam sibi ita dictum à Grenwello, prout ante ostensum est. Ibi quoque patet mendacium esse quod ais, *Grenwellum à Catesbeio rogatum consuluisse Garnetum*, quia testatur apertè Garnetus [b] *Grenwellum rem sibi tanquam ex animo suo aperuisse, quòd nollet*, inquit, *videri mihi dicere quenquam coniuratorum me conscium intellexisse*. Immò narrat in iudicio, [c] *Catesbeium apertè dixisse, nolle se ab illo admoneri quæ Papæ voluntas esset*. Quòd si Catesbeij rogatu consultus facinus detestaretur, cur Catesbeium ipsum non putauit conueniendum suoque ore admonendum & ab impio consilio reuocandum? An confessio impedimento fuit quominus cum Catesbeio ipso conferret, cuius rogatu à Grenwello per confessionem consultus est? At hoc negat ipse Garnetus qui se ait, [d] *in Comitatum Warwicensem profectum cum proposito dissuadendi*

[a] *Garnet. Confes. Apr. 25.*
[b] *Garnet. Autogr. Mar. 31.*
[c] *Actio in Prodit. p. 100.*
[d] *Actio in Prodit. p. 128.*

dendi Catesbeium ab incœpto, vbi eò venturus esset; dolosè illud quidem & fraudulentèr, quia certum sibi habuit [e] non antè venturum Catesbeium quàm perfecta res esset, sed ita tamen vt planè concedat sibi cum Catesbeio agere licuisse. Cur ergò antè non egit? Qui simul cum Catesbeio [f] fuisse se ait in domo Digbeij vbi tum Gerardus quoq; adfuit circiter quatuordecim dies ante festum Omnium Sanctorum, cur ibi illum diratum omnium interpositione non censuit adiurandum vt mox infectum esse curaret & irritum quod iam factum intellexerat? cur cellarium ipse non adit, vt qua arte atque ingenio citra periculum posset vim illam pulueris exportandam oculis suis cerneret? Cur non existimat mille sibi potius adeunda pericula, quàm tantam genti suæ calamitatem & internecionem afferendam? Apagete verò impudentissimi nebulones quibus nulla fides, nullus rerum pudor, nulla conscientia veritatis est; figmenta sunt hæc omnia & mendacia vestra quæcunque nomine celandæ confessionis prętexta sunt. Et quorsum illud, *qui à confessario rem in confessione auditam audierint, teneri arcano confessionis*, nisi quòd tibi chartas implere, orbemque strepitu inani ludificari statum est? De gestu inter cōfitendum adhibendo dicere supersedeo, de quo Christus Iesus qui de confessione vestra nihil docuit, pręscripsit nihil, vt totum ab arbitrio vestro pendere minimè mirum sit. Quanquam cùm [g] *Genuflexio cum capite discooperto de bono & æquo ad confessionem requiratur*, certè discessit ab æquo & bono Grenwellus tuus qui extra casum necessitatis ambulatoria confessione perfunctus est. Sed in eo quod portò quæritur *cur tam in longum confessio traheretur, quæ paucissimis expediri posset si confitendi tantùm causâ comparata esset*, in eo, inquam, certat in te detestabilis perfidia cum impudentia singulari. *Grenwellus*, inquis, *non peccatum in eâ re suum confitebatur sed alienæ conscientiæ consulebat, idque hominis acris & ingeniosi qui nuda authoritate dissuadentium contentus non esset, suspectos etiā nos nimiæ vel timiditatis vel religionis haberet, ob eamque rem ostendi sibi rationibus posceret quod religionis iurisque sui tuendæ causa moliebatur id non licere.* Perge verò & quid tum? *Audiendum igitur fuit totum coniurationis consilium, videndumque quâ ratione sublato Rege primoribusq́; reip. consuleret, incommodisque alijs occurreret quæ inde oritura videbantur.* O miram verò hominis religionem cui reip. conseruandæ quam iam perditum

[e] Ibid.

[f] Garnet. Confess. Mar. 6.

[g] Sum. in Angelic. tit. Confess. sacrament. art. 1. q. 4.

perditum it tanta cura incessit. Dispeream nisi stomachus mihi vehementer commoueatur, qui video despectissimos nebulones tantum sibi sumere, vt constituendarum rerump. penes se facultatem esse sentiant. Sed quid porrò est? *Expendenda scilicet rationum momenta quibus sententiam vel suam confirmabat, vel labefactabat alienam, occurrendumq; eius & responsionibus & argumentis, idq; non modò quia Catesbeius aliter de sententia recessurus non erat, sed etiam quia Sacerdoti Dei nomine responsa de rebus ad salutem pertinentibus in eo tribunali reddenti, vt non licet dissimulare veritatem, ita ne temerè quidem respondere de re tanta integrum est. Quis autem,* inquis, *non videt quàm longam vel narrationem vel disputationem requireret tanti negotij disceptatio?* Pono hæc omnia verbis tuis, vt animaduertat orbis Christianus concinnandorum mendaciorum quàm peritum artificem Roma te nacta sit. Atque vtinam, cùm ista recognoscis, ferreum illud os tuum videre contingeret, an qui ruborem perdidisti demittere saltem caput, an verò ridere fabulam tuam velis. Nempe iam longa primùm Catesbeij confessio cogitanda est, in qua ille causam suam grauitèr & eruditè disseruit, & maximas consilij sui rationes exposuit, stante interim Grenwello tanquam asino, & nihil habente quod reponeret. Immò rei horrore perculsus & attonitus, & tamen in illa perturbatione complexus animo rationes, quibus obrutus à Catesbeio est, mox ad Garnetum se confert, rem ei pandit in confessione, saltem putat ille quidem in confessione, saltem verò per viam confessionis, & inuicta Catesbeij argumenta commemorat ex ordine & solutiones petit. Iterum Garnetus animo attonitus hæret, vehementer sibi facinus displicere testatur, grauissimo mentis cruciatu affligitur, sed tamen nunquam inquirit qua ratione arcanum hoc ad illum peruenerit, vt si minùs per confessionem acceperit, imponat ei patriæ causa prodere tam immane consilium; ne Catesbeium quidem aduocandum curat, vt interminando & adiurando à scelere auertat, tantummodò ad hominem secum assiduè ferè versantem internuncio Grenwello vtitur, qui eum ab incœpto dissuadere conetur. Interim ibi mox ab illa consternatione se recolligens, vide vir pius & fortis quàm constanter se gesserit. Quanquam enim sciret penes se esse vt redimeret calamitatem hanc, aut certè penes se non esse nesciret, nihil tamen vltra experiendum ratus, contemplatur animo stra-

gem factam Regis, Regiæque familiæ, Procerumque, & nescio porrò quanti populi, & homo patriæ suæ supra fidem amantissimus, cerebello illo suo considerat quam deinde commodandæ reip. rationem ineundam putet. Et tamen vt hominem agnoscas præsenti animo atque ingenio, paululum ad se reuersus rationes pro & contra expendit, munit fortitèr sententiam suam, neque minùs labefactat alienam, ita certè vt Catesbeius *homo omnium testimonio religiosa admodum conscientia, atque à peccato maximè abhorrente*, sententiæ iam suæ pertinacissimè adhæreret. Quinetiam ne rerum suarum immemorem putes, qui rem sibi vltra nominari haud passus est, quoties conueniendi occasio dabatur, Grenwellum de eadem interrogat, & pro successu orat, & cum Catesbeio sæpe præsens nihil contrà dicit, tantùm vbi ad illum Catesbeius, facto iam reip. funere adueniret, vt ab incœpto desisteret hortaturus fuit. Annon ergò iam arbitremur confessionem illam longi operis atque negotij esse debuisse? Vah verò Sycophantas, vah hypocritas, improbos, perfidos, ad vtramque vsq; aurem impudentissimos; quis tibi fabulam illam credat, Andrea, cui vel cerebrum vel sensus est? Iam ex ijs quæ dicta sunt manifestum est ad quatuor illos articulos Garneti manu testatos, & ab ornatissimo Recordatore Londinensi in [h] Garnetiani supplicij historia notatos, tua quàm vanissima responsa sint. Nam quod primò dicitur *Grenwellum rem significasse non vt peccatum, sed quam ipse priùs intellexerat, idq; consultandi gratia*, de eo dicis, *consultũ tamen esse in confessione, eiusq; sacrosanctum arcanum esse*. At falsum hoc esse docuimus, quia Grenwellus rem Garneto, ipso teste, tanquam ex animo suo significauit, neque vnquam prætendit sibi per confessionem dictam esse. Vbi secundò dicitur *Catesbeium & Grenwellum simul ad Garnetum accessisse vt securitas illis & fiducia de re fieret*, respondes, *cupijsse quidem Catesbeium Garneti suffragio rem probari, sed nunquam per se consilij sui rationem Garneto reddidisse*. At hoc quoque falsum esse confirmat ipse Garnetus, quia quo tempore narrauit illi Catesbeius sibi aliquid præ manibus iam esse contra Regem & regnum, quo certissimè præualituri essent, rationem consilij sui dedit, expellere Regem iam licere quòd excludere licuisset. Quo tempore Catesbeius simul & Grenwellus ad illum secunda vice veniunt oraculum ab illo petituri, an insontes quoque eâdem operâ tollere

[h] *Act. in prodit. in fine.*

lere liceret. Ex istis verò patet ad tertium illud, *Grenwellum multò pòst in Essexia de particularibus puluerariæ coniurationis colloquium cum illo habuisse*, quàm otiosè respondeas, *quæ per confessionem sciuntur, semper eâdem arcani religione contineri, etiamsi decies millies mutuis sermonibus agitentur*. Nam priora illa per confessionem dicta esse, ne Garnetus quidem ipse vnquam dixit; tantùm ibi confessionem prætendit, vbi particulatim omnia negotij momenta à Grenwello enarrata sunt. Qui verò priora illis citra confessionem intercessisse animaduertit, facilè assentiatur mendacium esse quicquid in Essexiano illo colloquio de confessione obtentum est. Iterum obijcitur quarto loco, *Grenwellum in illo colloquio interrogatum à Garneto, quis regni Protector futurus esset, respondisse, differendum id visum quousque res transacta esset.* Nomina nescio quo casu transposita habentur, sed ex rotulis hoc modo ponenda sunt. Tu te ais *ægrè adduci posse, vt hoc verum esse credas quòd in actione omissum sit*. At cape tibi perspicilla, mi homo, & vide ibi disseruisse Grenwellum [i] *quomodo post fatalem plagam illatam, vni è Proceribus præmonito & conseruato regni cura esset demandanda*, vbi è libro Anglicano dicendum fuisset ad verbum; *Post plagam illatam eligendum Protectorem è nobilitate illa quam præmonendam curarent & conseruandam*. Sed iterum post iudicium confessa res ista est, interrogantibus Garnetum honoratissimis viris Notinghamiensi, Suffolciensi, Wigorniensi, Northamptoniensi, Salisburiensi, [k] *annon colloquium cum Grenwello habuisset de aliquo in Protectorem eligendo*, & respondente illo, *Se quidem generaliter tale aliquid sciscitatum esse à Grenwello, dixisse verò illum, differendum id esse donec plaga transacta esset, tum Protectorem eligendum ex Proceribus qui superstites manerent.* At *fieri potuisse* ais, *vt cùm impendens regno exitium deplorarent, quæsierit quem regni Protectorem constitui oporteret*; quod, inquis, *nihil arcano confessionis officisset*. Abi verò scelus, quid hic cum confessione negotij est? Ne officiat arcano confessionis, certè tamen perditissimi hominis malam conscientiam prodit. Hoccine erat impendens regni exitium deplorare; hoc dare Grenwello in mandatis vt consilium impediat, mox scilicet inire consilium quis regni Protector futurus sit? Qui mox audita coniuratione excandescere aduersus Grenwellum ad furorem vsque debuit, qui Catesbeium ipsum primùm accersere, & cum eo impium machina-

i Pag. 82.

k Garnet. confess. Apr. 25.

nationem, factamque Deo atque hominibus iniuriam expostulare, qui tentare omnia, omnique impetu agere, vt miserabilem regno cladem & calamitatem auertat, desidendum sibi scilicet, & de eligendo perditi regni Protectore deliberandum censet. Falleris, Andrea, falleris si tam facilè te putas ludificari posse orbem Christianum, vel præstigijs istis ita te tegere vt non te omnes in causa nequissima pessimæ fidei aduocatum agnoscant. Neque verò quicquam hic impedit quominus Garnetus coniurationis author vel particeps esse posset; nam quòd quæris *cuius prudentiæ fuisset rem primò peragere, & postea de Præfecto deliberare*, intellige perfidiam non semper à prudentia consilium capere, neque semper prospicere quæ sibi tuta sint, sed dum auidè fertur in scelus, in hoc ingeniosam esse; in reliquis cœcam nonnunquam & præcipitem ire, retibusque suis sic implicari & inuolui, vt se accersito sibi periculo posterioribus iam consilijs expedire non possit. Quanquam quæ hic prudentia fuisset de re decernere, cuius tam anceps & incertus foret exitus, vt de certa persona cui communi consensu honor ille deferendus esset, certi quicquam definiri non posset? Post futiles verò istas & ineptas responsiones tuas, quibus quatuor illos articulos eludis, eò tandem venis *vt ficta tibi hæc & corrupta sint omnia, testimonio eorum qui ipsi supplicio eius interfuerunt, & proxime Recordatorem stantes, voces eius omnes exceperunt, et quique vobiscum iam Romæ versantur.* [k] En quid illi tandem renunciant tibi? Nempe *Garnetum cum obijceretur sibi à Recordatore confessio sua, constanter respondisse, siquam haberet eiusmodi confessionem suam, proferret; nam se quidem nihil vnquam tale confessum esse, ne ne putasse quidem: confiteri tamen nunquam se nihil de coniuratione [illegible], nisi in confessione quicquam audisset, vt vero quidem esse ea omnia, quæ cum interrogaretur à Iudicibus respondisset, quæque manu sua consignasset, at verò istas Recordatoris fabulas nihil ad confessionem suam pertinere* [illegible] planè. [illegible] fuit [illegible] Romæ, qui tibi ista nunciarunt. Et tu ficta esse credis & supposititia quæ quatuor illis articulis expressa sunt. Atqui ex quatuor illis duo, primus & vltimus, testes habent honoratissimos quinque Comites supra nominatos, [illegible] excepto Salisburiensi, omnes adhuc in viuis sunt, qui præsente Gar-

neti nomen adscriptis nominibus suis verè hæc ab illo dicta esse confirmant. Secundus ipso eius ad Regem autographo *April. 6.* continetur. Tertius habetur in confessione quam edidit & subsignato nomine suo firmauit *Mar.* 12. interrogantibus illum Pophamo supremo Angliæ Iustitiario, Coko Attornato Regio, Waado arcis Londinensis Locumtenente Regio, Corbetto Clerico Concilij, quæ lecta palam in iudicio & recognita ab illo est. Age ergò iam, prodi iterum, infamis nebulo, & dic ficta esse & corrupta quæ eiusmodi sunt, vt propè tibi oraculorum firmitatem & fidem habere debeant. Quæ omnia cùm Recordator obijceret, chartasque ipsas ab illo consignatas educturus esset, Rege ita iubente vt fieret siquo modo excusare se vel sceleri suo colores inducere tentaret, *Parce*, inquit Garnetus, *labori tuo, quicquid manu mea consignatum est, verissimum est*; tua verò illa nunquam ab illo audita sunt. Videat ergo orbis Christianus quàm perfidi homines sint quibuscum nobis hoc negotij est, quàm nulla illis fides, nulla conscientia, nihil vt mentiri erubescant, omniaque ad fabulas suas & mendacia detorquere. Quinetiam velis nolis, agnouit ille quod ante quoque fecerat peccasse se in Regem, quòd notitiam rei quam à Catesbeio perceperat non reuelasset, eoque nomine à Regia maiestate veniam humillimè precatus est. Tu *meram suspicionem* appellas *nullis solidis nixam fundamentis, tantùm à Catesbei quæstione conceptam*, sed in eo antiquum tuum obtines, quia palam & apertè confessus est notitiam sibi à Catesbeio factam *particularis stratagematis quo se aduersus Regem remq. publicam ad expellendum illum quem excludere debuissent, preualituros statuerunt*. Postremò quod prudenter ab honoratissimo Comite Northamptoniensi animaduersum est, *reuelasse tandem Garnetum materiam confessionis ad dispendium salutis suæ, quam ante pro aliorum salute reuelare debuisset, proinde responsionem eius de non reuelanda confessione futilem fuisse ac friuolam*, ad id respondes, *ex conditione rem in confessione accepisse, ut nullo pacto proderet, quòd si aliunde proderetur, tunc pro sua prudentia statueret quatenus de ea loquendum videretur*. Sed dic, Andrea, licet ne Confessario conditiones interponere reuelandæ confessionis? Quod si licet, cur ille conditionem non interposuit reuelandi quod ex vsu reip. & incolumnitate patriæ gentisque suæ foret? Nam quæro

iterum, conditio illa præcesseritnè confessionem, an secuta sit? Si præcessit, certè argumento est cautio illa, suspectum illi grande aliquid reip. malum. Cur ergò non excipit proditurum se quod in reip. salutem esset? Cur ex illa quam habuit generali notitia, quam iam confirmatam sibi persentit, non reuelat quantum Regi ac regno periculum instaret? Quòd si confessionem secuta sit exceptio, certè cui licuit *pro prudentia sua statuere* de reuelanda confessione, penes se habuit eam pro vitando reip. periculo reuelare. Cur ergò non reuelat nisi quia probatissimum illi consilium visum est? Quòd si non vltra reuelanda confessio quàm confitenti probatum fuerit, & noluit illam Grenwellus reuelari, Grenwello hæret macula & particeps ille proditionis inuentus est. Neque enim hìc Catesbeij confessio quicquam impediuit, quia alteram quoque potuit pro rep. conseruanda, qui arbitratu suo conditionem illam tuam inconsulto Catesbeio interposuit. Denique *cùm audito*, inquis, *ab exploratoribus sermone eo, quem cum Hallo habuerat, commodè negare non posset, prudenter ac salua religione confessus est.* Benè verò, sed quæro quid id erat quod commodè negare non potuit? An rem sibi per confessionem à Grenwello dictam esse? Dixerat ergò Hallo Garnetus quod aliter proditum non fuit, rem sibi per confessionem à Grenwello dictam esse, atque ita proditor confessionis repertus est; aut si minùs, dic cur Regi confiteri non debuit, qui Hallo *prudenter & salua religione confessus est?*

CAP. XIII.

Sigillum Confessionis commentum esse Papisticum, nec impeditum eo Garnetum quominus coniurationem patefacere teneretur.



DE Sigillo cõfessionis Catholica nescio quæ mysteria nobis Andreas edisserit, quæ veteri Catholicæ Ecclesiæ comperta nunquam, nunquam certè vel audita sunt. Quare vt dogma factitium & nouum profert, ita quoque suffragatores ex eadem officina fabros ipsos adducit quorum malleo atque incude ferreum hoc perdendæ reip. telum elaboratum atque expolitum est. Portentum loquitur nobis ex Suarij Iesuitæ authoritate; ^a *tantam*

a Suarez de pænitent. disp. 33. sect. 1. nu. 2

tam esse huius arcani religionem vt in nullo casu & propter nullum finem, etiam pro tuenda tota rep. ab ingenti malo temporali vel spirituali violare illud liceat. Portentosius rem explicat Henriquez alter Iesuita; [b] *Quæ ad sigillum directè aut indirectè pertinent arctiori vinculo stringunt Confessarium quàm si secretum firmasset sacramenti iuramento, voto & alia qualibet firmitate, quia ob nullam vnquam causam reuelari potest quamuis esset totius orbis salus aut ipsius pœnitentis vtilitas, nec pro vitando vllo damno etiam grauissimo innocentis, aut quòd esset totius orbis conflagratio aut præuersio religionis & omnium sacramentorum intentata demolitio, quam hæreticus pœnitens paratam esse confitetur.* Ecquis verò est cui ad stupendam hanc nefandæ superstitionis insaniam non obrigescunt capilli & tanquam arrecti stant? Ecquis non credat coiisse cum nubibus Ixionas istos, qui monstra ista Centauris omnibus informiora & magis infausta genuerunt? Ecquis non miretur inuentos esse homines qui de phrenesi sua tam pestiferi dogmatis præsumptores esse; tam prodigiosam nouitatem Christi Ecclesiæ obtrudere non dubitarint? Cedò enim, Andrea, quibus tandem authoribus sententia ista tam inuisa consistit? Nempe Suarez, inquis, *Theologorum authoritate confirmat* & citat *Aquinatem & Bonauenturam & Richardum & Scotum & Durandum & Paludanum & Maiorem, & Capreolum & Gabrielem & Halensem & Adrianum, etiam Syluestrum, & Sotum & Ledesimam & Nauarrum & Simancham*; classicos scilicet Doctores, quorum omni exceptione testimonium maius est. At abi, homo nequam, cum Theologis istis tuis; quid hoc hominum pecus nobis affers, sordes religionis & Ecclesiæ, quorum insanis enthusiasmis spurcissimè coinquinata fides, & venenata quadam lue tabidata atque infecta est? An Scotos nobis & Sotos tuos narras, tenebricosos homines & Antichristi vestri fascino temulentos, qui Christianorum dogmatum oracula nobis & dictatores noui sint? Quid? & nostri seculi homines, coniurati ipsi tui, Simancha, Nauarrus, Couarruuias, Syluester, Ledesima, satis idonei testes sunt quorum authoritate atque fide in tanta causa nitendum sit? Cur ego pari ratione non repono tibi Lutherum, Caluinum, Bezam, Melancthonem, Martyrem, pluresque alios Theologorum Heroas, quibus paradoxon hoc tuum detestabile monstrum est, relegandum ad inferos vnde profectum est? Misera verò res vestra

b Henric. Henriq. sum. Theolog. moral. de sacr. pænit. l. 3. c. 19.

ſtra & deploratiſſimo loco conſtituta quæ Prophetarum & Apoſtolorum & totius antiquitatis patrocinio deſtituta tàm ſordidis authoribus ſubnixa ſtàt, & niſi de veſtrorum nominum exiſtimatione momentum habeat, iacet in puluere, cum communi omnium execratione conſpuenda. Et tamen vt conſtet quàm ad omnem impudentiam abiecti ſitis, ſubiungis tu ex Suario; *Fundamẽtum præcipuum huius veritatis eſt communis conſenſus Eccleſiæ eiuſque perpetua traditio.* At dic mihi, miſer, vbi conſenſus hic Eccleſiæ, vbi depoſita traditio iſta eſt? An tu ibi conſenſum narras vbi nihil vnquam auditum eſt? An traditionem appellas quod oſtendere non potes ante ſeculum duodecimum cuiquam vnquam vel vſquam fuiſſe traditum? Da ab orbe condito qui dixerit quod tibi tam ſanctum eſt, *in nullo caſu & propter nullum finem etiam pro tuenda tota rep. ab ingenti malo temporali vel ſpirituali ſigillum confeſſionis violare licere.* Itanè vt tam ratum hoc in religione credendum vobis, quod nemo vnquam dicendo, docendo, ſcribendo, ſeminando prodidiſſe compertus ſit? Sed eſt aliquid cur hoc tam ratum vobis exiſtimari velitis, vt dum audiunt homines hyperbolas iſtas tantò ſe vobis ſecuriùs committant, & peruium ſit eo prætextu rerump. arcana rimari, ſcrutari omnium conſilia, conſiliorum veſtrorum aditus & opportunitates explorare, mulierum ſtupra & lididines expiſcari, vt quos habent luxuriarum ſuarum conſcios, eoſdem ne grauentur impudicitiarum ſuarum habere conſortes. Deus bone, quantum vobis iniquitatis & perfidiæ myſterium agitur, dum hoc alta voce clamatur ne confeſſionis arcanum vllo prætextu detegatur. Alioqui quàm nullum vobis piaculum ſit ſigillum illud tam ſacrum violare Cottonus veſter teſtis eſto, qui quæ ab Henrico quarto Galliarum Rege per confeſſionem accepit, cum Hiſpano Rege communicauit. Atque hac quidem in re conſuetudinem Ieſuitarum Watſonus narrat. [c] *Mirum*, inquit, *quibuſdam videri poterit Ieſuitas ordinariè patefacere confeſſiones per tertiam vel quartam perſonam vel ſub incerto nomine, & tamen hoc illos perditiſſimè facere probari poteſt. Poſtquam apud Ieſuitam quis fuerit in confeſſione, cuius ille peccatum communicari vult, occaſionem arripiet interrogandi ſocium quid de caſu hoc vel illo dixerit. Verbi gratia, in hoc illudve peccatum homo labitur, & poſtea abſque eiuſdem confeſſione venit ad ſacramenta; quo illum ſtatu eſſe ſenſeris? Iam illi*

[c] Watſ. Quodlibet 3. art. 10.

præ-

præcognitam habentes ex condicto rationem reuelandi sibi mutuò secreta, proponendo casus & dubia quæ singulis confessionum vicibus oriri possunt, intelligunt hac ratione quandoquidem vir iste vel fœmina postremò confessionem obierit, illum esse vel illam de qua quod dicitur intelligendum est. Et idem quoque alibi postquam significauit *quàm turpia, quàm abhominanda & horrenda sint inter illos vitia Pharisaico prætextu religionis obducta*, subiungit in hęc verba; [d] *Possem ex illis viginti homines particulariter perstringere si confessionum proditores esse, si homicidia, si expilationes, si circumuentionum fraudes & alia scelera peiora, si peiora esse possint, eiusmodi sint vt perstringere sufficiant*. Ergo apud Iesuitas arcani huius religio nulla, tantùmque impostura est qua de sigillo tam grandia vociferantur vt à nihil suspicantibus arcana faciliùs eliciant, è quibus rerum suarum opportunitates captare possint. Nec verò seruatum vnquam vt confessio proditoribus securitatis asylum esset. [e] Carolus Philippi Regis Hispaniarum filius sacerdoti per confessionem narrat habere se in animo quendam hominem occidere. Confessionem Sacerdos patri defert quod & imperatum illi fuerat. Respondet mox pater, se hominem illum esse quem filius peteret, cæterùm sibi consulturum, & quidem infanda vnici filij sui nece consuluit. [f] Vir quidam nobilis è Normandia Frãciscano cuidam fratri per religionem confitetur se aliquando Franciscum Regem eius nominis primum occidere statuisse, sed mutasse sententiam, proinde petere ab illa noxa absolutionem. Fraterculus rem Regi renunciat, qui mox nobilem illum Curiæ Parisiensi sistendum curat, à qua capitis supplicio damnatus est. [g] Dominus *de Haulteuille* Confessario quoque recognoscit ferè iam cum morte confligens, propositum sibi aliquando fuisse Regem occidere, cui postea de morbo conualescẽti, patefacta à Sacerdote Curiæ Parisiensi confessio, capitis amittendi sententiam tulit. [h] Petro quoque Barierio capitalis fuit detecta à Iacobino fratre confessio, qua consilium suum exposuit occidendi Regem Henricum quartum, nec ab illa mente potuit à Confessario dimoueri. An verò cuiquam horum lis vnquam de effracto sigillo intentata est? An quisquam ibi reclamitare ausus est, factam iniuriam religioni; confessionis arcanum ne pro salute quidem Regis esse violandum? An vsquam leges illudi sibi ferunt, quæ reos læsæ Maiestatis esse decernunt quicunque patefactas sibi in Re-

d *Præfat. ad Tractat. Angl. inscrip.* A spaning discouerie of English Iesuites, &c.

e *Thuan. histor. lib.* 41.

f *Tholosan. de Rep. lib.* 26. *cap.* 7.

g *Histor. de pais Gallicè.*

h *Ibid.*

gem remve publicam insidias non reuelant? An verò quisquam tam excors est, vt credat enthusiasmis istis vestris & phrenetico-rum hominum spectris atque insomnijs salutem Regum Rerumque publicarum incolumitatem cedere oportere? Quin pereant liberaliter & stultitiæ suæ mercedem ferant quibus furiosa ista & Donatistica placita vestra tam cordi sunt.

Quanquam ne per vestros quidem authores satis constat sententia vestra, vt illam certum sit à pauculis quibusdam nouatoribus temerè præsumptam, non communi consensu, ne vestræ quidem Ecclesiæ, receptam esse. Martinus Delrius Iesuita in hoc negotio quot flexus narrat, quas extensiones, quas limitationes, quantam opinionum incertitudinem commemorat? [i] *Communis*, inquit, *videtur sententia Canonistarum, posse Sacerdotem delictum iam commissum reuelare quod non in sacramento pænitentiæ sed extra illud sub promissione secreti & sigilli confessionis accepit, immò si in teste producatur, debere illud reuelare in iudicio: Hæc verò sententia reijcitur ab alijs volentibus veram esse de crimine cõmittendo, non de crimine commisso. Probabilem*, inquit, *puto vtramque, sed posteriorem esse tutiorem. Porrò in rigore*, inquit, *qui se obligat sub secreto tali aquè se obligat quoad commissa & committenda, sed censetur Ecclesia propter publicum bonum velle irritare promissionem illam quoad crimen committendum; qui fauor boni publici cessat ordinariè quoad crimen commissum: ideò si graue damnum inferretur celatione illius criminis commissi, teneri tum quoque illud reuelari fatentur Menoch. & Farinacius doctissimi duo Iurisconsulti. Sanè promissio illa sub secreto sigilli facere nequit vt quod sigillum non est, id tale fiat, sed obligat solummodò more promissionum aliarum de secreto seruando, quarum vis se in detrimentum reip. contra æquum & bonum nequit porrigere.* Vide hìc in commissis delictis quantum reip. bono tribuendum videatur, vt celanda non sint propter sigillum confessionis extra ipsum Pœnitentiæ sacramentum, ex quibus commune aliquod magnum malum prouenturum sit. Sed pergit ille & *quoad delicta committenda*, inquit, *quando quis nonvult abstinere aut se emendare, sed crimen statuit perficere, fuere nonnulli Iuristæ qui censuerint ea posse à Confessario reuelari.* Hanc sententiam periculosam esse pronunciat, sed tamen *excusari possent*, inquit, *authores eius si duntaxat locuti forent de eo qui specie confitentis accederet, reuera tamen non haberet animum confitendi, sed vel confi-*

[i] *Martin. Delrius disquisit. Magicar. l. 6. c. 1. sect. 2.*

consilij petendi tantùm, vel decipiendi confessarium, vel pertrahendi in societatem criminis; tunc enim non est verum sigillum nec res sub sigillo credita. Vbi dum excusat authores illos, Garnetum tuum accusat, qui ipse agnoscit, *confessum sibi Grenwellum negotium coniurationis non tanquam peccatum sed per viam consultationis,* (hoc est, tantùm petendi consilij causâ) *proinde non opus fuisse absolutione vel pœnitentia,* vt constet totum hoc extra Sacramentum pœnitentiæ & absque vero sigillo transactum esse, & proinde ab illo pro conseruanda rep. reuelari debuisse. Sed addit ille de vera confessione, *quòd siquis animo confitendi accederet, seq. clauibus subijciendi & absolutionẽ consequendi, & sic confessionis sigillo rem subijceret, sequenda omninò,* inquit, *communis opinio contraria quæ pluribus Iuristis & Theologis placuit, non esse tum licitum detegere, ne reip. quidem proditionem.* Satis hoc rigidè quidem, sed ita vt agnoscat limitatam ab illis esse hanc sententiam ibique è tribus duas ponat exceptiones, quæ ad causam nostram animaduertendæ sunt. *Limitant si pœnitens habeat socios complices & ipse quidem pœniteat & emendationem spondeat, iudicat tamen adhuc esse periculum ne per complices ipso desistente scelus committatur, tunc enim putant vt occurratur damno futuro, posse sacerdotem reuelare delictum futurum, etiam confitente non consentiente.* Debuit ergò Garnetus etiam repugnante Grenwello coniurationem detegere, quia vtcunque ille pœnitere videri poterat, & ab incepto velle desistere, certum tamen habebat reliquos coniuratos ab impia mente non discessisse. Iterum verò *limitant,* inquit, *multi Iuristæ si pœniteat pœnitentem & velit se emendare; quòd si nolit desistere nec obuiare vt potest, sed perficere mauli, tunc inquiunt non teneri Sacerdotem ad sigillum, quæ putatur,* inquit, *communior sententia Canonistarum. Fundamentum eorum est quia non putant hanc esse veram confessionẽ nec sigillo hic locum esse.* Tenetur ergò hic quoque Garnetus quia consilium non patefecit, à quo videt impios carnifices ad facinus obstinatos meliore consilio suo reuocari non posse. Quid ad rem quòd hoc Delrio haud satis placet? at placet viris doctissimis quorum nobis plusquam Delrij authoritas probata est. Et quidem licere Confessario peccatum nondum commissum reuelare, [k] Couarruvias affert qui affirmant Hostiensem, Ioannem Andream, Archidiaconum, Ancharanum, Ripam, Abbatem, à quorum tamen opinione ipse se quidem

Garnet. Auctor. Mar. 31.

[k] Couarruv. de matrimon. part. 2. tom. 1. §. 12. num. 23.

alienum esse profitetur. Accedit autem ad illam sententiam Gigas quoque; [l] *Si confitens fatetur se velle occidere talem & quòd non potest resistere tentationi, hoc casu poterit Sacerdos reuelare, quia non dicitur hoc habuisse in confessione in qua peccata tantùm commissa, non committenda panduntur Sacerdoti.* Consentit Ioannes Igneus qui de *confessione Sacerdoti facta de delicto nondum commisso sed committendo* sic habet; [m] *Puto verum dicere Archidiac. & pauci sunt qui ab eius opinione discordant, siue in confessione siue extra confessionem & sic secretò panditum fuerit, teneri eum qui audit illi reuelare cui periculum imminere potest. Tolle exemplum*, inquit, *post Archidiac. si peccator Sacerdoti dixit se velle hominem interficere vel patriam seu Principem prodere, neque se continere posse dicat quominus delictum perpetret, reuelare tenetur; alioqui si non reuelauerit & postea sequatur homicidium, homicida erit, quia potuit bona forma impedire quominus occideretur, dicendo ei vt sibi caueret ne occideretur, quia mors sibi minabatur.* Ibi porrò addit; *si aliter periculum euitari non potest, denunciare debet secundum Innocent. Quoniam non potest ille dici confitens neque pœnitens.* Atque Innocentius quidem quartus ille Pontifex Romanus clarissimus in hac causa testis est, qui commentario in *Decretalem* illam Innocentij tertij; [n] *Caueat omninò Confessarius ne verbo aut signo aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem*, ad verbum *prodat* exceptionem ponit; [o] *Nisi hoc modo faciat propter peccatorem, scilicet dicendo illis qui prodesse possunt, non obesse.* Significat ergò posse prodere modò ita prodat vt hoc ad pœnitentiam hominis & salutem conducat. Hoc verò aliorum verbis explicat vberiùs & apertiùs; *Si confessus fuisset quòd vellet facere aliquod maleficium, sed dolebat, sed non poterat resistere in tentationibus diaboli, & volebat quòd Sacerdos oraret pro eo & de præterita voluntate iniungeret illi pœnitentiam, benè poterat vocare illos de quibus certum sit quòd prosint & quantum plus potest generaliùs eis dicere quòd suadeat sibi quòd ab hoc peccato desistat*, ET SI NON POTEST INVENIRE VIAM IMPEDIENDI, REVELARIT EXPRESSE, *quia in hoc non fuit minister Dei cum dixit, Ego non possum cessare quin faciam tale peccatum; tunc enim tantùm dicitur vt ministro confiteri quando confitetur vt pœniteat.* Hic verò probatâ sententiâ rationem tamen improbat; *Hæc ratio*, inquit, *non placet, quia benè credimus quòd vt minister recipiat etiamsi in peccato proponat*, significans ministrum quidem

hic

[l] *Gigas de crim. læsæ maiestat. sub tit. Qui accusare possunt. quæst. 18.*

[m] *Ioan. Igneus par. 2. de senatusconsulto sille fideicommissum. 53.*

[n] *Decretal. Grego. de pœnit. & remiss. c. Omnis vtriusque.*

[o] *Innocent. in 5. Decretal. de pœnit. & remiss. c. 12. Omnis vtriusque.*

hic vt ministrum accipere confessionẽ, etsi peccator quia animus est in peccato perseuerare, non tanquam ministro confiteatur. Qua de re subiungit; *Illos autem non credimus vt ministris confiteri qui non vt pœniteant, sed vt consilium vel auxilium ab aliquo recipiant, dicunt sibi peccatum suum, licet dicant, hoc tibi dico in confessione vel in pœnitentia, quia non est verum quòd dicit in pœnitentia, nec vt Dei ministro cùm animæ consilium non requirat, & tales benè sunt cogendi super præmissis ferre testimonium.* De hac Innocentij sententia Panormitanus: [p] *Quidam fuit confessus Sacerdoti quòd intendebat interficere Sempronium, vel aliud maleficium committere, & non poterat abstinere; quæro nunquid sacerdos peccet reuelando? Innocentius instat & tandem concludit, quòd hoc peccatum non dicitur detectum in pœnitentia, tum quia non habet contritionem, tum quia est peccatum committendum, vnde sacerdos debet, quantum cautiùs potest, reuelare vt peccatum impediatur.* En ergò iam vt Pontifex Iesuitam confodiat, Innocentius Garnetum nocentem & proditorem esse conuincat, quòd *non reuelarit expressè committendum peccatum* sibi prætensâ confessione patefactum, quod aliter se vidit impedire non posse. Eadem fuit olim sententia Halensis nostri, proposita quæstione, [q] *vtrum peccatum quod confitens proponit facere, teneatur sacerdos celare posito quòd confitens nolit aliquo modo resilire de proposito; potest enim quis confiteri peccatum præsens non tamen vt præsens, sed vt est in proposito suo de futuro. Dico ergò*, inquit, *quòd non tenetur celare simpliciter, nec si sacerdos talem confessionem reuelaret, posset condemnari tanquam violator sigilli confessionis; tamen quòd hoc quadam species esset mali, & infamia inde sequeretur, propter hoc credo etsi non tenetur de iure talem confessionem occultare, debet tamen celare ratione publicæ honestatis, nisi inconueniens aliquod graue sequeretur; tunc enim credo quòd non esset confessio talis penitùs tacenda, nec tamen publicè reuelanda propter periculum infamiæ, sed cautè & secretò alicui qui posset & vellet prodesse innotescendo.* Et paulò post, *Licet sit in potestate sacerdotis recipere pro libito suo quæcunque occulta in secreto, non tamen tenetur quæcunque occulta sibi reuelata recipere in secreto confessionis sacramentalis, & illa claudere sub sigillo, sed illa solummodò quæ claudi debent secundùm diffinitionem Sanctorum, hæc autem sunt perpetrata, non perpetranda*, quod Ambrosij, Augustini, Gregorij testimonijs ostendit. Nam *Sacerdos*, inquit, *in hoc offi-*

p Panorm. in 5. Decret. ca. 12 Omnis, num. 24 pœnit. et remis.

q Alex. Halens p. 4. q. 78. mẽb. 2. art. 2.

cio inquantum est vicarius Dei, fungitur vice reconciliationis; reconciliatio autem est de commisso, non committendo; vnde loco Dei non recipit futura. Vide iterum, Andrea, vt ista quoque Garneti tui rationibus quadrent. *Futura peccata non recipit Sacerdos tanquam vicarius Dei, non sub sigillo confessionis, non tenetur de iure talem confessionem occultare; non ratione publicæ honestatis si graue inde inconueniens cõsequatur; si reuelet non potest condemnari tanquã violator sigilli confessionis.* Vide ergò iam, inquam, quis tandem defensioni tuæ locus relictus sit? Sed porrò adhuc obruo Martyrem tuum, teque profligata fide Aduocatum esse confirmo. Adiungo enim Angelum vestrum, qui [r] *sex casus ponit in quibus confessionem reuelare liceat*, è quibus *tertius*, inquit, *casus est quando quis confitetur se velle facere aliquod malum, quòd istud non est dictum in pœnitentiali foro, & idcirco propter rationem istius sacramenti non tenetur celare, nec etiam propter præceptum legis naturæ seu diuinæ ratione promißionis saltem tacitæ de non reuelando.* Bonauenturam affert præceptum de celanda confessione cum exceptione interpretantem, [s] *Nisi veritas vel obedientia aliud exigat, vt est*, inquit, *in proposito.* Quod verò Theologi de celando dicunt limitat, & præter cæteras cautiones intelligit, *quando huiusmodi tale peccatum non vergit in periculum aliorum, sed tantùm ipsius confitentis.* Quare subiungit, *Sed quando vergeret in periculum communitatis vel alterius, tunc si nullo modo cessaret talis quin illud faciat, credo sine præiudicio quòd non solùm potest, immo tenetur ei reuelare qui potest prodesse & non obesse vt malo obuietur.* Quin & Syluester quoque sententiam dicat: [t] *Licet reuelare secretum confessionis siquis confitetur se velle facere aliquod malum, puta, homicidium, quia istud non est dictum in Pœnitentiali foro: quando autem peccatum committendum vergeret in damnũ, vel periculum communitatis, vel etiam priuatæ personæ tertiæ, non solùm non tenetur celare, sed tenetur manifestare si id potest commodè sine damno suo, & cum proximi vtilitate & peccantis.* Hic ego perfidiam tuam, Andrea pariter & Suarij tui præterire non possum, qui Halensem, qui Bonauenturam, qui Syluestrum, qui sub nomine Summistarum omnium Angelum quoque adducitis, tanquam pro paradoxo vestro facientes, qui tamen omnes tam manifestum contra sententiam vestram testimonium dicunt. Denique Dominicus Soto tibi quoque aduersarius hac in causa est, [u] *Sunt qui fingunt*

[r] *Sum. Angel. in confess. dist. 7. num. 7.*

[s] *Bonau. in 4. sentent. dist. 21*

[t] *Syluest. sum. confes 3. nu. 2.*

[u] *Domin. Soto Relect. de tat. tegendi vel deteg. secret. mẽb. 3. q. 4. concl. 2.*

se

ſe accedere ad confeſsionem, & tamen non veniunt vt ſe accuſent, & remedium poſtulent animæ ſuæ, ſed vt Confeſſorem fortè peruertant, aut fauorem aut auxilium petant in perpetrandis flagitijs, vt temporibus noſtris vſuveniſſe fertur quibuſdam qui in Pontificem conſpirauerunt, & huiuſmodi peccata celanda non ſunt, ſed ſtatim potiùs denuncianda. Et affert ibi quoque illud Alexandri; [x] *Peccatum quod quis confitetur vt perpetrandum non cadit ſub ſigillo.* Intelligis ergò iam, opinor, quàm non certa vobis, quàm incerta magis, & quam meritò damnanda ſententia illa; *Confeſsionis arcanum in nullo caſu, & propter nullum finem etiam pro tuenda tota rep. ab ingenti malo temporali aut ſpirituali aperiendum eſſe.* Atque ab his omnibus damnatur Garnetus tuus, qui dictum ſibi *tantùm conſilij petendi cauſa facinus committendum, quod in forum pœnitentiale non cadit, nec ſigillo confeſsionis includitur, nec vllo iure diuino vel humano celare tenebatur*, quodque eiuſmodi erat vt eo *inconueniens graue*, capitale *periculum communitatis*, totius reip. certiſſima pernicies contineretur, *non denunciauit, non expreſſè reuelauit*, ſed foueri permiſit inſidias, & cum inſidiatoribus aſſiduè verſatus, nihil vnquam egit, quo periculũ tam immane à Rege atque republ. propulſaret. Ac ſpero iam nonnihil erat quod Cokus oppoſuit, peccatum fuiſſe *nondum commiſſum* quod confeſſus eſt, ſiue Cateſbeius ſiue Grenwellus, proinde confeſſionem Sacramentalem & ſigillatam non fuiſſe, eoque à Garneto pariter atque Grenwello reuelari debuiſſe.

x *Ibid. ex Alexandro.*

Sed grauiter tu hìc ſcilicet de celandæ confeſſionis neceſſitate philoſopharis, & *ſi iure diuino neceſſarium ſit*, inquis, *peccata mortalia omnia & ſingula confiteri ſacerdoti, iure diuino tacendi crimina audita præceptum impoſitum eſſe neceſſe eſt.* Benè verò illud *ſi*, quia conſtat confeſſionem qualis à te deſcribitur, & à Concilio Tridentino iniungitur, iure diuino minimè conſtitutam eſſe, quod poſtea ex veſtris authoribus patebit, vbi erit ea de re dicendi locus. Eſto interim quod vis, iure diuino ſancitam eſſe; an ideò ſequitur iure diuino quæcunque ſub nomine confeſsionis eduntur neceſſariò celanda eſſe? Atqui certè confeſsio quæ iure diuino præcipitur, & pro animarum ædificatione Chriſtiana lege ſeruatur, perpetrata tantùm vt diximus, & præterita peccata cum pudore atque gemitu & pœnitentia recognoſcit, non per ſacrilegam audaciam præſumit, velle committere ſcelus quod nondum

dum

dum commissum est. At hæc causa Garneti tui est, quæ quia veram confessionis rationem subire non potest, omnem tibi defensionem intercipit, & te conductitium tantùm Sycophantam esse confirmat. Sed connexionis illius probatio tua diligenter animaduertenda est. *Neque enim*, inquis, *carnifex est Deus vt necessitatem imponat peccatori vitæ, aut temporalis; aut æternæ necessariò amittendæ; si enim sacerdoti licet aliquando peccata prodere, neque licet ea pœnitenti tacere, saluo esse pœnitenti non licet, nisi de vita periclitetur*. At tu miser & carnifex, verè carnifex, an tibi carnifex est Deus nisi celari velit impiorum hominum consilia, quibus se

y Psal.105,15 aliorum hominum carnifices fore promittunt? Qui dixit, y *Nolite tangere Christos meos*, vultnè taceri illum, cui, seipso teste, trucidandi Christum Domini voluntas est? Qui non vult per alium periclitari vitam tuam, vultnè per te periclitari alienam? vultnè remp? & lege multò duriore vt sanguini parcatur quem iura omnia fundendum esse conclamant, vultnè occultari coniurationes & vota impia quibus sanguines fortuita cæde miscere destinatum est? Certè qui vetat ista fieri Deus, vult impediri ne fiant, & potiùs exponi iusto supplicio hominem impium qui se proximo perniciem meditari profitetur, quàm nefarij consilij perficiendi potestatem dari. Celare confessionem reuelandæ conscientiæ causa religiosè pieque factam, fidei certè atque officij pastoralis est, sed ita ne peccetur in leges, siue diuinas siue humanas, quibus de pace publica, de salute Principum, de regnorum atque hominum incolumitate prouisum est. Cedere namque oportet priuata publicis, nec habenda ratio est conseruandi hominis vnius per quem periculum creatur vniuersitati. Nec verò aliud spectarunt plerique authores vestri maximè antiquiores, quàm quod communitèr & ordinariè fieri debet, circa vsitata & obrepentia delicta, quæque iam admissa sunt, & infecta esse non possunt, & citra grandem iniuriam celari possunt; in quibus verò hominum vel rerump. salus agitur, nunquam illis animus fuit occultari debere, de quibus adhuc consilium agitatur, opere verò nondum completa sunt. Quare quod z Martinus vester Delrius obseruat

z Mart. Delr. vt supra. de Clementis octaui sanctione, qua Regularibus interdictum esse voluit *ne notitiâ de peccatis in confessione habitâ ad exteriorem gubernationem vtantur, non esse putandum* scilicet *Pontificem de extraordinarijs planè casibus agere voluisse, qui in religiosis congregationibus*

tionibus vix vnquam eueniunt, idem ego de Scriptorum vestrorum dictatis existimandum sentio, quibus de celandis confessionibus tam seuerè præcipiunt, non de casibus extraordinarijs intelligi voluisse qui vix vnquam aliàs inter Christianos vsuueniunt, quale illud coniuratorum nostrorum consilium fuit, sed de ijs tantùm quæ in communi hominum vita & conuersatione comperta sint. Quòd si aliter Gregorius ille, quem, nescio quem, citas, intellexerit quod de confessione *non pro aliquo scandalo* reuelanda tam superciliosè decernit, in phreneticorum numero esto; nam ante illum nemo sobrius nisi fortè insanus tam insanum & impium dogma vaticinatus est. At inquis *non leuis iniuria Christo fit si quos ille instituto hoc Sacramento indemnes seruaturum se pollicitus est, sub eius fide inductos Sacerdos Christi vicarius homini tradat*. At abi, carnifex; dic vbi Christi pollicitatio illa qua Sacramenta pietatis, vincula esse iubeantur iniquitatis & perfidiæ, & qui perniciem humano generi meditatur, sub Christi custodia & fide immunis sit? An tibi parùm est in homines consceleratorum partes agere, nisi & in Christum quoque sacrilegus, in Sacramenta Christi contumeliosus sis? An *sub fide sua Christus inducit qui fide Christis Domini violata* proditores impunè per eum sint? an per se indemnes esse voluit, qui diris consilijs fidei ac religioni detrimentosi & damnosi sint? Certè non è schola Christi sed ex Circumcellionum insana superstitione profectum est quod absque Christo dicis, *nullum posse esse tantum malum cuius vitandi causa confessionem prodere liceat*. Ex quo tu tamen, vt es vbique scelerum Aduocatus, *neque Regibus neque Rebusp. neque vlli omninò hominum periculi quicquam creari* defendis, idque ab illustrissimo Comite *inuidiosius quam veriùs obiectum* prætendis. Quasi verò reip. nihil intersit liberè homines apud Sacerdotes consilia proditionum agitare posse. Certè vt est nequitia semper timida & mali sui suspiciosa, ita semper adminicula quærit quibus fulcire se possit, & excutere terrores illos qui agminatim ingruunt postquam dira maleficij libido atque intentio concepta est. Conscientiam homini Deus indidit sui Iudicem, quæ plerunque ad magna scelera horrere facit, & refugere, vt haud facilè acquiescat quousque nacta sit quo fodientibus stimulis callum opponere, animoque indolentiam & stuporem afferre possit. Id verò maximè omnium agit,

vt paralogismis suis & sophismatis sibi persuadeat cum æquitate coniunctum esse quod conatur, iustamque incœpti rationem constare, Deoque haud improbatum, fortasse etiam probatum esse. Eo fine ad Sacerdotes plerunque se confert quos esse arbitrantur diuinæ voluntatis interpretes, per quos addi sibi animos cupit, & ad ea quæ nonnisi per flagitium suscepta sunt, tanquam oraculo diuino confirmari. Vbi si in illos inciderit qui pariter secum flagitiosi sint, quid aliud confessio quàm consultatio; quid absolutio aliud quàm incentiuum & fomentum proditionis est? Atque hoc quidem maleficis & proditoribus vsuuenit, vt ad eos maximè se accommodent quos maximè credunt ad scelera sua propendere, eaque velle consulere quæ cum eorum libidine atq; perfidia coniuncta sunt. Ex quo factum est quod [a] Comes honoratissimus obseruauit, vt rarò magnæ proditiones & scelerata in remp. consilia absque conscio Sacerdote suscepta sint. Quare si liberum Sacerdotibus sub obtentu confessionis de rebus istis miscere colloquia, si proditores explorare voluntates & petere consilium à Sacerdotibus absque metu possint, quia reuelare non licet, quis non videt quàm certissimum inde Principibus rebusque publicis periculum creari necesse sit? Itaque *ne deferantur ista ad Sacerdotes*, si reuelare non liceat; placet optimè ne deferantur, quia qui deferunt plerunque non alia mente deferunt quàm vt confirmationem ad scelus petant. Vbi fac esse aliquem fortasse qui ab incœpto dissuadeat, non acquiescit homo impius malitiâ grauidus & parturiens iniquitatem, sed aliò se confert vt alicubi noua responsa consilijs suis consentanea percipiat, quod Parreio alijsque nostro tempore proditoribus vsuuenisse compertum est. Quod autem ais, *Sacerdotes nihil ad scelus conferre, hortari ad facinus nulla ratione posse*, miror seriòne an ioco, & certè quibus hominibus, si tamen hominibus, dictum velis? Quid enim? an tu quenquam hominem tam pecudem esse putas, vt ignoret sæpenumerò Sacerdotes operas suas ad scelera conferre, nec minùs hortari ad facinus quàm qui maximè omnium facinorosi sunt? Certè vt è communi vita nihil dicam, qui superiora omnia diligentèr attenderit, facilè animaduertet haud alienum esse à Sacerdotibus vestris, impijs machinationibus auxilium præbere, & nefarijs coniurationibus rē simul atque opem suppeditare. Tua interim futilitas contemnenda est, qui tam putidas ineptias & stulta

[a] *Actio in Prodit. Orat. Comit. Northampt. pag.* 143.

 mendacia

mendacia contra communem omnium hominum conſcientiam affirmare non dubitas.

Hìc verò Comitem illuſtriſſimum iterùm aggrederis, qui confeſſionem priuatam ait, ex multò minore crimine quàm fuit illa Garneti proditio, grauiſſimum vulnus per aliquot ſecula pertuliſſe, immò ex Eccleſia Conſtantinopolitana authore Nectario Patriarcha prorſus expulſam eſſe. Vbi tu, vt es per te homo nihili, ad Bellarminum rem refers, cuius te corui non ouum iam ſed pullum & auem eſſe cognoſco, qui vt eſt vbique perfidus, ita hìc quoque dolo hiſtoriam incruſtat vt nihil ad confeſſionem veſtram pertinere videatur. Atqui verò breuiter ſic res habet, fuiſſe in vnaquaque Eccleſia Pœnitentiarium Presbyterum, cui qui poſt baptiſmum ad ſacra myſteria accederent peccata ſua priuatim confiteri tenerentur. In Eccleſia verò [b] Conſtantinopolitana mulier quædam nobilis ad Pœnitentiarium accedens, poſtquam enunciaſſet peccata ſua, iuſſa ab illo ieiunare veniamque à Deo precari, eoque fine in Eccleſia permanere, ſuperaddidit ſe in Eccleſia permanentem à Diacono quodam conſtupratam eſſe. Hoc cùm in populum exijſſet, miram Sacerdotibus inuidiam conflauit, ita vt Nectarius Patriarcha tanto Eccleſiæ ſcandalo permotus Diaconum illum ab Eccleſia eiecerit, Pœnitentiarium ſuſtulerit prorſus, omnemque illam priuatam confeſſionem abrogarit, multò tutius & ſatius ad honorem Eccleſiæ eſſe iudicans, vt ſeorſim quiſque apud ſe conſcientiæ ſuæ rationem habeat, idque agat priuatim, vt mundatâ per pœnitentiam animâ ad ſacram ſynaxin illibatus accedat. Atq; eius exemplum Orientales Epiſcopi ferè omnes ſecuti ſunt, vt propè nuſquam apud illos arcana illa confeſſio retenta ſit. Hìc tu vt es mirus fingendi artifex, *inde populi offenſionem excitatam credi vis quòd arcani religio violata ſit*, quòd prodita confeſſio quæ ſub ſigillo contineri debuiſſet. At dic, inſane, vbi hoc tandem eſt quod narras? Vbi auditum eſt, ſacrilegum factum eſſe Pœnitentiarium, vulnus inflictum religioni, ſigillum cum omnium iniuria perfractum, quòd per confeſſionem enunciata res in publicum prodijſſet? Quòd ſi nuſquam hoc habes, intellige ex hac hiſtoria priuatam confeſſionem, quæ abrogari potuit, diuini iuris non eſſe habitam; ſigillum veſtrum nihil eſſe; quæ in confeſſione cum ſcandalo coniuncta ſunt, citra noxam enunciari & puniri potuiſſe. *Eudæmon* fuit, teſte Socrate,

[b] *Socrat. hiſt. Eccleſ. lib. 5. c. 19. Sozomen. hiſt. l. 7. c. 16.*

crate, qui Pœnitentiarij tollendi confessionisque abdicandæ consilium dedit, non tu *Eudæmon* qui illam iuris diuini esse defendis, & proinde citra summum scelus abdicari non potuisse. Quòd verò ais *sublata confessione rerump. conditionem multò esse deteriorem*, Deo gratias quòd absque illa vestra demurmuratione resp. nostra mores habet quàm Romana vestra multò sanctiores. Quin & alibi passim videre est confessio vestra quos fructus ferat, vt nullibi maior vitæ turpitudo, nullibi minor Dei metus, quàm vbi illa seuerissimè seruata est. Nec verò vestram illam Caluinus probauit, quam à Thomistis vestris & Scotistis alijsque superstitionum vestrarum Archimystis in carnificinam animarum conuersam [c] Beatus Rhenanus ex aliorum quoque testimonio conquestus est; hoc tantùm est quod dicit, [d] *Adeò se non reclamare quin sistant se Pastori oues quoties sacrā cœnam participare volunt, vt hoc velit vbique obseruari; nam & qui habent impeditam conscientiam*, inquit, *referre inde possunt singularem fructum, & qui admonendi sunt, monitionibus locum ita præbent, modò semper absit tyrannis & superstitio.* Misero loco cōfessio tua est, cuius in opem hoc Caluini testimonium aduocandum fuit. Certè idem ipsum & nos dicimus, quibus tamen morosa illa confitendi superstitio & imperiosa conscientiarum excarnificatio improbata est.

c Beat. Rhenā. in argument. l. Tertull. de pœnitent.
d Caluin. Institut. l. 3. c. 4. sect. 13.

Iuri municipali nostro, quo proditorum numero esse iubentur quicunque delatas ad se coniurationes & proditorias machinationes non quamprimùm patefaciunt, tu ius diuinum opponis, Deoque magis quàm hominibus obtemperandum dicis. At cedò mihi ius illud diuinum quod tantopere inculcas, aut certè improbus sis, qui es, qui præsumptiones istas & assumenta vestra mero tuorum placito & nescio quo ferendarum legum prurítu atq; libidine inducta, iuris diuini esse contendis, quando ne confessio quidē ipsa, qualis fingitur à vobis, iuris diuini testimonium vel firmamentū vllum habere monstratur. Quin apertè Glossator illam [e] *ab Ecclesiæ traditione* institutā confitetur *potiùs quàm ex nouo vel veteri Testamento, & apud Græcos non seruatam neque necessariam agnoscit, quia*, inquit, *ad eos traditio non emanauit*; [f] *quam glossam*, inquit Couarruvias, *ex nostris plerique secuti sunt, maximè Panormitanus, ex eâ asserentes confessionem sacramentalem quæ Sacerdotibus fit, iure humano institutam esse.* Dicunt illi iure positiuo & humano institutam esse confessionem; tu iam ostende contra, decre-

e De pœnit. dist. 5. Considerat. in gloss.
f Couarruv. Part. 1. Relect. in c. Alma mater. in 6. Tom 1. §. 1. num. 6.

decretam esse iure diuino. Non esse Principi conuicium faciendum, non excitandas in illum seditiones, non vim tentandam, non committendum homicidium iura diuina decernunt; an vsquam verò decernunt permittendos potiùs impios homines consilijs suis vt ista perficiant, quàm arcanum confessionis esse retegendum? *Hypocritæ,* g *cur irritum facitis mandatum Dei vt traditionem vestram seruetis?* Sigillum confessionis traditio vestra est; an ei cedere par est legis diuinæ conscientiam? Iuramentum Dei nomine susceptum quàm sacrum à Deo & inuiolabile esse iubetur, quod tamen vbi obligat ad illicita, resignari debere dicitur: maioremnè esse oportet sigilli vestri quàm iuramenti Dei religionem? Quin sacrilegam hanc audaciam vestram quis non detestetur & aborreat? quis ferendum putet vt maior deliramentis vestris quàm præceptis diuinis authoritas attribuenda videatur? Quanquam tu quoque aliquando de reuelanda confessione exceptionem interponis. *Neque verò,* inquis, *hac tanta arcani religione ianuam laxamus ijs qui obtendere confessionis sacrosanctum nomen facinoribus suis possunt.* At inepte, annon vides hâc vnâ sententiâ tuâ Garneti tui causam euerti? Quid enim aliud ibi quàm in diro facinore nudus confessionis obtentus, qui te teste ianuam sceleri laxare non debuit, ac proinde debuit reuelari? Sed hoc tam benè dictum tu arbitrio tuo restringis, & tantùm de illo homine dictum vis, *qui non animo confitendi sed inducendi confessarium vt sit particeps delicti accedit ad confessionem. Neque enim potest cadere,* inquis, *sub arcanum confessionis quod sub confessionem nullo modo cadit. At qui animo non confitendi sed seducendi accedit ad confessarium, reuera nihil sacramentalitèr confitetur.* At quo argumento tu à sacramentali confessione seductorem excludis, eodem ego consultorem. Quare vtor tuis verbis, *Non posse cadere sub arcanum confessionis quod sub confessionem non cadit. At qui animo non confitendi sed consilium petendi accedit ad confessarium,* & quia propositi tenax est, Deo pariter atque hominibus illudit, *reuera nihil sacramentaliter confitetur.* At eo animo Catesbeius ad Grenwellum, quando ita vis, & Grenwellus ad Garnetum accedit, non vt peccatum confiteantur sed tantùm vt consilium de re capiant, à qua interim desistendi mentem non habent. Nulla ergò hic Sacramentalis confessio fuit. Prodere ergò debuit Garnetus, & quia non

g Mar. 7. 9. 13.

prodidit, meritò ipse proditorum numero adiudicatus est. Age quod velis, Andrea; nunquam Garnetum tuum immunem dabis; nonnisi sacrilegium & abusus clauium in eo facto fuit, qui debuit iustissimâ sententiâ proditorum supplicio vindicari. An tu hìc rictu canino pergis obstrepere, & casum alterum excipi posse respondes, alterum non posse? Nempe quia vobis idem quod Donatistis placet, [h] *Quod volumus, sanctum est*. At hoc iam extortum à te est & authorum vestrorum testimonio defixum, qui tantùm petendi consilij causa ad confessarium accedit, nec animum habet ab incœpto recedendi, nonnisi illudere religioni, nec sigillo confessionis tutum esse oportere. Quare hæret in iugulo Martyris tui & suffocabit illum in æternum quod honoratissimis Delegatis manu sua testatus est; [i] *Grenwellum confessum esse non tanquam peccatum sed tanquam rem quam intellexit & per viam consultationis, proinde opus non fuisse absolutione vel pœnitentia*. Atque eorundem quidem authorum testimonio labascit quod de celandis peccatis deblateras quæ futura adhuc & cogitata tantùm, nondum commissa sunt. Non est opus hanc telam retexere; satis ex ijs quæ diximus manifestum est, sacrilegum esse atque impium qui quæ contra Dei præcepta venire persentit, ea celare mauult vt fiant, quàm prodere ne fiant. Ius humanum est quod narras nonnisi authore Pontifice vestro constitutum, [k] *Pro nullo scandalo reuelandam esse confeßionem*. Atqui verò [l] *nullum ius humanum*, teste Delrio tuo, *impedire valet ne quis cùm neceßitas postulat, ad malum ingens impediendum sententia probabili vtatur*. Est autem [m] *probabilis sententia* secundùm Garnetum tuum *quæ duos trésve habet graues authores*. Atqui verò testes adducti sunt numero tuo superiores, qui peccata committenda præcipiunt reuelari oportere. Non est ergò impeditus Garnetus, quominus ipsa scholæ vestræ disciplina fretus, ad ingentem illam cladem & perniciem à Rep. auertendam consilium proditorum, in quo illos vidit obstinatissimè perseuerare, in publicum afferre debuisset, & meritò ille capite mulctatus quia non fecit. Neque obstat futilis illa argutia tua, *peccatum futurum iam voluntate patratum esse, diu consilium agitasse & propositum fouisse coniuratos*; nam quæ illa voluntas, quod consilium vel propositum fuit nisi de *peccato cõmittendo*? An tu somniasse credis authores illos quos adduximus, vt non intellexerint fecisse iam voluntate scelus qui volun-

h *August. Epist.* 48.

i *Garnet. Autogr. Mar.* 31.

k *De pœnit. dist. 6. cap. sacerdos.*

l *Mart. Delr. disq. Magic. l. 6. c. 1. sect. 2.*

m *Tract. de Aequiuocat. manuscript. c. 4. vbi nonnulla Garnetus manu sua interscribit.*

voluntatem confitetur faciendi? quod tamen quia nondum opere factum est, caueri volunt ne fiat, & proinde voluntatem faciendi denunciandam esse decernunt. Noli nobis interim occinere Suarium tuum vel Thomam, vel Boneuenturam vel reliquam illam farinam vestrorum hominum: an tu Principes ecstasin pati putas vt ex istiusmodi Sophistarum insanis nouitatibus rerump. suarum causas appendi velint? *At fieri potuit*, inquis, *vt coniuratio tota Grenwello aperiretur tanquam materia temerè suscepti iurisiurandi.* Abi verò, insulsissime nugator, cum hoc tuo *fieri potuit*. Tace quid *fieri potuerit*, dic quid factum sit. Dic aliquid ex quo pateat visum tum Catesbeio tuum hoc, *iusiurandum temerè susceptum esse*. Quis autem non indignè ferat te otio tuo & patientia Lectoris tam impudentèr abuti? Sed tamen pergis, *Sacerdotem Dei de diuino iure in eo foro consuluit Catesbeius ac se indicio clauium potestatique subiecit.* Mentiris verò, Andrea, *non Sacerdotem Dei* consuluit ibi Catesbeius, sed sacellanum diaboli, à quo non iuris diuini sed tartarei furoris responsum accepit. Quòd si tu verè dicis, Garnetum & Grenwellum incœpto plurimùm obstitisse, quomodo Catesbeius iudicio clauium se subiecit, qui repugnantibus illis proposito suo pertinacissimè adhæsit? Nempe clauium vestrarum iudicio se subiecit, à quibus impiè confirmatus ad scelus est. Neque enim ille vnquam in consilio illo perstitisset, si per vos intellexisset clauium potestate se infandi sceleris obligatione constrictum fore. Quòd si hoc dictum à vobis, nec ille parere voluit, certè tamen vobis reatus incumbit qui non paruistis Innocentio vestro cuius antè sententiam audiuimus,[n] *Si aliter non inueniat viam impediendi, reuelabit expressè.* Porrò non illud nihil est quod Attornatus addidit, *Grenwellum non de se sed de Catesbeio, Perceio, alijsque confessum esse.* Vbi tu, *accipio*, inquis, *quod vltra dat, Grenwellum ne tum quidem cùm peccata sua sacramentalitèr aperiret quicquam habuisse quod de se diceret, quod quidē ad coniurationem spectaret, quamuis tam multis modis egerit supra vt ille coniurationis particeps haberetur.* Sobriè verò & sensim, mi homo; haud ita festinatò opus est. An illa iam Sacramentalis confessio peccatorum suorum vbi confitens de alijs tantùm narrationem instituit, de seipso nihil dicit? An iam vobis pœnitentiæ forum de alienis peccatis esse iubetur? Certè multimodè reus Grenwellus tuus vtut in mentita illa confessio

[n] *Innocent. in 5. Decretal c. Omnis vtriusque.*

fessione nihil de se dixit, at quia nihil de se dixit, Sacramẽtalis illa cõfessio dici non potuit. Sed *cùm rem totam*, inquis, *à Catesbeio in confessione accepisset ipse, eadem religione secreti constringebat eum cum quo eam communicabat.* Quantum verò cõfessio velamentum nequitiæ vobis est, quibus ita liberè licet vltro citroque impia consilia per confessionem communicare? Quanquam mentiris tu hìc, quod & sæpe ante mentitus es, quia prout ante ostensum est, nunquam Garnetus intellexit rem Grenwellum per confessionem accepisse, neque hoc vnquam sciscitatus ab illo est; ita illis de confessione nihil curæ fuit. Denique confessionis prætextũ euertit prorsus Garnetus ipse, qui Papam, vt ante vidimus, testem aduocat in literis ad Annam, quanta opera consilium impedire conatus sit. Eo enim manifestum est egisse illum cum Papa de hoc negotio, quod per scholam vestram facere non licuisset, si rem tantùm per confessionem intellexisset. Qui verò cùm Papa ea de re tractauit, cur illam Regi non patefecit? Non quòd confessionis religione retentus sit, sed quòd *meum*, inquit, *non putaui vt indicarem.* Viget vltimo loco Cokus, vtut alioqui confessione impeditus esset, rem tamen in *genere* deferre debuisse. Tu excipis *non potuisse quia simul reuelandæ personæ periculum foret. Nauarrus enim ait, nullo modo reuelandam esse personam etiamsi ad impediendum malum nullum aliud remedium sufficiat.* Scilicet Nauarrus ita narrat, iam ergò toti Ecclesię conclamatum est. Atqui hoc ipsum est quod leges iubent, denunciandas esse personas & eruendos è latebris homines impios, hostes humanę societatis, qui Principibus & patriæ suæ exitium struunt. An tu proditionem tantùm, non etiam proditorem in lucem proferendum putas? An liberum homini scelerato relinquendum vt alteram proditionis opportunitatem capter postquam in altera frustratus est? Hoc in casu confessionis omni modo integrum tibi; sed extra confessionem quid videtur? Repugnare non audes, nec vllus tibi pretextus est vt proditorem non agnoscas qui in proditoriarum coniurationum conscientia taciturnus est. At illinc intellige hoc in loco causam Garneti tui esse, quem significare voluit Cokus extra confessionem generalem rei notitiam à Catesbeio habuisse, ac proinde illam reuelare debuisset. Ex illa quęstione de insontium cæde suspicionem sibi natam agnoscit grandis alicuius maleficij quod cum Catesbeius meditaretur.

Vene-

Venerat ad illum Catesbeius cum Thoma Wintero, & significant habere se aliquid præ manibus contra Regem & regnum, quo certissimè præualituri essent. Monet illum Garnetus de Papæ sententia requirenda. Ille eam satis sibi perspectam credi vult, quòd liceret iam expellere Regem, quem per Bullas priùs excludere licuisset. Quod Catesbeius, idem quoque Grenwellus narrat, & repetita quæstione de insontibus tollendis ambo apertè ostendunt truculentam à se cædem intendi. Scribit inde literas ad Pontificem, quibus vereri se ait (sic enim ipse rem refert) *particulare aliquod stratagema* à suis actitari, quod expressè dictum fuerat pro expellendo Rege tentari. Catesbeium ait Fremlandiæ pollicitum, non se velle procedere, quousque Papam generalitèr informasset de statu Angliæ, eiusque consilium petijsset, quanquam rem ei minimè improbatum iri statueret. Atque hæc extra confessionem erant omnia, prout à nobis supra capite nono descripta sunt. Cur ergò hanc generalem notitiam & sceleratæ in Regem coniurationis conscientiam non impertijt? Qui Papæ rem patefacit, cur Regi non patefacit vbi religionis impedimentum nullum est? Scribit iterum literas, *internuncio Bainhamo*, quibus vt antè vidimus, *Papam generalitèr informaret*; quid impediuit quominus ad Regem quoque scriberet? Quin verò pœnituit eum, vt supra quoque ostendimus, & veniam à Rege precatur quòd *ex illa quam à Catesbeio habuit generali notitia* non reuelasset, nec ibi confessionem obstitisse ait, sed ideo non fecisse quòd *speraret* (sic enim mentitur) *Papæ probibitionem, & amicum prodere auersaretur, & hoc suum non esse putaret*; cur tu ergo illum ais, non potuisse rem in genere deferre? An verò Martyres pœnitet non fecisse quod illis non fecisse capitale est? Certè quod eum pœnituit non fecisse, id dubitari non potest quin senserit se facere potuisse. Vtri ergò magis credimus, Martyri tuo an tibi? Quia verò deferre potuit, & non detulit, proditor fuit, & meritò capite mulctatus est, cui amici charior quàm patriæ salus fuit. Quanquam vtut confessionis prætextum interponas, tantundem nobis est, quibus fœtent authores illi tui, qui tam inuiso dogmate decernunt scelerum impœnitentiam pœnitentiæ foro munitam esse oportere, & confessionis obtentu saluos esse debere, qui horrendas turpitudines & execranda flagitia se meditari profitentur. Mentiris, furcifer, & iterum mentiris *impositum à Christo sigillum*

hoc, vel institutum ab illo Sacramentum quod impijs hominibus oraculum scelerati consilij, vel consciendæ impunè proditionis vinculum & asylum esse possit. Quin capitis sui damno plectatur qui occultum apud se tenet, quod contra Regem, contra remp. venire confitendo perdidicit, & mille Garneti miserè pereant, qui Fauksios illos & Catesbeios & Perceios celatos velint.

CAP. XIIII.

De supplicio Garneti & miraculo spicæ effigiatæ ab improbo nebulone primùm conficto, & Iesuitarum detestabili perfidia mirum in modum amplificato.



NIhil omninò miror, Andrea, languere hìc tibi animum, vt planè profitearis, *non esse consilij tui editam de Garneti supplicio fabellam* (sic enim appellas) *refellere diligentiùs, nec vel rem narrare prout illam amicorum literis & sermonibus accepisse* videri vis. Certè quæ ea de re narrantur à vestris, vtut conspersa sunt, & contemperata mendacijs, frigidiora tamen sunt quàm quæ tanto Diuo vestro celebrando sufficere putetis, nec tamen adhuc sat fiduciæ vobis, quia in recenti memoria res est, incrustatam nouis fabulis historiam in vulgus dare, quæ pictum spurijs coloribus Pseudomartyrem in cœlum Iesuiticum communi Sanctorum sorte sublimiorē tollat. Curabitur hoc in posterum à vobis, vbi sopita erit aliquantulùm tanti sceleris inuidia, vt cothurnis ille suis, & phaleris ornatus incedat, & mors illa in qua homine pio nihil dignum fuit, Martyrologio vel Legenda miris laudum præconijs illustrata celebretur. Interim *ijs literis contentus es quas potentissimi Regis Legatus ad primarium virum in Italiam scripsit*; quibus tamen quàm exigua fides habenda sit, eo ipso patet, quòd cùm ipse supplicio non interesset, non alia scribere potuerit quàm quæ è popularium vestrorum rumusculis & fabulis quas tam multas fingunt, priuatim illi in aurem subsibilata sunt. Qua in re meritò ille culpandus credula temeritate atque leuitate, qui fide publica in aliena republica versatus, ea potiùs quæ murmure ac susurro ad se delata, quàm quæ publico testimonio accepta essent, literis ad amicos suos conscribenda iudicaret. Dum verò Sycophantis & seditiosis hominibus nimiùm facilè aures atque

animos præbet, miscet haud benè consultus falsa veris, & gratis lædit fidem suam dum frustra existimationem tueri cupit alienam. Falsum est quod narrat de Garneti *alacritate animi vultusq́, lætitia*, qui fuit deiectior & consternatior quàm tantum Martyrem vestrum decuit, vultuque ac voce mentis languorem & inertiam prodidit postquam frustratam quam conceperat vitæ spem, iamque sibi absque mora moriendum intellexit. Falsum est etiam quod dicit, *Impeditum carnificem clamore multitudinis circumfusæ ne funem præcideret aut viuum euisceraret*, quia ea de re non populi clamore, sed mandato ipso Regio & singulari clementia consultum est. Etiam illud quoque non falsum modò, sed vanitate ipsa ridiculum quod scribit *de tanta animorum commotione*, & facta ex hoc exemplo ad partes vestras accessione; quod tamen mollit, quia tantùm *suo iudicio* factum dicit, id quod pertenue fuisse manifestum est, dum hoc *iudicio suo* statuat, cui nihil consentaneum in re fuit. Falsum denique illud quod ait, *Vbi auulsum Garneti cor caputq́, carnifex extulit, non acclamatum à multitudine, quod moris in Anglia est, Viuat Rex*; acclamatum est haud minùs quàm in pari causa fieri consueuit, & nimiùm facilè Legatus in mendacio acquieuit, qui non factum tam temerè credidit, & in partes transmarinas scripsit, quod esse factum tam facilè intelligere potuisset. Quanquam cumulauit hoc mendacium Northus quidam Legati Secretarius, qui scriptis in Hispaniam literis grandem operam dedit vt Garnetum comprobaret innocentem, idque populum sensisse credi voluit, & morte illius pro eo scilicet quo sunt in Romanam religionem affectu & propensione, tam vehementer commotus, vt non modò non acclamarent, quod Legatus dixit, sed & in carnificem inuolarent, vimque afferrent, ita vt ægrè ex illorum manibus viuus euaderet. En quàm lepidas fabellas excogitent, inque orbem emittant impostores isti nequissimi, nec dicere vereantur, quæ tot mille testes oculis ipsis in causa freti ab omni veritate aliena esse consciscunt. Sed missis falsariorum mendacijs istis, repetamus hìc Garnetiani supplicij veram historiam, vt cui alter ille liber præstò non est, intelligat à nobis qualem ille se sub mortem ostendit. Atque hìc non omitto qua ratione se ad mortem præpararit, qui altera nocte ante supplicium ita se mero ingurgitauit, vt Præsidi Arcis & vxori eius, alijsque cum illis à custode aduocatis, fœdissimum e-

brietatis spectaculum dederit; quos tumente lingua & tremula, & ferè ad articulandas voces inualida blandè compellat homo vrbanus, & ad compotandum inuitat; eoque confirmat haud sine causa factum, vt ipse se [a] Hallo per confessionis interloquium de ebrietate accusasset; *Excessum aliquem potus* appellat ipse pòst, molliore vocabulo peccati sui grauitatem imminuere conatus. Sed vt ad rem ipsam veniamus, traha Garnetus pro more, Maij die tertio, anno 1606. ad locum supplicij in cœmiterio ædis Paulinæ raptatus est. Aderant ibi tum, Rege ita iubente, Recordator ciuitatis Londinensis, Decanus Ecclesiæ Paulinæ, & qui tum fuit Wintoniensis; ille vt Regis, hi vt Dei ac Christi nomine cum Garneto agerent, & quæ morituro necessaria viderentur, per pietatem admonerent. Ibi Garnetus cùm in tabulatum ascendisset, quod ad populi conspectũ sublime constructũ est, salutat primò aliquantulùm familiariter Recordatorem, à quo mox audit, *Expectari ab eo vt de coniuratione illa & proditione certam iam & apertam sententiam dicat; non esse iam vt quicquam dissimulandum putet quòd luculenta omnia & manifesta sint, si animus sit de vera pænitentia sua satisfacere orbi Christiano & cordis compunctionem profiteri, liberum ei fore mentem suam sermone testari.* Mox admonent illum Decani, *se ibi authoritate ita iubente adesse, qui suggerant ei quæ sint animæ suæ salutaria, & quod absque molestia esse velint, hortari vt inita cum Deo per pænitentiam salubrem & synceram reconciliatione, alteri se seculo præparet & componat.* Respondet ille, *Id omninò factum; priùs hoc consultum sibi esse.* At inquiunt illi, *Commodè facturus es si de re tota populo mentem tuam dixeris. Semper*, inquit, *tumultus istos & seditiones improbaui; si peractum facinus fuisset, ego certè, conscientiâ ipsâ meâ & toto animo abhorruissem. Fac ergò*, inquiunt, *vt hoc de te populus intelligat.* At inquit, *vires mihi debilitatæ sunt, vox defecit, nec possum efficere vt me audiant; non poterunt audire me.* Tum Recordator, *Securum*, inquit, *ego te facio fore, vt audiant te, veni mecũ.* Præiuit ergò & deduxit illũ ad tabulati partem Occidentalẽ, vbi iterum detrectauit populo loqui, sed hortatur illũ Recordator vt mentem suam eloquatur, promittẽs *se verba eius ad populi auditũ alta voce repetiturũ.* Inde ergo populum sic affatur; *Conciues optimi, accedo ego huc hodierno die qui Inuentioni sanctæ crucis sacer est, finem daturus crucibus meis omnibus & tribulationibus huius seculi, & profiteor ego*

hic

a *Autograph. ad Patres & fratr. Dominic in ramis palm.*

hìc coram vobis omnibus nuperam illam proditionem aduersus Remp. initam crudelem fuisse & detestabilem, & quod ad me attinet semper improbata mihi consilia omnia & machinationes aduersus Regem, & si perfectum fuisset quod consultum est, omni modo mihi damnabile visum esset; & fausta ego omnia precor Regi, Reginæ & stirpi Regiæ. Hìc cùm aliquantulùm moraretur, commonefacit illum Recordator *vt à Rege condonandum sibi petat incæptum suum.* Ille verò; *Peto,* inquit, *quatenus in illum peccaui; nempe quòd non patefeci quod mihi à Catesbeio generalitèr communicatum est; non aliter.* Ibi Decanus Wintoniensis; *Iuuabit hìc,* inquit, *Garnete, simpliciter agere; tu certè totius negotij conscius fuisti. Immò,* inquit ille, *de Comitio sufflando nihil intellectum mihi est.* Wintoniensis iterum, *At manifestum est,* inquit, *particularia ibi omnia tibi conscita esse, & tantundem subscripta manu tua confirmas, Tesmundum tibi omnia in Essexia communicasse.* Ille verò reiungit; *Hoc in confessione fuit, quam ego nullo modo reuelare debui.* Tum Decanus; *Tuipse, Garnete, propè agnoscis hoc nonnisi in speciem factum esse, quia apertè fassus es non dictum tibi in confessione, sed per viam confessionis, & consultò illum ad te venisse, cum prætextu confessionem faciendi, te verò respondisse, haud sic opus fore, te ex eius sententia percepturum omnia.* Instat porrò Decanus & commemorat *manu illum sua firmasse non dictum esse per modum confitendi peccatum, sed per modum consultationis, & pariter venisse ad se Tesmundum & Catesbeium qui cum illo de negotio conferrent; & quoties Tesmundum conueniret, de eodem negotio interrogasse quòd solicitus rei esset. Maximè,* inquit ille, *sed vt impedirem, quòd mihi nunquam probata esset.* Nempe inquit Decanus, *tantùm quòd deesset ea de re Papæ declaratio.* Vbi Garnetus, *At nunquam Papa consilium probasset.* Ibi Decanus; *Tua verò mens ex Breuibus illis manifesta est quæ Româ percepisti ad excludendum Regem. Ante ingressum Regis,* inquit ille, *ante ingressum Regis.* At vrget porrò Decanus; *Si proditionis illius particularia non nosses, cur Bainhamum Romam misisti qui de eadem informaret? hæc enim omnia in confessionibus tuis sunt manu tua confirmatis.* Reddit Garnetus *se ad hæc omnia in iudicio respondisse, & quod ad confessiones meas attinet, quicquid in ijs continetur agnosco.* Sermonem excipit Recordator, & quòd subinde nonnisi generalem à Catesbeio perceptam notitiam præseferret, iu-

bet meminerit, *habere Regem quatuor ista literis eius & manu consignata.*

1. *Grenwellum rem ei confitendo communicasse, non vt peccatum sed vt quam intellexerat, & per modum consilij capiendi.*
2. *Catesbeium & Grenwellum simul venisse vt per illum securi consilij fierent.*
3. *Grenwellum multò pòst in Essexiæ comitatu colloquium habuisse de particularibus ipsis pulueriariæ proditionis.*
4. *Grenwellum ab ipso interrogatum, quis peracto facinore Protector futurus esset, respondisse, Hoc ad id tempus differendum esse.*

Habebat ibi Recordator, quas ei Rex ipse tradiderat in manus chartulas ipsas confessionum, quibus descripta hæc omnia & Garneti manu testata sunt. Curauerat hoc Rex inclytissimus, vt si proditor pro ea qua esse solebat impudentia, ad sceleris inficiationem reuerteretur, esset in promptu vnde ipso testimonio suo conuinci posset. Cum verò chartas istas ostenderet ei Recordator, nolens ibi confessiones suas in publicum legi, affatur illum dicens; *Parcatur huic labori; verum est quicquid manu mea consignatum est: se quòd non reuelasset ea quorum conscius fuit, meritò damnatum esse, & ea de re veniam à Rege precari.* Deinde conuerso iterum ad populum sermone, monente ita Recordatore, profitetur in eandem quâ ante sentētiam, *displicere sibi incæptum illud atrox & inhumanum, nec probare tales in Regem & Remp. molitiones; proditionem illam, si successisset, damnatissimam animo suo fuisse futuram.* Hæc omnia Recordator iam ad populum, Garneto ita volente, spiritu altiore recitauit, vt ipsius voce audirent ista quæ Garneti non possent. Pergit ibi Garnetus ad excusandam amiculam Annam Vaux, & amoliendam à se omnem cum illa conuersationis illicitæ suspicionem; sed quàm frustra id & certè nonnisi per æquiuocationem egerit, ex ijs quę antè dicta sunt, satis apertum est. Postquam verò dixisset hæc omnia, ad patibulum se applicuit & sciscitatus à Recordatore an orandi tēpus concedendum ei foret & quantum illud, responsumq́ue accipiens, penes ipsum fore vt terminum sibi statuat, nec futurum qui interpellet, flexis ad pedem scalæ genibus, frigidissimè se gerere visus est, nec se ad orationem constanter & piè componere potuisse. Immò ita otiosus in precando & sine feruore fuit, vt

subinde

ſubinde circumſpiceret & ad aſtantium ſermones attenderet, ijsque interdum reſponſa daret, vt ad ſpeciem magis & pro forma quàm vllo animi ſenſu precationes illas qualeſcunque demurmurare videretur. Vbi iam erigeret ſe & veſtimenta quædam exueret, compellat illum iterum Recordator, & videre ſe ait, *fore vt exitus eius reſpondeat vitæ; vtrobique cerni in illo nonniſi vafritiem & duplicitatem, quippe qui pergat adhuc tantoperè facinus ſuum extenuare.* Inde ex aſtantibus quidam interrogant, *an de æquiuocatione eandem haberet quam antè ſententiam, licere illa ſub hora mortis vti?* Ille ſe negat ea de re iam acturum, & Decano ædis Paulinæ inuehenti acritèr in æquiuocationem, & eiuſmodi ſeditioſam doctrinam parentem eſſe dicenti proditionum & impiarum iſtarum machinationum, reſpondet *æquiuocationem ſe iam nullam adhibiturum.* Regerit autem ei Wintonienſis; *Mira verò ſunt quæ ea de re prodidiſti in ſcriptis & confeſsionibus tuis.* Ille verò, *Ibi,* inquit, *dixi ſententiam & eò remitto vos.* Hìc iam monet illum Recordator, *ſpem vitæ* (quam videbatur adhuc animo continere) *upereſſe nullam; quare expedire vt iam enunciet ſiquid animo teneret quod ad bonum reip. ſciri par ſit; & porrò vt apertè populo ſignificet annon ſe agnoſcat meritò morti adiudicatum eſſe.* Reſpondet *nihil ſe amplius habere quod confiteatur; cæterùm magis reum exiſtimatum ſe quàm verè fuit; quippe authorem conſilij & architectum non fuiſſe.* Cùm verò iam ad induſium vſque veſtibus nudatus eſſet, tacita voce dicit proximè aſtantibus; *Salus vobis nulla eſſe poterit niſi Catholicam fidem teneatis.* Reſponſum eſt, *Non dubitare nos quin fidem Catholicam teneamus. At Catholica,* inquit, *eſt illa quam tenet Eccleſia Romana.* At hoc iterum dictum eſt *nonniſi per errorem ab illo dici.* Deinde ſcalam aſcendit, cumque in reſtim indutus eſſet, carnificem rogat vt moneat eum priuſquam deijciat, & mox populum affatur in hæc verba; *Commendo me Catholicis omnibus; doleo quòd Regem offenderim non reuelando conſilium aduerſus eum initum, nec maiori ſtudio egerim vt quod incæptum fuerat impedirem. Porro Deum oro vt Regiæ Maieſtati benedicat, cum Regina & poſteris eius, detque ei diu viuere & regnare. Obſequium quoque meum humilitèr commendatum eſſe volo honoratiſsimis Dominis qui Regiæ Maieſtati ſunt à ſecretioribus conſilijs, quos etiam rogatos eſſe cupio nequid de me duriùs arbitrentur. Male me habet quòd diſsimulanter cum*

illis

illis egerim, nec veritatem rerum indicauerim, donec de eadem conuictus essem; sed non existimaueră habuisse illos eiusmodi aduersum me probationes. Vbi hoc intellexi, honestius mihi esse duxi confiteri quàm accusari. Quod ad fratrem Grenwellum attinet, vtinam de illo veritas constaret. Non accusassem illum nisi quòd illum trans mare in tuto esse sensissem. Sed visum est veritatem fateri, quod & illum quoque velim, ne falsi rumores faciant nos criminosiores quàm verè sumus. Rogo verò ne mea causa Catholicis deteriorem conditionem afferat, quos hortor omnes vt sibi caueant ne proditorijs aduersus Regem consilijs & seditionibus se immisceant. Quibus ita dictis sublatis manibus faciem & pectus suum cruce signauit dicens, *In nomine patris & filij & sp. sancti. Iesus, Maria; Maria mater gratiæ, mater miserecordiæ, Tu me ab hoste protege & hora mortis suscipe.* Deinde ait, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum, quia tu redemiste me, Domine Deus veritatis.* Mox iterum signans se signo crucis, addit, *Per crucis hoc signum fugiat procul omne malignum, Infige crucem tuam, Domine, in corde meo*; & iterum; *Iesus Maria; Maria mater gratiæ, &c.* Et inter ista conuersa scala deturbatus à patibulo pependit, Rege ita iubente, quousque omninò mortuus esset. Illa verò omnia, quæ adhibuit, nonnisi sententiarum frustula festinanter ille & timidè & perturbato spiritu locutus est, non liquida vlla vel constanti precatione vsus, non agnitione peccatorum, non inuocatione ad remissionem impetrandam, non publica vlla fidei professione, nihil ei dictante animo quo Deum cum affectu compellare vel Christo iă suauiter inhærere posset. Ita dum superstitionibus suis confidit, neque quicquam alioqui habet quod dicat, prætetquam quod ex ipsa vulgi consuetudine didicerat, lychnum maleolentem & bonis omnibus grauem, lumen simul & anima deseruit, vt nihil iam ex illo præter cadauer & fœtorem relictum esset. Atque hæc vera est Garnetianæ mortis historia quam piguit Andream meum vel ex amicorum suorum memorijs & literis describere, quòd videret ibi quoque esse aliquid quod minimè in rem suam esset, nec consentaneum homini qui Martyrij testimonio & corona insigniendus esset. Certè qui omnia hìc diligenter animaduerterit, & cum ijs contulerit quæ hactenus exposita à nobis sunt, optimè intelliget Garnetus qui homo fuerit, quàm omni Dei timore destitutus,

existima-

existimationi plùs tribuens quàm conscientiæ, & magis solicitus tẽporaliter de impia Societate quàm spiritualiter de salute animę suæ, vafer & veterator in ipso mortis articulo, id tantùm agens ne apud homines erubesceret; de æterna illa ignominia & confessione nihil animo prę sentiens. Pergit adhuc velo confessionis crimen suum obtegere, qui tamen honoratissimis Delegatis non negauit consultationem illam fuisse, non peccati confessionem. Generalem tantùm notitiam prætendit acceptam à Catesbeio, qui tamen agnoscit generali illa notitia intellectum sibi de expellendo Rege regnique internecione consilium agi. Papam ait consilium illud nunquam fuisse probaturum, qui tamen ipse tres Bullas acceperat à Pontifice mox ab effectu proditionis publicè denunciandas. Immò scripsisse se ait ad Papam de particulari stratagemate, & illum testem vocat egisse se vt designationem illam auerteret, nec tamen habet vsquam quod dicat, quicquam vnquam Româ se accepisse quod impedimento esset. Denique qui disertis verbis actioni successum precatus ipse, & alios quoque comprecari hortatus est, vtut illũ mille Dęmones defendant, vtut verba in sensus suos insentatos torqueant, proditor ille certè & dignus fuit qui restim mercedem ferret, nec minùs dignus ille qui tam impiæ causæ impium se & impudentissimum patronum facit. Quanquam ne longiùs eamus habemus Garnetum, vt vidimus, de parte causæ in ipsa morte confitentem meritò se morte mulctari *quòd illam quam habebat à Catesbeio generalem notitiam non reuelasset*, id quod ante quoque autographo suo plenissimè testatus est. Atque hoc certè non negant quidam nostri Gatacatholici tragœdiæ istius historiastri; vidi enim narrationem quandam mendacissimam, quæ tamen Garnetum dicentem refert *aliquid se non fecisse pro reuelando consilio quod facere potuisset.* Cui affine est quod palàm in iudicio dixit [b] *plus in hoc negotio se fecisse quàm quod excusatione diluere posset.* Satis hoc ad iustam necem est, in causa proditionis pro coniuratione patefacienda non fecisse quod facere potuisset, non rem vel generaliter indicasse. Perijt ergò, Andrea, Martyr tuus, nec Garnetus iam innoxius iustitiæ causa, sed perduellionis verò crimine iustissimè in crucem datus est.

[b] *Act in prodit q. 127.*

Et tamen Cretensis hic noster, nebulo omnium mendacissimus & impudentissimus, non modò Martyrem haberi Garne-


tum vult, sed credi quoque iubet in morte singulari miraculo decoratum. Quo miraculo etsi nihil ferè stultius, nihil à miraculorum ratione atque vsu alienius fingi potuit, ita tamen illud ebuccinant Iesuitæ acsi mortuus quisquam contactu ossium eius è sepulchro rediuiuus factus sit. Huius miraculi Ioannes quidam Wilkinsonus author fuit, qui cùm Romana superstitione fascinatus ad transmarina Seminaria profugere decreuisset, demereri primò Iesuitas, & singularis officij merito aliquo deuincire sibi constituerat. Hoc cùm in illud tempus incidisset quo damnatus iudicio Garnetus & vltimo iam supplicio afficiendus esset, nihil antiquius iudicauit vel ad conciliandam sibi Societatem cuius obsequio se destinauerat, acceptius & gratius, quàm audere aliquid quo impij proditoris consecrare memoriam, & infandi sceleris maculam atque infamiam quoad penes se esset eradere atque delere posset. Atque hoc illum animo ad visendum supplicium prodijsse, ipse se testimonio suo conuincit, quod eiusmodi est & tam apertè imposturam hominis & perfidiam prodit, vt nisi oculis extare cerneremus, incredibile videretur Apologistam nostrum tam stupidum atque insulsum esse potuisse vt in librum suum inserendum censuisset. Nimirum præfatus grauitatem morbi quo profectus hinc laborauit Audomaropoli, quo derelictus à medicis, vitæque spe omni destitutus est (de quo benè quòd post despumatum huius perfidiæ venenum missumque Romam mendacij testimonium haud difficilè conualuit, eo spacium habet de fraude sua pœnitendi) ita rem narrat: *Pridie eius diei quo P. Garnetus extremo affectus est supplicio ingens animo quasi extrinsecus iniecta cupido spectandæ cædis incessit vt reliquiarum eius aliquid inde domum referrem. Spem verò ita certam concepi fore omninò vt voti compos fierem, vt dubitare non potuerim quin aliquid per id tempus essem visurus quo sancti sui Deus innocentiam testaretur, cumque mihi subinde eiusmodi cogitatio recursaret, eam iterum atque iterum conabar abigere, ne miraculum ibi expectans vbi necessariò expectandum nō erat, Deum tentando irritarem. Postero verò die eò me summo mane contuli reliquosque omnes anteuertens proximum carnificinæ locum occupaui, &c.* Vides bone Lector, falsarius iste quanto antè studio, Satanæ afflatu plenus, meditatus sit fraudem hanc. Quis est enim qui destinatam hic animo imposturam non persentiat? quam quò magis

enthusiasmi nescio cuius insano prætextu inducere sibi videtur & tegere, eò magis illam cordatus quisque nare prehendit, & iniquitatem esse suspicatur quæ mysterio isto & pallio tam inusitato vestita est. Itanè vt quisquam sanus credat improbum veteratorem verè præsagijsse sibi miraculum, & non consultò magis operam dedisse vt orbi Christiano figmento suo fucum faceret? Nec tamen minùs fraudem olet quod sequitur, vbi post intertexta quædam de Garneto inter moriendum mendacia refert porrò in hæc verba: *Membris quatuor in partes dissectis & vnà cum capite corbi impositis vt de more gentis suo quæque loco affigerentur, secessit paulatim turba; ego propiùs accedens medius inter currum & locum supplicij constiti, cumque ibi diutiùs persisterem nec minori quàm antea studio flagrarem nonnihil mecum reliquiarum asportandi, in manus mihi deuenit, nescio quo pacto, illa nunc adeò celebris & mirabilis spica. De carnificina quidem in corbem quo Garneti caput & membra demittebantur arida simul stramenta coniecta sunt non pauca; vtrùm tamen spica hæc mihi de carnificina an verò de corbe accesserit, nunquam ausim affirmare; id vnum verè dixerim huiusmodi spicam haudquaquam humo missam in me prosiluisse cùm antea humi non iaceret.* En hìc verò præuium miraculum, spicam aridam repentè animatam saltitare illi in manus incogitanti: *venit in manus*, inquit, *nescio quo pacto*, & tamen credi vult ab humo non venisse, scilicet, ne ab inferno profecta esse videatur. Sed qui constat ab humo non venisse, quando ille nescire se profitetur quo pacto venerit? Quis verò est qui non hìc perfidi nebulonis impudentiam detestetur? Quis tam excerebratus & amens est vt crassissimis istis commentis fidem habendam arbitretur? Profectò dedit illi spicam in manus Dæmon ille malus, quo authore consilium illud expectandi miraculi tam auidè amplexus est. Sed nihil hìc adhuc de facie patet; conspersam sanguine spicam videt; effigiatam non videt, *Hanc verò spicam*, inquit, *eodem die Dominæ N. matronæ ob Catholicam pietatem spectatissimæ tradidi* (fuit autem *Domina* illa & *matrona spectatissima* vxor cuiusdam Hugonis Griffithi sutoris vestiarij.) *Illa Chrystallinæ inclusit thecæ, quæ cùm breuior esset, factum est vt spica leuiùs inflecteretur. Paucis post diebus Domina N. nobili cuidam viro* (proh nobilitatem: fuit enim Domina cuiusdam nobilis nonnisi communi loco famulus) *sibi pernecessario obtulit contemplandam, qui attentiùs intuitus,*

 præter

præter vultum, inquit, *hominis aspicio nihil. Nouitate vocis inexpectatæ ego*, inquit, *& D. N. defixi etiam atque etiam spectaculo inhæremus & quod antè minùs aduerteramus, humanum & ipsi vultum aspicimus.* Quàm indiligētèr verò factum à Wilkinsono vt non contemplaretur initio solicitiùs spicam suam; non animaduerteret miraculum cuius ipse sibi Satanæ auspicijs author fuit? Certè postquam à Garneti supplicio recesserat, diuerterat ille aliquò vt videtur, vbi arte posset imposturam illam quam animo parturierat in effectum dare, aut certè postea commodiorem stratagematis huius opportunitatem aucupatus est. Siue verò citiùs siue seriùs arrepta penna vel penicillo, siue sanguine siue liquore miniato vultus humani quandam imaginem in stramine depingit. Fuit autem facies illa vnius tantùm folliculi quo granum vnicum includitur ambitu & magnitudine comprehensa, diductis ad extremitatem circumcirca summa tenuitate lineolis quæ faciei tanquam oram capillis & circumductæ ad infimam partem barbæ quadam vmbra distinctam præseferre viderentur. Facta deinde vtrinque quà prominet folliculus linearum quasi superciliorum tractura quædam & subterpuncta oculorum foramina, ita vt quod supra vsque ad oram emicuit frontis speciem referret, in decliuitate verò prominentiæ leuissima transuersim pennæ ductatio nasi similitudinem exhiberet. Porrò subter illam traiecta iterum capillulorum porrectior vtrinque tenuissima quędam quasi punctatio, oris & labiorum imaginem dedit. Cætera verò omnia sibi inter se similia, nec alter vsquam quàm ipsius folliculi natiuus color. Curaui vt Typographus spicam hanc qua primò imagine conspecta est typis exprimi faciat, quam spero hìc commodissimam subijciet, vt intelligat orbis Christianus quantâ hìc fatuitate diabolus Martyris sui causam egerit, quem tam stulto commento credidit apud cordatos homines sacræ memoriæ commendari potuisse.

Vera



Vera effigiatæ spicæ similitudo.

[c] Stramentum hoc à Garneti supplicio reportatum Wilkinsonus ad Hugonem illum Griffithum quem ante diximus, grande scilicet munusculum defert. Seriò ibi actum vt sacra istæ proditoris impij reliquiæ in tuto condantur, cuius rei curam Griffithus mandat vxori, monens, nisi in arcto seruetur fore vt sanguis ariditate tabescat, & paulatim prorsus deficiat. Vxor vt erat eadem cum illo superstitione fascinata thecam siue habet siue parat Chrystallinam in quam recludat, quod operâ Wilkinsoni factum est, sed quanto post tempore factum sit, aliquantulùm incertum est. Interrogatus enim secundò [d] eodem die Griffithus ab Archiepiscopo Cantuariensi, seriò & cum deliberatione respondet, *Post octo decemvè dies factum esse circiter Maij diem*, vt ille habet,

c Confess. Hug. Griffith. Nouem. 27. & Dec. 3. 1606.

d Nouemb. 27.

e Decemb.3. *vndecimum vel duodecimum.* Quod tamen [e] pòst, quia fortè de fide miraculi detrahere poſſe videbatur, retractat, & eodem die factum refert, quo Garnetus ſupplicio affectus eſt, ne tantum illud temporis ſpacium opportunitatem figmento præbere potuiſſe cenſeretur. Dicit autem porrò, *quantum quidem recognoſcit, ita repoſitam eſſe thecam cum incluſo ſtramine, neſcire verò, habueritnè illam à ſe poſtea Wilkinſonus mutuatam quam poſtea reddiderit, ad ſeptem verò hebdomadas illum in domo ſua hoſpitium habuiſſe.* Hactenus verò de facie illa, quantum quidem agnoſcit, ſermo nullus fuit; nihil de illa auditum eſt. Ita verò cecidiſſe ait, vt *circiter diem Septembris decimumoctauum*, nempe poſt Garneti mortem *circiter nouendecim hebdomadas, attentis oculis thecam tranſpiciens* (arbitrare apud te qua id cauſa iam feciſſe iudicetur, quod ante non fecerat, quam ille nullam aliam refert niſi quòd *toto illo tempore haud otium fuit*) *faciem quandam in ſpica ſibi videre videretur, quam vxori ſuæ, & cuidam Thomæ Laithwaito præſentibus commonſtrauit.* Quanquam differt hìc ab illo Laithwaitus, & ne minorem de facie illa primò viſa quàm de Homeri patria controuerſiam fuiſſe ſentias, [f] *Se primum* dicit *illam animaduertiſſe. Sediſſe* quippe *iuxta focum in Griffithi ædibus, & thecam diligentiùs intuentem, vultum hominis obſeruaſſe; cælum die illo nubilum & caliginoſum fuiſſe, vt per cubiculi obſcuritatem difficilè diſcerneret; quare ad feneſtram ſe contuliſſe, ibiq́; planiùs dijudicaſſe; miranti fœminæ quòd tam operosè thecam inſpiceret, faciem oſtendiſſe, interueniſſe Griffithum, & mox ab illo Wilkinſonum; & ibi tum omnes illam vidiſſe & dixiſſe, ſibi illam aptè conſpectam non eſſe.* Animaduerte iam, optime Lector, nouendecim hebdomadas interceſſiſſe antequam de facie illa ſpicæ quicquam compertum eſt; Garnetum die tertio Maij crucem obijſſe; faciem non antè decimumoctauum Septembris diem auditam eſſe; interim diabolum magno conatu monſtrum hoc ſtramentitij miraculi parturientem, tandem enixum eſſe. Quin & illud ne omittas, profiteri Griffithum neſcire ſe habueritne interim ſpicam Wilkinſonus, vel quidem à ſeipſo traditam, ſed in domo eius ad ſeptem hebdomadas contubernium habuiſſe. Cæterùm ab illo die ſpargi aliquantulum cœperat rumor de ſpica, & paulatim in vulgus exire, multaque de ea apud ſuperſtitioſos quoſdam homines mirabilia iactari.

f Confeſſ. Tho. Laithwait. Decemb.2.1606.

ctari. Cùm verò magis magisque fama rei percrebresceret, Wilkinsonus propositum assecutus, & habens iam quo Iesuitas sibi propitios sperare posset, & veritus porrò ne si per moram comprehensus in magistratuum manus perueniret, imposturam suam prodere cogeretur, suis quæ habebat cum festinatione diuenditis, transfugit homo nequam & perfidus Audomaropolin, & ibi quæ collibuit, de confićto suo miraculo gloriatur. Hic verò Reuerendissimus piæ memoriæ Archiepiscopus Cantuariensis ludibrium hoc indignè ferens, & stulti miraculi vanitatem in lucem proferre cupiens, sisti sibi aliquos facit per quos si fieri posset totius rei veritatem edisceret, sed quia discesserat Wilkinsonus, cuius fraus illa vel summa vel tota fuit, haud ita facile peruestigare arcanum fuit. Interrogati Griffithus & Laithwaitus ea respondent, quæ antè à nobis posita sunt. Vocatus in quæstionem Robertus Barnesius generosus ex comitatu Cantabrigiensi respondet, [g] *Ostensam quidem sibi spicam ab vxore Griffithi, & ea de re quibusdam in æde Paulina deambulantibus renunciasse, sed dixisse, rem sibi haud magni momenti videri; nec verò iam videri profitetur quòd arte pictoris alicuius describi poterit; & quidem ab initio ita nihili fecisse, vt minimè vnquam quæsierit à muliere, essetne annon arte confićta, faciem sibi visam distingui tanquam capilli tractu alteriusve alicuius rei pertenuissimæ; nihil aliud mirum sibi visum quàm quod tam exiguo spacio comprehensa sit.* Interrogatus est etiam eodem die Franciscus Bowenus Londinensis cui spicam ostenderat amicula Garneti Anna Vaux, quique ipse pictoriæ artis non imperitus fuit. Ille post factam ex memoria faciei descriptionem planè agnoscit, [h] *Pro certo se credere faciem quam vidit in spica à perito artifice haud minùs artificiosè, immo artificiosiùs describi potuisse; nec minùs certo credere si in manus improbi hominis spica primùm venerit, fieri optimè potuisse vt facies ab illo confićta sit.* Inter interrogandum describitur ibi à quodam facies in margine chartæ, qua responsio eius percepta est; cui fatetur *illam spicæ simillimam fuisse, nisi quod meliori aliquantulum proportione esset.* Fuit enim certè in Archiepiscopi famulitio, qui effigiem illam spicæ sibi conspectam mox imitatus est, & in eadem folliculi quantitate non minori artificio adumbratam dedit. Sed illa descriptio quæ in plano fuit, effigiem haud ita facilè referre potuit, atque illa quam folliculi ad faciei inæqualitatem propiùs ac-

g Confess. Rob. Barnes, Nouemb. 27. 1606.

h Confess. Francis. Bowen. Nouemb. 27.

accedens, deuexa vtrinque decliuitas præbuit, quæ illi certè alterutro modo familiaris fuit. Cæterùm quod ad Garneti similitudinem in effigie illa pertinet, Griffithius ipse primus spicæ fiduciarius custos liberè agnoscit, [i] *Quantum quidem sibi visum faciem in spica haud magis similem fuisse Garneto quàm cuiuis alteri homini barbam habenti, & quidem existimare se, quòd tam exiguo spatio contenta sit, neminem asserere posse illam Garneto similem esse; qui verò dixerit habere illam circa se lumen aut radios, dicere id quod à veritate alienum est.* Hæc omnia aliaque plura postquam intellecta & comperta sunt, nec comprehendi iam potuit, qui fabulæ istius primus author & architectus fuit, res tota cum contemptu dimissa est, non digna visa, quæ sobrijs hominibus vltrà negotium daret. Sed tamen congredi cum nube ista Ixiones quidam Iesuitici cœperunt, & orbi Christiano hac de re nescio quod portentum narrant, quæque in vno spicæ folliculo facies vna fuit, bina facta ab illis est, vt Garnetum pro varietate nominum bifaciatum & bifrontem & bilinguem agnoscas, veteratorem scilicet mendacem, cui quòd tot nominum & formarum esset, nusquam fides habenda fuit. Quinetiam non contenti honore illo, quem intercedente diabolo Wilkinsonus ei dederat, coronas addiderunt, & nescio quos fulgorum radios, quasi ad Martyrem suum decorandum dij omnes infernales vna mente conuenissent. Appono tibi hìc, Lector, vtramque spicam, qualis primùm à Wilkinsono, & qualis pòst à Iesuitis conficta est; tu vide quî conueniant inter se.

[i] *Confess. Hug. Griff. Nou. 27*

Spica



Spica Wilkinsoni. *Spica Iesuitica.*

Iam qui duas istas effigies animaduerterit & inter se contulerit, annon miretur ita homines siue ad malitiam siue ad insaniam à Satana dementari posse, vt figmenta ista populo Christiano propinare non vereantur? Quis non explodendum arbitretur execrabile genus hominum, quibus piæ numerantur fraudes istæ, neque vlla mendacia non placent, quibus impiæ coniurationis nefaria consilia quoquo modo promouere possint? Quis ferè non obstupescat vel somnum illis securum esse posse, quos tantus in Deum furor, tanta in homines perfidia occupatos tenet? Sed eò procedunt, hocque sibi ingenij atque animi asciscunt quibus

conscientiam excutere, cumque Deo bellum gerere semel desti-
natum est. Interim dæmonibus gratificamini, Andrea, vt tibi
tandem valedicam, quibus ludus est vexare animam illam.
infœlicem irridendo & exprobrando, quòd tan-
tus ei in viuis martyrij & miraculi
honor pro infando scelere
decretus sit.

FINIS.

